




A. R. P.

FR. MARCI SERRAE.

ALCODIANI.

Sacræ Theologiæ Magiſtri.

ORD. PRÆDIC.

SVMMA COMMENTARIORVM

In Tertiam Partem S. Thomæ.

DE SACRAMENTIS.



ROMAE,

Apud Franciſcum Caballum, 1653.


Superiorum permiſſu.

INDEX QVAESTIONVM ARTICVLORVM, ET DVBIORVM.



QVAESTIO LX.

De Sacramentis.



QVAE-

QVAESTIO LXI.

De necessitate Sacramentorum.

QVAESTIO LXII.

De principali effectu Sacramentorum, qui est Gratia.



QVAE-

QVAESTIO LXIII.

De effectu Sacramentorum, qui est character.

QVAESTIO LXIV.

De causa Sacramentorum.

QVAESTIO LXVI.

De pertinentibus ad Sacramentum Baptismi.

QVAESTIO LXVII.

De Ministris per quos traditur Baptismi Sacramentum.

QVAESTIO LXVIII.

De suscipientibus Baptismum.

QVAESTIO LXIX.

De effectibus Baptismi.

QVAESTIO LXXI.

De Praeparatorijs, quae simul concurrunt cum Baptismo.

QVAESTIO LXXII.

De Sacramento Confirmationis.

QVÆ-

QVAESTIO LXXIII.

De Sacramento Eucharistiæ secundum se.

QVAE.

QVAESTIO LXXIV.

De Materia Eucharistiæ quantum ad speciem.

QVÆSTIO LXXV.

De conuersione panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi.

Du-

QVAESTIO LXXVI.

De modo, quo Christus est in hoc Sacramento.

QVAESTIO LXXVII.

De accidentibus remanentibus in Sacramento.

QVAE-

QVAESTIO LXXVIII.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

QVAESTIO LXXIX.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

cau-

QVAESTIO LXXX.

De vsu, seu sumptione huius Sacramenti in communi.

QVAESTIO LXXXII.

De Ministro huius Sacramenti.

QVAE-

QVAESTIO LXXXIII.

De Ritu huius Sacramenti.

Dub.

QVAE



QVAESTIO LX.

De Sacramentis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Sacramentum *sit in genere signi.*

Conclusio est affirmans.

Dubium. An hæc conclusio vera sit?



ARS negans probatur 1. Sacramentum est in genere actionis; ergo non in genere signi. Antecedens probatur. Tum, quia omnia Sacramenta sunt quędam cære-

moniæ, & actiones religiosæ. Tum etiam, quia Sacramentum Baptismi, cum sit ablutio, est in genere actionis; ergo & Sacramentum in communi: genus enim & species in eodem sunt prædicamento.

Secundò. Si Sacramentum esset in genere signi maximè in genere signi ad placitum: sed non est in genere signi ad placitum; ego, &c.

Minor probatur. Signum ad placitum est ens rationis: sed Sacramenta non sunt entia rationis, sed realia, cum habeant esse ante omnem operationem intellectus; ergo, &c.

Tertiò. Nam vt patet ex Concilio Florentino, in decreto vnionis Armenorum, Sacramenta nouæ legis differunt à Sacramentis veteris legis, quia hæc non causabant gratiam, illa gratiam causant; ergo cum esse causatiuum gratię sit aliquid reale, & nihil reale possit esse differentia entis rationis, Sacramenta nouæ legis non sunt in genere signi, quod est ens rationis; ac per consequens nec Sacramentum in communi: nam sub genere, sub quo non continentur inferiora, nō continetur etiam superius.

Quartò. In ratione signi vniuocè conueniunt nouæ, & veteris legis Sacramenta: at non conueniunt vniuocè in ratione Sacramenti, vt docet D. Thom. in 4. d. 1. q. 2. art. 1. questiuncula 3. ad 5. ergo esse signum nō est de ratione & essentia Sacra-

men-

menti in communi, neque hoc est in genere signi.

Dicendum tamen est 1. Sacramentum esse in genere signi. Colligitur hoc ex illo ad Rom.4. v.11. *Signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ &c.* Ex Concil. Trid. Sess.7. Can. 6. definiente, *Sacramenta nouæ legis continere gratiam, quam significant.* Et ex SS. Patribus, qui sæpè Sacramenta appellant symbola & signa, vt Dionys. lib. de cœlesti hierarchia. cap.2. & 3. Amb lib.4. de Sacramentis Damasc. lib. 4. de fide, cap.11. & Aug.Epist.23. & lib.10. de Ciuit. Dei,cap.5.vbi hanc nominis ethimologiam adducit, *Sacramentum idest sacrum signum.* De qua D. Thom. hic in argum. Sed contra,suam & nostram conclusionem probat. Cuius sensum Mag.Soto in 4.dist.1.q.2.a.1. ait esse: *Hoc est Sacramentum est quoddam signum: sicut homo quadam substantia.* Et circa finem articuli dicit: *Sacramentum est signum, essentialis prædicatio, & quidditatiua est: sicut homo est animal.*

Dicendum est 2. Sacramentum non esse signum naturale, sed ex institutione, & ad placitum. Docet hoc Mag. Sent. in 4. d.1. & probatur manifesta ratione: Sacramenta non habent ex natura sua significare gratiam, sed tantum ex beneplacito & institutione Christi; ergo non sunt signa naturalia, sed ad placitum.

Neque huic obstat, quod ait S. August. Epist.23. circa finem: *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sa-*

cramenta sunt, nō haberent, omnino Sacramenta non essent. Respondetur namque Diu. August. loqui de similitudine proportionali, quam habent Sacramenta cum sanctitate, quam significant, qualis est in baptismo ablutionis exterioris corporis cum ablutione animæ, quam si non haberent Sacramenta, inquit, Sacramenta non essent: non quia de ratione Sacramenti sit, sed quia placuit in Deo de facto non instituere Sacramenta, nisi in rebus talem similitudinem habentibus. Cæterum hæc similitudo proportionalis non est completa, & perfecta, ac sufficiens ad significandum naturaliter rem sacram; vnde necessaria fuit diuina institutio, vt ad rem sacram significandam determinarentur tales res. Vnde D.Tho. in quarto distinct.1. quæst.1. artic.1. quæstiuncula 5. ad 4. dicit: *Etsi repræsentatio, quæ est ex similitudine naturalis proprietatis importet aptitudinem quandam ad signandum: attamen determinatio, & complementum significationis ex institutione est.*

Dicendum est tertio. Non esse de ratione Sacramenti esse signum practicum, hoc est, efficiens quod significat. Oppositum huius afferunt quidam recentiores. Sed nostra conclusio probatur primo ex D. Thom. hic dicente: *Non oportet quod Sacramentum semper importet causalitatem.* At semper illam importaret, si de eius ratione esset esse signum practicum, hoc est, efficiens quod significat; ergo &c.

Se-

Secundò, Sacramenta veteris legis habebant rationem Sacramenti: at non efficiebant quod significabant, nam non erant causa gratiæ quam significabant; ergo, &c.

Si dicas. Sacramenta veteris legis, non significasse gratiam immediatè, sed mediante sanctificatione legali, quam efficiebant, & cum dicitur de ratione Sacramenti esse efficere quod significat, intelligendum esse de eo quod immediatè significat, non de alijs, cum constet Sacramenta nouæ legis significare passionem Christi, quam tamen non efficiunt. Contra hoc est: Tum quia vt ostendimus artic. seq. de ratione Sacramenti est significare veram, & perfectam sanctificationem, quæ fit per gratiam, & ad eius rationem non sufficit significare imperfectam & legalem sanctificationem; ergo si gratiam efficere non est de eius ratione, nec de eius ratione erit efficere quod significat, cum solum illam significare sit de eius ratione. Tum etiam, quia Deus potuit in lege veteri instituere Sacramenta, quæ nullam sanctitatem legalem significarent, sed solum veram iustificationem, quæ non ab ipsis, sed à solo Deo fieret, at non potuisset, si de ratione Sacramenti esset efficere quod immediatè significat; ergo, &c. Tum deinde, quia de facto circumcisio immediatè significabat veram ipsam sanctificationem, propter quod ad Roman. 4.

v. 11. appellatur *Signaculum iustitiæ fidei*; ergo cum illam non causaret, non est de ratione Sacramenti efficere quod immediatè significat. Tum denique, quia Sacramenta legis naturæ non erant signa alicuius legalis sanctificationis, sed immediatè significabant gratiam, & veram sanctificationem: at illam non causabant; ergo, &c. Vnde licèt de ratione Sacramenti sit esse signum practicum, hoc est eius quod efficitur, vel ab ipso, vel à Deo ad præsentiam illius: non tamen est de eius ratione ita esse signum practicum, vt ab eo efficiatur quod significat.

Ad 1. factum in principio respondet Mag. Soto vbi supra ad finem articuli: *Sacramenta vniuersa, quatenus Sacramenta sunt, hoc est ratione suæ formæ, quæ est significare gratuitos effectus, collocari in genere signi. Singula tamen secundum suas naturales substantias collocari in genere actionis, seu passionis, vt argumentum probat. Quemadmodum statua ratione sua naturalis substantiæ collocatur in genere substantiæ, est enim aut lignum, aut lapis. sed ratione artificiatæ formæ est in genere qualitatis.*

Ad 2. respondetur negando minorem. Ad probatiouem quidam recentiores dicunt Sacramenta etiam secundum suam rationem formalem, quæ consistit in significatione, non esse mere entia rationis, quia hęc sunt aliquid fictum, nullum habens esse extra intellectum; Sacramenta autem ha-

habent veram vim significandi suum effectum, dum nemo de illis cogitat. Quare secundum rationem formalem sunt potius entia moralia, sicut, & dignitas regia, quæ verè habent esse aliquod extra intellectū, non quidem absolutè reale, sed quasi medium inter ens reale & rationis. Contra hoc tamen est, quia nullus dixit signum ad placitum secundum suam rationem formalem non esse mere ens rationis. Inter ens reale, & rationis non dari medium etiam docent omnes, & nos ostendimus 1. p. q. 4. art. 2. dub. 2. Vis autem significandi suum effectum, quam habent Sacramenta, dum nemo de illis cogitat, similis est ei, quam habet diadema, vel purpura ad significandam regiam dignitatem, quæ non plus entitatis quam rationis habet ab institutione, eamque entitatem licet formaliter non habeat, nisi dum aliquis illam actu cognoscit, fundamentaliter tamen habet, etiā si nullus de ea cogitet, iuxta ea, quæ diximus 1. p q. 19. art. 3. dubio vnico ad 3. secundæ sententiæ.

Respondetur ergo, quamuis esse signum ad placitum sit ens rationis, non esse absolutè asserendum, Sacramenta esse entia rationis: sicut quamuis figura in cathedra sit accidens & ens in alio, non dicimus cathedram esse accidens & ens in alio. Sacramenta enim, sicut & artificiata, non supponunt pro formali, sed pro materiali: quamuis autem significatio, quæ est formale sacramentorū, sit ens rationis; actio-

nes non tamen, vel passiones, quæ sunt materiale illorum, aliquid reale sunt; sicque Sacramenta absolutè non entia rationis, sed vera entia realia dicenda sunt.

Ad tertium respondetur, esse causatiuum gratiæ, quo Sacramenta nouæ legis differunt à Sacramentis veteris legis, non conuenire ipsis ratione formæ, & significationis, sed ratione materiæ & actionis, in qua recipitur diuina virtus, qua eleuantur ad gratiam causandam; sicque licet aliquid reale, posse Sacramenta formaliter esse in genere signi. Vnde argumentum solum conuincit, Sacramenta nouæ legis non solum esse in genere signi ratione formæ, sed etiam in genere causæ ratione materiæ. Coniungitur autem in Sacramentis nouæ legis esse causatiuum gratiæ ratione materiæ cum significatione necessariò, & per se, non quidem absolutè, sed supposita diuina ordinatione, & institutione, qua voluit, vt essent talia Sacramenta signa practica efficientia quod significant.

Ad quartum Mag. Soto vbi supra negat minorem, & ad auctoritatem D. Thom. respondet hic mutasse sententiã. Sed melius respondetur D. Thom. hic diuersimodè agere de Sacramentis, ac in loco citato in argumento ex 4. Sent. Hic enim ait: *Specialiter autem nunc loquimur de Sacramentis, secundum quod important habitudinem signi, & secundum hoc Sacramentum ponitur in genere signi*. Ibi verò in corpore

illius

illius quæstiunculæ inquit: *Diffinitio Magistri completissimè rationem Sacramenti designat, prout nunc de Sacramentis loquimur.* Quamuis ergo Sacramenta nouæ, & veteris legis non conueniant vniuocè in ratione completa Sacramenti constante ex formalis & materialis ratione, sicque rectè ibi ad 5. dicat D. Thom. *Sacramentum non diuiditur per Sacramenta veteris & nouæ legis sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes*: vniuocè tamen conueniunt in ratione Sacramenti, quæ ei competit ratione formalis, qualis est significatio, secundum quam Sacramentum ponitur in genere signi. Huius rei exemplum esse potest cathedra; in cuius ratione formali scilicet figuræ vniuocè conueniunt cathedra lignea, & cathedra picta; non tamen in ratione completa, sed solum analogicè, cum cathedra picta solum habeat figuram & accidentia cathedræ, & solum secundum quid sit cathedra; lignea verò cathedra, præter accidentia, substantiam cathedræ habeat, & simpliciter cathedra sit ad ad sessionem apta. Idem est de Sacramentis: nam vt loco proximè citato subdit D. Thom. *Sacramentum simpliciter est quod causat sanctitatem; quod autem signat tantum, non est Sacramentum nisi secundum quid.* Vnde cum Sacramenta nouæ legis non solum significent sed etiam causent gratiam, simpliciter Sacramenta sunt.

Sacramenta autem veteris legis solum erant signa gratiæ, sicque solum

secundum quid erant Sacramenta, propter quod ad Galatas 4. vers. 9. appellantur, *Infirma, & egena elementa*. Et ad Hebræos 10. ver. 1. de illis dicitur habuisse *Vmbram futurorum*. Ac per consequens in ratione completa Sacramenta solum analogicè conueniebant cum Sacramentis nouæ legis: vniuocè tamen cum his conueniebant in ratione formali Sacramenti, quæ est gratiam significare, cum propriè, & simpliciter signa essent gratiæ per Christum conferendæ. Quia ergo hæc ratio intrinsecè illis inerat, & propriè, secundum illam vniuocè conueniebant cum Sacramentis nouæ legis: & quia completa ratio Sacramenti non ita eis inerat, ea parte qua Sacramentũ est causa gratiæ, sed solum erat in eis ordo ad gratiam causandam à Christo, & eius Sacramentis, cum his solùm analogicè conueniebant: sicut quia vrinæ non inest intrinsecè ratio sanitatis, sed solùm dicit ordinem ad illam, solum secundum quid dicitur sana, in hocque cum animali solum analogicè conuenit.



AR-

ARTICVLVS II.

Vtrum omne signum rei sacræ sit Sacramentum.

Conclusio est affirmans.

Dubium. Cuius rei sacræ signum debeat esse Sacramentum.

EST de hac re sententia quorundam recentiorum, quam etiam tenere videtur Mag. Cano in 1. par. Relectionis de Sacramentis in genere, ad rationem Sacramenti non requiri esse signum rei sacræ perfectè sanctificantis, qualis est gratia, sed sufficere, significare imperfectam, & legalem sanctificationem, qua per sacramenta veteris legis homines sanctificabantur.

Probatur 1. De ratione Sacramenti solum est significare illam sanctitatem, quā conferre potest, nam est signum practicū: sed non omnia Sacramenta possunt conferre perfectam sanctitatem, quæ fit per gratiam, hoc enim est proprium sacramētorum nouę legis; ergo non est de ratione Sacramenti significare perfectam sanctitatem, sed sufficit, vt legalem, aut imperfectam significet.

Secundò. Ad rationem Sacramenti sufficit significare rem sacram & sanctitatem,

quæ est propria illius status, ad quem pertinet: sed sanctitas legalis erat propria status veteris legis, nam sicut ille status erat tantum figura, & vmbra status gratiæ, ita sanctitas illi propria erat quasi vmbra veræ sanctitatis, & consistebat in quibusdam iustitijs carnis, vt colligitur ex Apostolo ad Hebræos 9. ver. 23. ergo ad rationem Sacramenti veteris legis, sufficiebat hanc rem sacram, & sanctitatem legalem significare.

Secunda sententia est aliorum, quam tenet Mag. Soto in quarto, dist. 1. quæst. 2. artic. 2. de ratione Sacramenti esse significare rem sacram perfectè sanstificantem, qualis est gratia: non tamen in actuali vsu Sacramenti conferendam suscipienti Sacramentum, nam Sacramenta veteris legis non hanc gratiam significabant, sed eam, qua per Christum in lege noua erant homines sanctificandi.

Probant primò ex Concil. Florent. in quo dicitur Sacramenta legis antiquæ significasse gratiam per passionem Christi dandam; ergo non conferendam in actuali vsu ipsorum sacramentorum.

Secundò ex D. Thom. hic enim ad secundum dicit immolationem agni paschalis esse Sacramentum, quia significabat immolationem Christi, *qua sanctificati sumus*; ergo sanctitas, quam significabat, non erat quæ conferebatur in vsu illius Sacramenti; sed quæ per Christum conferenda erat hominibus. Et articulo præcedente

ad

ad primum ait, sanctitatem a qua denominatur Sacramentum, significari per modum causæ formalis, vel finalis; sufficit ergo ad Sacramentum significare gratiam per modum causæ finalis. At hæc gratia non confertur in actuali vsu Sacramenti, nam quæ in hoc confertur, cum formaliter sanctificat suscipientem, per modum causæ formalis significatur; ergo, &c.

Dicendum tamen est primò. De ratione Sacramenti esse significare rem sacram, hoc est perfectam sanctitatem, quæ fit per gratiam. Probatur, primo, argumentis secundæ senteutiæ, in illis enim auctoritatibus sermo est de sanctitate non legali, sed perfecta, quæ per gratiam fit. Confirmatur, nam in cap. *Sacrificium*. de consecrat. distinct. secund. de Sacramento in communi dicitur: *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma*, Quod ex Magistr. Sentent. in quarto, dist. prima, sumptum est, approbaturque Concil. Tridentin. Session. 13. cap. 3. ergo res sacra, cuius signum est Sacramentum, gratia est perfectam tribuens sanctitatem.

Secundò. In veteri lege erant multæ cæremoniæ, quæ imperfectam, & legalem sanctificationem significabant, & efficiebant, vt colligitur ex illo ad Hebræos 9. vers. 10. *Solummodo in cibis, & potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis*.

At

At non omnes erant Sacramenta, sed multę illarum purę cæremonię, quis enim dicat omnes illas ablutiones, quibus mundabatur corpus, & iustitia carnis ac sanctitas quędam legalis conferebatur, fuisse Sacramenta? ergo ad rationem Sacramenti non sufficit significare, aut efficere imperfectam & legalem sanctificationem.

Tertiò. Quia si de ratione Sacramenti esset significare gratiam, & perfectam sanctitatem, sed sufficeret significare, legalem aut imperfectam, sequeretur multa Sacramentalia, quę sunt in Ecclesia, esse Sacramenta, significant enim, imo & conferunt aliquam imperfectam sanctitatem: sed hoc est falsum; ergo, &c. Si dicas, ad rationem Sacramenti in veteri lege sufficere significare imperfectam sanctitatem, quia hæc erat propria illius status: non tamen in lege noua, quia sanctitas propria legis nouę est vera & perfecta; sicque Sacramētalia, quæ sunt in Ecclesia, licet significent, & conferant imperfectam sanctitatem, non esse Sacramenta. Contra hoc est: Tum quia sicut modo Ecclesia potest instituere quædam sacramentalia, ita & in lege veteri, licet non tam perfecta, aliquam tamen legalem & carnis sanctificationem & mūditiam significantia, & efficientia: at tunc talia sacramentalia non essent Sacramenta, aliàs non esset proprium Dei instituere Sacramenta, quod est falsum, vt patebit infra q. 64. art. 2. ergo ad rationem Sacramenti non sufficit significare, & efficere imperfe-

ctam

ctam sanctitatem. Tum etiam quia Sacramenta nouæ & veteris legis eiusdem rationis sunt, & vniuocè conueniunt in ratione significandi rem sacrã: at non essent, si ad illa sufficeret significare imperfectam sanctitatem, & non ad nostra; ergo &c. Tum deinde, quia alias si in lege veteri institutum fuisset à Deo aliquid ad significãdum solam perfectam sanctitatem, & non legalem, non esset verum Sacramentum, nam nõ significaret sanctitatem propriam illius status: sed hoc est falsum; ergo, &c. Tum denique, nam vt hic ad 3. ait D. Th. *Res denominatur à fine, & complemento: dispositio autem non est finis, sed perfectio. Et ideo quæ significant dispositionem ad sanctitatem, non dicuntur Sacramenta, sed solum ea quæ significant perfectionem sanctitatis humanæ.* Sed hęc ratio æqualiter procedit de Sacramentis in quocumque statu: propter quam etiam si sacramentalia quę modo sunt in Ecclesia, instituta fuissent in veteri lege vel ab Ecclesia, vel ab ipso Deo immediatè cũ eadem vi significandi, & efficiendi eosdem effectus, quos modo habent, non fuissent Sacramenta; ergo ad rationem Sacramenti nõ sufficit significare sanctitatem imperfectam, quæ est dispositio ad perfectam, sed requiritur, vt sanctitatem perfectam, quæ est per gratiam, significet.

Dicendum est secundò, De ratione Sacramenti esse significare rem sacram, & perfectam sanctitatem in actuali vsu & susceptione Sacramenti conferendam susce-

fcipienti Sacramentum. Probatur 1. Nam Sacramentum, vt hic ait D. Thom. *Est signum rei sacrę, in quantum est sanctificans homines*. Vbi per homines illi intelligendi sunt, qui Sacramentum fuscipiunt; ad rationem enim Sacramenti, ficut non fufficit fignificare fanctitatem Chrifti, qua in fe fanctus eft, vt hic ad 2. dicit D. Thom. ita nec fufficit fignificare fanctitatem, qua alij non fufcipientes illud Sacramentum fanctificantur: at fanctitas quæ confertur fufcipienti Sacramentum in vfu ipfius Sacramenti confertur, ergo, &c.

2. Quia vt ait D. Thom. infra q. 62. art. 6. *Circumcifio, ficut & alia Sacramenta veteris legis, erat folum fignum fidei iuftificantis. Et ideo in circūcifione conferebatur gratia in quātum erat fignum paffionis Chrifti futurę*. Ergo ficut in actuali vfu circumcifionis conferebatur gratia, huiufque in eius vfu conferēdę fignum erat, idem erit de alijs Sacramentis veteris legis. Cumque hoc non habeant Sacramenta nifi ex Dei inftitutione, intrinfecum erat eis effe figna gratiæ conferendæ in eorum vfu: nam quod habent Sacramenta ex Dei inftitutione, intrinfecum eft illis. *Nec obftat* (inquit D. Thom. in 4. dift. 2. q. 1. art. 2. quęftiuncula prima ad 4.) *fi aliquis fanctitatem non recipit: quia non eft ex defectu Sacramenti, quod quantum eft in fe natum eft gratiam conferre*, Si fit Sacramentum nouę legis: aut faltem vt in eius vfu gratia conferatur, fi fit Sacramentum legis veteris,

Ter-

Tertiò, D. Thom. in 4. dist. 1. quæst. 1. artic. 2. quęstiunc. 1. ad 8. ait serpentem æneum non fuisse Sacramentum, & rationem assignat: *Quamuis serpens aneus esset signum rei sacræ sacrantis; non tamen in quantũ sacrans est actu, quia nõ ad hoc adhibebatur, vt aliquis sanctificationis effectus perciperetur.* Ergo nec alia veteris legis essent Sacramenta, si non adhiberentur, vt sanctificationis effectus perciperetur in ipso vsu, & applicatione eorum.

Quartò, Nam si ad rationem Sacramenti sufficeret significare gratiam, non quæ confertur in eius vsu, sed quę conferenda erat per passionem Christi in lege Euangelica, sequeretur omnia sacrificia legis veteris fuisse Sacramenta; significabant enim gratiam dandam per Christi passionem in lege Euangelica, vt docet D. August. lib. 5. contra Iulianum cap. 9. sed hoc est falsum, vt colligitur ex D. Thom. 1. 2. quęst. 101. art. 4. ergo, &c. Idem argumentum fieri potest de ceremonijs omnibus legis Mosaycę, omnes enim significabant Christum & gratiam per eum dandam tanquam vmbrę futurorum. Idem de matrimonio, tam in lege naturæ, quam Mosaycæ; significabat enim coniunctionem Christi cum Ecclesia, & consequenter gratiam per Christum dandam; quod tamen non erat Sacramentum propriè dictum.

Ad argum. autem 1. sententię respond. Ad 1. negando maiorem; ad rationem enim

Sacramenti requiritur significare perfectã sanctitatem, quam confert, aut quæ in actuali eius vsu confertur, & hoc sufficit vt aliquo modo sit signum practicum.

Ad secundum respondetur, maiorem solum esse veram, si res sacra & sanctitas propria illius status habeat rationem finis, & complementi in illo statu, nam vt hic ad 3. ait D. Thom. *Res denominatur à fine, & complemento*. Sanctitas autem legis non habebat rationem finis, & complementi in statu legis veteris, sed ordinabatur ad verã sanctitatẽ, vt quædam dispositio ad illam, & sic eam significare non sufficiebat ad rationem Sacramenti.

Ad argumenta secundę sententię respondetur. Ad primum negando consequentiam; solum enim sequitur, Sacramenta veteris legis non significare gratiam conferendam virtute, & causalitate ipsorum; conferendam enim in vsu actuali ipsorum virtute, & merito passionis Christi significabant. Vnde per gratiam dandam per passionem Christi non intelligit gratiam dandam tunc, sed post Christi passionem, sed gratiam tunc dandam propter meritũ tamen passionis Christi futuræ.

Ad secundum respondetur, illud, *Qua sanctificati sumus*, non esse solum referendũ ad homines qui post Christi passionem nati sumus, sed ad omnes homines, etiam qui Christi incarnationem præcesserunt: quia omnes Christi passione, seu immolatione sanctificati sunt, & ex meritis passionis Chri-

Christi gratiam, & sanctificationem acceperunt; Vnde non sequitur sanctitatem, quam significabat immolatio agni paschalis, non conferri in vsu illius Sacramenti, sed solum non conferri virtute Sacramenti illius, sed virtute immolationis Christi, & propter Christum. Ad aliam auctoritatem dico, ad rationem Sacramenti non sufficere significare gratiam per modum causæ finalis vtcumque; aliàs enim quę in veteri testamento significabant sanctitatẽ Christi, vt in se sanctus est, essent Sacramenta, nam illam vt finem significabant, sicut & Christum, qui legis finis est, quod est contra D. Thom. hic ad 2. sed requiri significare gratiam per modum causę finalis, in quantum est sanctificans homines tale Sacramentum suscipientes: talis autem gratia in vsu actuali Sacramenti confertur, vt in susceptione circumcisionis (& idem est de alijs Sacramentis legis antiquę) conferebatur.



AR-

ARTICVLVS III.

Vtrum Sacramentum sit signum vnius tantum.

Conclusio est negans.

Dubium. An sit de intrinseca ratione Sacramenti significare plura.

TRia per Sacramenta significari docet D.Thom. gratiam, quę est formæ nostrę iustificationis: passionem Christi, quę est nostræ sanctificationis causa; & vitam ęternam seu gloriam, quę est vltimus finis sanctificationis nostrę. Et quamuis quòd subdit S. Doctor. *Sacramentum est rememoratiuum eius quod præcessit, scilicet passionis Christi: & demonstratiuum eius quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ: & prognosticum, idest prænuntiatiuum futuræ gloriæ;* Solis Sacramentis nouę legis conueniat, saltem primum, nam passio Christi non præcessit legis veteris Sacramenta: certum tamen est omnibus Sacramentis, tam nouę, quam veteris legis conuenire tria hęc significare, nam licet Sacramenta veteris legis non significarent passionem Christi vt prętcritam, illam ta-

men

men vt futuram significabant. De his ergo tribus quęrimus, an sit de intrinseca ratione Sacramenti ista tria significare.

Dicendum est primò, licet non sit de intrinseca ratione Sacramenti absolutè hęc tria, ac per consequens plura significare; intrinsecè tamen conuenire Sacramentis iam institutis. Prima pars probatur primò, ex D. Thom. hic ad 3. dicente: *Sufficit ad rationem Sacramenti, quod significet perfectionem quæ est forma*. Quam in corp. art. gratiam esse dixerat.

Secundò, Deus potest instituere aliquod Sacramentum, quod solum significet gratiam dandam in vsu ipsius Sacramenti immediatè à Deo absque ordine ad passionem Christi, aut gloriam; ergo non est de intrinseca ratione Sacramenti absolutè significare illa tria, sed ad eius rationem sufficit significare gratiam.

Secunda pars probatur primò, quia Sacramenta iam instituta significant illa tria ex diuina institutione: sed quod conuenit Sacramentis ex propria institutione, qua instituta sunt à Deo, intrinsecum est illis, sicut & habere esse ex tali institutione, ergo, &c.

Secundò, Quia cum Sacramenta sint quędam cęremonię religiosę pertinentes ad eandem legem, in qua sunt instituta, significatio illis intrinseca debet esse proportionata illi legi; ergo cum lex vetus esset figura Christi venturi, illumque vt venturum profiteretur, lex verò

noua

noua profiteatur Christum iam passum; Sacramenta veteris legis ex sua intrinseca ratione significabant passionem Christi, vt futuram, & Sacramenta nouę legis vt iam executioni mandatam tanquam causam gratiæ & cõsequenter glorię, cuius pignus est gratia, sicque tria hęc.

Si quęras autem, an Sacramenta iam instituta sint eiusdem generis & speciei cum Sacramentis quę Deus potest instituere solam gratiam significantibus? Respondetur, certum esse, eiusdem generis esse: nam hæc & illa conuenirent in ratione generica Sacramenti, quę est esse signum rei sacrę. Quidam tamen existimant diuersę speciei esse: quia de ratione sacramentorum institutorum est significare gratiam in ordine ad passionem Christi, & gloriam, quod nõ conueniret alijs Sacramentis, quę possunt à Deo institui. Alij verò eiusdem speciei esse dicunt: quia licet significare passionem Christi, & gloriam sit modus quidam intrinsecus & conditio necessaria ex diuina institutione in Sacramentis iam institutis, non tamen pertinet ad essentiã talium sacramentorum. Vnde sicut eiusdem speciei est contritio, quæ modo intrinsece dicit ordinem ad Sacramentum pœnitentię, cum contritione quę in lege naturę, aut scripta non dicebat ordinem ad tale Sacramentum: ita Baptismus modo institutus, qui significat gratiam in ordine ad passionem Christi, & gloriam, eiusdem speciei est cum Baptismo quem Deus po-

test instituere solam gratiam significantem.

Dicendum est secundò Sacramentis iam institutis principalius conuenire significare gratiam, quam passionem Christi, & gloriam. Probatur primò, nam id indicant verba D. Thom. hic ad ad 3. relata à nobis conclus. 1. & illud clarius asserit Sanct. Doct. in 4. dist. 1. quęst. 1. art. 1. quęstiuncula prima ad 4. nam de Sacramentis nouę legis ait: *Item significant effectum sanctificationis quem faciunt, & hæc significatio est eis principalis.*

Secundò, Quia vt hic ait D. Thomas *Sacramentum propriè dicitur, quod ordinatur ad nostram sanctificationem. Sed nostra sanctificatio principaliter consistit in gratia*, qua vt forma intrinseca iustificamur; ergo hęc est significatum principalius Sacramenti, propter quod alia significantur, passio quidem Christi, quia est causa illius; gloria verò, quia est illius finis.

Si dicas, in Sacramento Eucharistię forma consecrationis non significat principaliter gratiam, sed corpus & sanguinem Christi; ergo non omnia Sacramenta significant gratiam principalius. Respondetur, corpus, & sanguinem Christi in Eucharistia esse id, quod est res & Sacramentum simul, sicque vt talia sunt significari ab eo quod est Sacramentum tantum, & à verbis consecrationis. Cum autem res & Sacramentum simul significatur propter id

quod

quod est res tantum, nam ad hoc sign
candum ordinatur; Corpus, & Sang
Christi, licet immediatè & expressè
gnificentur per verba consecrationis, n
sunt illorum principale significatum,
fortè grammaticale, sed significatum
cramentale principalius est gratia ciba
ac animam hominis reficiens, ad quar
sicut ad rem tantum significandam o
nantur Corpus, & Sanguis Christi, vt c
tinentur in Eucharistia. Simile contin
in Sacramento Ordinis; licet enim si sol
consideremus significationem gramm
calem verborum formæ illius *Accipe*
testatem, &c. principale significatum
illa potestas; si tamen attendamus san
ctificationem sacramentalem,
non illa, sed gratia, quæ est
res tantùm illius Sa-
cramenti, est prin-
cipalius signi-
ficatum.
(✠)



AR

ARTICVLVS IV.

Vtrum Sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An recta sit diffinitio Sacramenti, quam hic proponit D. Thomas.

HAnc diffinitionem sacramenti proponit D.Thom. hic in argumento primo, eamque in eius solutione admittit & approbat, quam & art. 2. proposuerat: *Signum alicuius rei sacræ, in quantum per eam homo sanctificatur.*

Contra illam arguitur primo, cum Hugone de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis, par.9.cap.2. Imagines & Crux sunt sacrarum rerum signacula: & tamen non sunt sacramenta; ergo non est recta prędicta diffinitio sacramenti.

Secundò, Verbis illis, quę Christus dixit Magdalenæ Luc.7. vers.49. *Remittuntur tibi peccata*, conuenit hęc diffinitio, nam erant signum gratiæ, qua sanctificata est Magdalena, & non fuerunt sacramentum; ergo non est recta, cui enim conuenit bona diffinitio, debet quoque diffinitum conuenire.

Tertiò, Sacrificia legis veteris non era sacramenta: sed erant signa rei sacrę sanc ficantis nos,nam significabant immolat nẽ Christi, qua sanctificati sumus; ergo rectè diffinitur prædicto modo sacrame tum.

Quartò, Sacramentum debet esse se per res aliqua sensibilis,vt hic docet D.T sed esse signum rei sacræ, cum sit aliqu rationis, non est res sensibilis; ergo m diffinitur sacramentum, *signum,&c.*

Dicendum tamen est: Optimam ess diffinitionem sacramenti,quam hic prop nit D.Thom. & in principio huius dubij tulimus. Probatur 1. nam illa sumpta ex Mag. Sent. in 4. d.1. vbi & aliam add ait namque in principio distinctionis: *cramentum est sacra rei signum. Item sac mentum est inuisibilis gratia visibilis forma.* Vtraque autem habetur in Can.*sacrificiu* De consecrat. dist.2 & approbatur in Co cilio Tridentino sesion. 13, cap.3. dum dicitur commune esse Eucharistiæ cum cæteris sacramentis, *Symbolum esse rei sacr & inuisibilis gratia formam visibilem.*

Secundò probatur singulas illius partic las explicando. Ante omnia autem adue tendum est, parum aut nihil differre à cunda diffinitione quam Mag. Sent. addi Forma enim in secunda diffinitione po ta, licet, vt docet D.Thom. in 4.d.1. qu. art.1.quæstiunc.3.ad 2. sumatur pro figur quæ & imago dicitur; non tamen sumit pro figura, vel imagine, vt est naturalis

mi-

militudo rei repręsentatæ, sed quatenus per illam aliquid ex hominum beneplacito significatur. Vnde S. Doct. ibidem subdit, formam pro figura accipi: *Quia per mutationem figuræ imaginibus aliquid repræsentatur.* Pingit aliquis iuuenem pulchrum, hominem repræsentat; Addit imagini alas, repræsentat Angelum: Superaddit cornua in capite, vel in pedibus vngues rapacis volucris, & diabolum significat. Forma ergo in posteriori diffinitione idem est, ac signum, quod ponitur in prima diffinitione. Gratia autem posita in secunda diffinitione, licet sit minus vniuersalis, quam res sacra posita in prima diffinitione, est tamen res sacra principaliter significata, & ex illa colligi potest integra, & adæquata significatio sacramenti, cum pro causa habeat passionem Christi, & pro fine gloriam. Hoc supposito.

Prima particula diffinitionis est *signum*, & genus explicat Sacramenti, quod, vt dictum est artic. 1. collocatur in genere signi. Et quamuis rectè possit diffiniri sacramentum per eius materiam dicendo. Est res vel actio rem sacram significans; optimè tamen etiam diffinitur per eius genus. Debet autem sacramentum esse signum ad placitum, vt art. 2. ostendimus, & signum sensibile, cuius scilicet significatio per rem sensibilem impleatur, vt hic probat D. Th. istæque proinde duę particulę addi possent in eiusdem diffinitione. Sed satis est eas

subintelligi: quia constat sacramentum nō posse esse signum naturale gratię, & etiam sensibile debere esse, cum connaturale sit homini per sensibilia peruenire in cognitionem intelligibilium. Posset quidem Deus instituere sacramenta in rebus spiritualibus, vt in actibus intellectus, aut voluntatis; illa tamen magis essent sacramenta Angelica, quam humana, quia non essent signa proportionata homini, sed Angelo, sicque alterius ordinis, & rationis essent à sacramentis iam institutis: nam quāuis gratiam eandem significarent; non tamen eodem, sed diuerso modo hominis naturæ non accommodato.

Secunda particula est, *Alicuius rei sacræ*, quę differentiam constitutiuam sacramenti explicat; hæc enim per ordinem ad rem significatam sumitur. Debet autem hæc res sacra esse perfectę sanctificans, qualis est gratia, vt ostensum est art. 1. Vnde nec sacramentalia, quę sunt in Ecclesia, nec quæ in veteri lege significabant solam sanctitatem legalem, dicenda sunt sacramenta: quia sanctitas ab eis significata solum habet rationem dispositionis ad perfectam sanctitatem, quæ est per gratiam.

Tertia particula est, *In quantum per eam homo sanctificatur*, quam addidit D. Thom. diffinitioni adductæ à Mag. Sent. maioris explicationis gratia: quia res sacra significata per sacramentum debet esse nō solum sacra in se ipsa, alias omnes creaturæ sensi-

bi-

biles, quæ significant sapientiam & bonitatem diuinam, essent sacramenta; sed pertinens ad homines in quãtum per eam sanctificantur. Intelligenda autem est de re sacra, per quam sanctificantur homines in ipso vsu, & susceptione sacramenti. Vnde quæ in lege veteri significabant sanctitatem, qua Christus in se sanctus est, non erant sacramenta: & modo Baptismus susceptus ab aliquo non habet rationem sacramenti per ordiné ad sanctitaté, quæ alteri confertur, sed quę cõfertur ipsi suscipienti Baptismũ in vsu, & susceptione talis sacram.

Magister Sentent. in quarto, dist. prima. huic & secundæ diffinitioni, quas proposuerat, aliam particulam addidit nempè: *Quod ita signum est gratiæ* Dei. *& inuisibilis gratiæ forma, vt ipsius imaginem gerat, & causa existat*. Qua particula addita, vt ibi quęst prima, artic. 1. quæst. 3. ait D. Thom. diffinitio completissime rationem sacramenti explicat, tam scilicet quæ conuenit ei ratione formæ, quàm quę ei conuenit ratione materiæ. Tunc tamen, vt ibidem ad 5. inquit Sanctus Doctor sacramentum diffinitum, *Non diuiditur per Sacramentum veteris & nouę legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes, vt sanum in habens sanitatem, & signans eam*: Cum autem ratio analogi, quia non est omninò eadem, sed partim eadem, & partim diuersa, non conueniat adæquatè omnibus analogatis, non opus est vt tota diffinitio Sa-

cramenti, si ei addatur hęc particula, conueniat sacramentis veteris legis, sed satis est, vt eis conueniat esse signa gratię.

Sed quia D.Thom. vt ipse ait artic. 1. hic loquitur de sacramentis, *Secundum quod important habitudinem signi*, quæ eis conuenit ratione formæ, satis fuit in diffinitione sacramenti tres particulas explicatas apponere, quæ omnes ęqualiter, & vniuocè conueniunt omnibus tam nouę, quam legis veteris sacramentis, diffinitumque proinde talis diffinitionis, nempè sacramentum formaliter sumptum, genus est respectu omnium illorum.

Ad secundum autem factum in principio respondetur, imagines, & crucem Christi, licet significent rem sacram, vt in se ipsa talis est; non tamen per modum sacrantis seu in quantum per eam nos sanctificamur, pręsertim in vsu earum, quod ad rationem sacramenti requiri diximus, sicque non mirum, si non sint sacramenta.

Ad secundum respondenur negando minorem: nam quamuis verba illa significarent gratiam, quę tunc collata est Magdalenę; quasi speculatiuè, & grammaticaliter; non tamen sacramentaliter quasi signa instituta ad significandam gratiam conferendam in vsu illorum.

Ad tertium respondetur, legis veteris sacrificia, quę significabant immolationem Christi, qua sanctificati sumus, fuisse legis

illius

illius ſacramenta; de his enim, & præſertim de immolatione agni paſchalis, ait D. Thom. hic art. 2. ad 2. *Talia dicuntur propriè veteris legis Sacramenta*. Vnde & rationem ſacrificij, & rationem ſacramenti habebant, ſicut & modo habet Euchariſtia; diuerſimodè tamen: nam vt inſtituta ad ſignificandam gratiam quę in eorum vſu cōferebatur ex meritis paſſionis Chriſti futuræ, erant ſacramenta, vt inſtituta vero ad Dei cultum, vt ſcilicet Deus per illa coleretur, erant ſacrificia.

Ad quartum reſpondetur D. Thom. hic loqui de ſacramento ratione materialis, hoc enim ſemper debet eſſe res aliqua ſenſibilis, per quam ſignificatio ſacramenti impleatur, ſitque id quod ſignificat. Si tamen de illo ratione formalis ſit ſermo, non eſſe niſi ens rationis; ſicque per ſignum diffiniri poteſt, quod etiam ratione materialis, eius ſcilicet quod ſignificat, res ſenſibilis eſſe debet; ratione vera formalis, quod eſt ipſa ſignificatio, non niſi ens rationis eſt.



ARTICVLVS V.

Vtrum requirantur determinatæ res ad Sacramenta.

Conclusio est affirmans.

DE Sacramentis nouæ legis eam probat D.Thom.in corp.artic.quia cum sanctificatio hominis fit in potestate Dei sanctificantis, in sacramentis nouæ legis, quibus homines sanctificantur, oportet vti rebus ex diuina institutione determinatis, & non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res, quibus sanctificetur: quia non pertinet ad aliquem determinare, quod est in potestate alterius.

De Sacramentis veteris legis etiam esse veram conclusionem docet S. Doctor in solutione tertia; & probari potest: nam quamuis illis nō sanctificarentur homines tanquam causis gratiæ; ad præsentiam tamen illorum, seu illis positis, Deus gratiam conferebat, illaque homines sanctificabat: sicut autem res, quibus sanctificantur homines, debent esse determinatæ ex diuina institutione: ita & res ad quarum præsentiam, seu quibus positis homines à Deo sanctificantur.

De sacramentis legis naturæ ibidem asserere videtur D. Thom. ad illa non fuisse

re-

requisitas res determinatas. Quod falsum videtur, cum sit eadem ratio de illis, ac de sacramentis legis scriptæ, nam etiam ad præsentiam illorum seu illis positis, Deus conferebat gratiam, & sanctificabat homines, vt patet in eo, quo paruuli à peccato originali mundabantur. Sed asserendū est, D.Th. non loqui de rebus, in quibus consistebant sacramenta legis naturæ, quæ nihil aliud erant, quam quædam externæ protestationes fidei Mediatoris venturi, hæ namque determinatæ fuerunt ex diuina institutione Adæ reuelatę: sed de rebus quibus huiusmodi protestationes fiebant, quæ non fuerunt determinatæ, sed ex interiori instinctu determinabatur hominibus, quibus rebus sensibilibus internam fidem Mediatoris exprimerent, illamque exterius protestarentur: quibusdam quidem vt illam protestarentur hoc ritu, alijs vt illam alio ritu protestarentur. Sed de hoc latius inferius q.61.art.3.agemus.



ARTICVLVS VI.

Vtrum in significatione Sacramentorum requirantur verba.

Conclusio est affirmans.

Illam restringendam esse ad sacramenta nouæ legis constat ex solutione tertij. In veteri enim lege, quamuis in nonnullis sacramentis vterentur aliquibus verbis, tam Sacerdotes, qui erant sacramentorum illorum ministri, quam etiam illi, qui illis sacramentis vtebantur, eaque recipiebant: non tamen ad omnia sacramenta requirebantur verba, vt patet in circumcisione, & in esu, ac immolatione agni paschalis, in quibus nulla proferebantur verba. Idem est de sacramentis legis naturæ; ad illa enim nulla requirebantur verba, sed sufficiebat fidem Mediatoris exprimere, illamque protestari actu, aut signo aliquo exteriori.



Dubium. An Sacramenta noua legis componantur ex rebus, & verbis sicut ex materia, & forma.

PArs negans probatur primo. Materia & forma debent esse simul in eis, quæ ex ipsis componuntur: sed in sacramentis nouæ legis res & verba non sunt, aut non necessario debent esse simul; ergo, &c. Minor probatur, nam in Sacramento Baptismi res, scilicet ablutio, potest præcedere verba, & è contra verba possunt præcedere ablutionem,

Secundò, In sacramento Eucharistiæ transacta consecratione, quæ fit verbis, species sacramentales habent veram rationem sacramenti: at tale sacramentum non componitur ex rebus & verbis, sed in solis rebus consistit; ergo non omnia sacramenta nouę legis cõponuntur ex rebus & verbis tanquam ex materia & forma.

Tertiò, In Sacramento Pœnitentiæ prętcr verba confessionis pœnitentis, & absolutionis Sacerdotis non requiruntur aliquæ res; ergo non componitur ex rebus & verbis, sed in solis verbis consistit.

Quartò, Sacram. Matrim. potest fieri aliquando solis verbis, si contrahentes exprimant consensum verbis, aliquando solis rebus, si contrahentes nutibus aut literis consensũ exprimant. In illo etiam nõ potest assignari quid habeat rationẽ materię, & quid rationem formæ, cum ex ęquo se habeat

consensus expressio viri & fœminę ; ergo tale sacramentum non componitur ex rebus & verbis tanquam ex materia, & forma.

Quintò, in omnibus sacramentis significatio est forma illorum, cum omnia sint signa ; ergo non requiruntur verba, quæ habeant rationem formæ.

Dicendum tamen est Omnia Sacramenta nouæ legis constare rebus, & verbis. Oppositum huius docuit Durandus in 4. d.1. q.3. nu.6. Sed nostra conclusio colligitur ex Concil. Florentin. afferente verbis concl.seq. referendis, omnia sacramenta perfici rebus, & verbis. Quamuis enim in quibusdam sola verba inueniantur; aliqua tamen ex illis verbis pro rebus accipiũtur, & hoc sufficit vt verificetur, omnia sacramenta nouę legis perfici verbis & rebus, vel in rebus & verbis consistere. Negat hoc Durandus vbi supra num. 8. *Quia cum dicitur sacramentum constare ex rebus & verbis, res & verba sunt duo separata : ita quod nec verba possunt accipi pro rebus, nec res pro verbis, si dictum illud debeat verificari*. Eius tamen sententia merito censetur temeraria aut maiori censura digna. Nam necesse est, dictum illud verificari iuxta doctrinam Conc. Flor. & vt verificetur opus est res aliquas accipi pro verbis, & aliqua verba pro rebus, cum constet in Sacramento Pœnitentiæ tam absolutionem Sacerdotis, quam confessionem pœnitentis fieri verbis, quamuis hæc aliquando fiat nutibus &

signis ;

signis: & in Sacramento Matrimonij cõmuniter consensum vtriusque contrahentium verbis exprimi, quamuis aliquando nutibus aut signis exprimatur.

Dicendum est secundò, Rebus & verbis tanquam ex materia & forma constare & perfici omnia sacramenta nouę legis, ex illisque tanquam ex partibus essentialibus componi. Prima pars probatur primo ex Conc. Flor. in decreto vnionis, vbi dicitur: *Omnia sacramenta perficiuntur rebus tanquam materia, verbis tanquam forma.*

Secundò ex D. Thom. hic ad secundum dicente: *Ex rebus & verbis fit quodammodo vnum in sacramentis, sicut ex forma, & materia.*

Tertiò, Ratione sumpta ex D. Thom. In qualibet re illud quod est determinabile per aliud habet rationem materię; illud verò quod determinat, & perficit, habet rationem formæ: sed in omnibus sacramentis nouę legis res sensibiles sunt determinabiles per verba, cum sint indifferentes ad multa, verba autem determinant illas ad vnum: *Aqua enim significare potest, & ablutionem propter suam humiditatem, & refrigerium, propter suam frigiditatem. Sed cum dicitur, Ego te baptizo, manifestatur quod aqua vtimur in Baptismo ad significandum emundationem spiritualem.* Ergo in sacramentis res sensibiles habent rationem materiæ, verba autem rationem formæ.

Secundam partem negant nonnulli asserentes, formam in sacramentis esse aliquid

sa-

sacramentale, non tamen essentiale ipsam cum materia componens; sed solam materiam esse, in qua sacramenta essentialiter consistunt. Sed illam docet expressè D. Thom. in 4.d.1 q.1.ar.3. ad 2. dicens *Verba & res sunt de essentia sacramenti, & ideo Magister in his duobus dicit constare sacramenta.*

Secundò probatur. Omnia enim quæ constant materia, & forma, ex illis componuntur, & quamuis forma non sit essentialis materiæ, essentialis est tamen composito, cuius essentia saluari non potest sine forma: vnde in artificialibus, licet materia sola sit pro qua supponunt; non tamẽ ipsa sola est, in qua essentialiter consistunt; forma enim intrinseca, & essentialis est illis per modum vltimi complementi essentialis, & sine forma artificiali essentiam rerum artificialium saluari non potest; ergo cum sacramenta constent materia, & forma, sicut & artificialia; ex illis tanquam ex partibus essentialibus componuntur, quãuis pro materia supponant.

Nec huic obstat modus loquendi Conc. Florent. vbi supra dicentis *sacramenta perficiuntur*, & non componuntur. Nam verbo illo vtitur, propter id quod addit: *Et persona ministri, &c.* Constat enim personã aut intentionem ministri non esse partem essentialem sacramenti, quamuis sit ad illud necessario requisita. Non obstat etiam, D. Thom. infra q.84.ar.1.ad 2. formam sacramenti pœnitentiæ appellare *Complemẽtum*

tum sacramenti. Nam loquitur de complemento essentiali, non accidentali. Non obstat denique quod ait Mag. Soto in 4. dist. 3. quæst. vnica art. 1. *Baptismus non est velut compositum in genere substantiæ, sed sicut res artificiata, cuius tota substantia est ipsa materia*. Nam non est idem substantia & essentia rei, sicque licet in artificiatis & in sacramentis forma sit de essentia illorũ; non tamen est de substantia illorum, ac per consequens non sunt ex illa & materia veluti compositum in genere substantiæ, nec supponunt pro tali composito, sicut homo supponit pro corpore & anima, sed tota substantia illorum, pro qua supponunt, est materia habens talem formam. Quamuis autem ex materia, & forma illorum non fiat vnum compositum substantiale, fit tamen vnum compositum artificiale, quod ens reale est; & aliquo modo vnum per se in genere artificialis, etiamsi componentia sint diuersorum prædicamentorum. Vnde idem Mag. Soto in quarto d. prima, quæst. 1. ar. 6. ait. *Res se habet vt materia, quæ per verborum formam limitatur & perficitur. Et ideò ex ambobus sicut ex materia, & forma, vt in solutione secundi auctor est D. Th. vnum resultat sacramentum*.

Ad primum autem factum in principio glossa in cap. *Detrahe* 1. quæst. 1. & Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 26. negant minorem; existimant enim res & verba debere esse simul tempore in toto, vel saltem in parte, ita vt licet nõ sit necessarium ablutionem

in

in Baptiſmo durare quamdiu durant verba formæ; neceſſe tamen ſit, vt durante aliqua parte verborum fiat ablutio; alias nāque non verificarentur verba formæ. Sed Mag Soto in 4.diſt.3.quæſt. vnic.ar.8.hanc ſententiam impugnat, & ait. *Non debere vſque adeo ſtrictim hoc ſimul, intelligi, ſed morali modo, hoc eſt, vt humanus habet vſus. Qui enim phyalam ori admouens ait, ego bibo, & continuo bibit, ſimul cenſetur id dicere, & facere: & pariter ſi dicat crucem oſculor, & ſtatim oſculum porrigat. Pari ergo ratione ſi quis prius dicat, Ego te baptizo, vel ego te chriſmo, & protinus mergat, vel chriſmate vngat, ſat eſt: illud enim proximum tempus cēſetur humano more præſens.* Iuxta quam doctrinam, quæ communis eſt inter Theologos, aſſerendum eſt, non in omnibus, quę componuntur ex materia, & forma, requiri, vt eodem modo materia, & forma ſint ſimul. Nam in compoſitis ſubſtantialibus materiam, & formam ſubſtantialem omnino ſimul eſſe oportet: in alijs vero, præſertim in ſucceſſiuis, & artificialibus, non omnimoda ſimultas requiritur. Propoſitio enim componitur ex ſubiecto, & prædicato tanquam ex materia, & forma, quæ tamen non ſunt ſimul, ita vt eodem temporis momento proferantur, ſed quia immediatè poſt ſubiectum ſequitur prædicatum in propoſitione. In numero etiam quatuor annorum, quartus annus, vtpotè vltima vnitas illius quaternarij, habet rationem formæ, ex qua tanquam ex forma,

ma, & ex alijs vnitatibus, seu annis tanquã ex materia numerus ille componitur: & tamen solum dicuntur esse simul, quia vna succedit alteri. Ita ergo in sacramentis, inter materiam, & formam, ex quibus cõponuntur, sat est vt sit moralis simultas, coniunctio, & propinquitas, sit adeo vt secundum modum loquendi communem sufficiat ad veritatem formæ; & secundũ moralem æstimationem censetur formã cadere super materiam, & cum illa coniungi ad faciendum quodammodo vnum. Cauenda tamen est nimia interpollatio: nam vt ait Mag. Soto vbi supra: *Si tantum temporis internallum interciperetur, vt secundum vsum humanum forma, & actio non essent simul, tunc nullum perficeretur sacramentum.*

Ad secundum quidam respondent, sacramentum Eucharistiæ quantum ad fieri constare rebus, & verbis, ex illisque tanquam ex materia, & forma componi; non tamen in facto esse. Alij dicunt etiam in facto esse, sacramentum Eucharistię componi ex rebus & verbis: nam quamuis formaliter non maneant nisi species panis, & vini; virtualiter tamen manent verba consecrationis; propter quę tales species dicũtur consecratę, & hoc sufficit, vt sacramẽtum ex illis componi dicatur: sicut vt mixtum dicatur componi ex elementis, sat est, vt hęc virtualiter maneant in mixto.

Ad tertium respondetur, quando concilia, & D. Thom. dicunt sacramenta consta-

re

re rebus & verbis, non sumi res & verba strictè, & rigurosè, sed omnia illa dici res, quæ habent modum indeterminatum, & determinabilem per aliam partem sacramenti, sicque rationem materiæ habent; illa verò dici verba, quæ habent significationem determinatam, & quæ determinant aliam partem sacramenti, sicque formæ rationem habent. Vnde in sacramento Pœnitentiæ confessio vocalis appellatur res, quia determinatur per absolutionem, & rationem materiæ habet: nam vt ait Mag. Soto in 4. dist 1. quæst. 1. artic. 6. *Non vsque adeo strictè accipitur hic nomen rerum contra verba, sed res appellatur quicquid esse potest materia sacramenti, vt distinguitur à forma, licet sit etiam verbum.*


Ad quartum respondetur, si contrahentes in Sacramento Matrimonij exprimant consensum verbis, verba vnius habere rationem rerum & materiæ; si nutibus aut literis, vnius nutum habere rationem verbornm & formæ, facta enim & res sæpè vim verborum habent, vt patet ex his quæ de contumelia diximus 2. 2. quæst. 72. art. 1. Cuius autem contrahentis consensus expressus per verba aut nutus habeat rationem materiæ, & cuius rationem formæ, variè explicant Doctores, quibus relinquens hanc difficultatem Concil. Florent. solùm in communi determinauit, Sacramentum Matrimonij constare rebus & verbis, materia & forma. Mag. Soto lo-

co

co proximè citato inquit: *Verba, seu nutus, seu literas, quibus consensus mutui exprimuntur, sibi inuicem esse materiam, & formam.* Quam sententiam multi sequuntur, & explicant exemplo numeri; in quo, vt existit à parte rei, non est maior ratio, cur vna ex vnitatibus sit prima, vel secunda, & altera vltima, sicque vna materia, & altera forma; ac proinde sibi inuicem sunt materia & forma.

Ad quintum respondetur negando consequentiam: nam significatio est vltima forma totius Sacramenti, quæ adæquatè inest toti composito ex rebus & verbis: cæterum in illo composito vna pars comparata ad alteram habet se vt forma ad materiam: sicut in homine humanitas est forma totius hominis, & nihilominus anima in ordine ad corpus habet rationem formę.

(†)



AR.

Vtrum Requirantur determinata verba in Sacramentis.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An ita requirantur determinata verba in Sacramentis, vt nec æquiualentibus vti liceat.

LIcitum esse vti verbis æquiualentibus probatur primo. Verba æquiualentia eundem omnino sensum efficiunt; ergo illis vti licet, verbo scilicet abluo in Sacramento Baptismi, & verbo remitto in Sacramento Pœnitentiæ.

Secundò, In Sacramento Pœnitentiæ licitum est vti materia, quæ secundum opinionem probabilem est sufficiens, licitum est enim ad illud accedere cum attritione cognita; ergo etiam erit licitum vti forma verbis æquiualentibus constante, quam certum est esse sufficientem ad tale Sacramentum.

Dicendum tamen est: Non esse licitum vti verbis æquiualentibus, nisi in casu necessitatis aut quo Ecclesia id permittit. Docet hoc Caietanus hic dicens: *Si quis vteretur alijs verbis (puta dicendo: ego te absoluo in nomine Patris, &c. aut in Sacramento Eu-*

Eucharistiæ: istud est &c.) perfecta essent Sacramenta. Sed sunt voces illæ, quibus Ecclesia vtitur de necessitate præcepti Ecclesiæ: ideo peccaret quisquis aduertens vteretur alijs vocibus ab illis, quibus Ecclesia sua consueuit vti in Sacramentis.

Probatur etiam ex D.Thom.in 4. dist.3. q 1.ar.2. quęstiuncula 2. dicente: *Si aliquid pertinet ad formam ex determinatione Ecclesiæ, si illud mutatur, nihilominus est Sacramentum, sed culpa incurritur.*

Hinc sequitur primò, Quamuis cuiuscumque linguę verbis eundem sensum habentibus cum eis, quibus vtitur Ecclesia, ac proinde eis, æquiualentibus, perficiatur sacramentum, vt hic ad primum docet D. Thom. non tamen esse licitum sacramenta conficere verbis linguę vulgaris. excepto Sacramento Matrimonij, quod verbis linguę proprię in qualibet Prouincia conficitur, quia contrahentes, qui illud cõficiunt, regulariter linguam latinam ignorant; excepto etiam Sacramento Baptismi, quando vrgente necessitate conficitur à fœmina, aut à viro laico nesciente loqui nisi lingua vulgari. Oppositum huius hęretici nostri temporis docent, asserentes sacramenta verbis linguę vulgaris esse omnia conficienda. Sed quod diximus certũ est: nam qui verbis linguę vulgaris vteretur, contra vsum & consuetudinẽ Ecclesiæ ageret, ab Ecclesiaq; puniretur tanquam transgressor pręcepti illius, sicq; peccaret.

Secundò sequitur, Licet verum sit quod D.Thom.

D.Thom. dicit ad secundum, in qualibet lingua assumi debere in significatione sacramenti vocem illam, qua principalius, & communius homines illius linguę vtuntur ad significandum aliquid; non tamen esse licitũ in Baptismo assumere vocem *Abluo*, relicta voce *Baptizo*: nam quamuis vtraq; idem significet, & in latina lingua verbum *Abluo*, ex sua primaria institutione communius reputetur ad illud significandum; ex vsus tamen accommodatione verbum *Baptizo*, tametsi Grecum sit, communius factum est, & ex determinatione Ecclesiæ ad significandam ablutionem, quæ fit in Baptismo assumendum est. Vnde qui non illo sed verbo *Abluo*, aut alio ęquiualente aduertenter vteretur, absque dubio peccaret. Quidam tamen dicunt hoc non esse peccatum mortale, si non sit scandalum circumstantium. Quod & asserit Magister Soto in 4. d.1. q.1.art.8. & ego verum esse existimo, si solum fieret mutatio illius verbi; ob paruitatem enim materiæ solum esset veniale. At si fieret mutatio totius formæ in verba æquiualentia, vt si totam formam proferret Sacerdos lingua vulgari, mortale fore non dubito.

Tertiò sequitur, Quamuis in cap. *Retulerunt*, de consecratione dist. 4. decretum sit à Zacharia Papa validum fuisse Baptismum, quo quidam ob imperitiam nõnullos baptizauerat, *In nomina Patria, & Filia, Spiritua Sancta*. Cuius rationem reddit D. Thom. hic ad tertium: quia illa verborum

cor-

corruptio non abstulit sensum locutionis: *Quamuis enim huiusmodi verba corruptè prolata nihil significent ex virtute impositionis: accipiuntur tamen vt significantia ex accommodatione vsus*. Et idem est de verbis prolatis corruptè à balbis, *Patis* enim prolatum à balbo idem est ac *Patris*, ex vsus accommodatione. Tamen qui non ex imperitia errore, lapsu linguę, aut balbutie verba Sacramentalia modo prædicto corruptè proferret, absque dubio peccaret mortaliter, etiã si cum legitima intentione faciendi quod facit Ecclesia illa diceret, & verum conficeret sacramentum: nam talis corruptio cederet in irrisionem Sacramenti, & contra Ecclesiæ consuetudinem, vsum ac præceptum esset. Ex quo fit, sacerdotem, qui patitur notabilem defectum linguæ, non posse ministrare sacramenta sine mortali peccato, nisi in casu necessitatis grauissimę & Episcopum, qui absque graui necessitate ordinaret similem ministrum, peccare mortaliter, quia nõ potest esse debitus minister sacramentorum, in quorum irrisionem cederet eius ministratio.

Ad primum autem factum in principio respondetur negando consequentiam: quia vt diximus cum Caietano, voces illę, quibus Ecclesia vtitur, sunt de necessitate pręcepti Ecclesię: & ideo qui alijs vteretur quamtumuis ęquiualentibus, & eundem sensum efficientibus, peccaret.

Ad secundum, Quidam recentiores dicunt, qui confitetur cum attritione cognita,

ta, sufficientem materiam apponere non solum iuxta opinionem probabilem, sed iuxta certam, quia apud omnes certum est attritionem cognitam sufficere ad ratione materię, & opiniones tantum sunt, an talis attritio sufficiet in ratione dispositionis ad effectum sacramenti, scilicet gratiam. Et quamuis qui cum illa accedit ad Sacramentum extra mortis articulum excusari possit à peccato ob difficultatem habendi contritionem; non tamen si esset in mortis articulo, quia exponeret se periculo ętere nę damnationis. Alij hoc impugnant: quia quamuis contritio sit supernatutalis, tamen per virtutem diuinę gratiæ potest homo illam habere sine maxima difficultate; ergo ob difficultatem habendi illam non excusatur à peccato homo sine illa accedens ad sacramentum cum sola attritione cognita, siue in mortis articulo, siue extra illum, aut si ob difficultatem habendi contritionem excusatur extra mortis articulum, etiam excusatur in illo, cum non sit minor obligatio non frustrandi sacramentum suo effectu, & procurandi propriā salutem extra mortis articulum quàm in illo. Vnde ipsi respondent eandem omnino esse rationem de forma ac de materia sacramenti, & dispositione ad effectum sacramenti suscipiendum, sicque peccatum mortale esse relicta forma, aut materia, vel dispositione certa, vti incerta, quæ sub opinione est an sit sufficiens; nisi adsit necessitas, vel vtilitas; si enim adsit nullum

est

est peccatum illa vti. Et quia in facultate accedendi ad Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione cognita est maxima vtilitas ob maiorem difficultatem habendi cōtritionem, quæ vtilitas non est in facultate vtendi forma constante verbis æquiualentibus iuxta certam omnium sententiam, aut iuxta probabilem multorum; ideò licitum est tam in articulo mortis, quàm extra illum ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere cum attritione cognita; non tamen vti forma certa, aut probabili constante verbis diuersis ab eis, quibus vtitur Ecclesia. Sed contra hos etiam militat, quod ipsi obijciunt contra Auctores primæ sententiæ: nam si per virtutem diuinæ gratiæ potest homo habere contritionem sine maxima difficultate, quomodo ob difficultatem habendi contritionem licitum est homini ad Sacramentum Pœnitentiæ, accedere sine illa cum sola attritione cognita? Præterea quomodo in facultate sic accedendi sit maxima vtilitas non video, cum taliter accedendo nō sit omnino certum gratiam, & effectum sacramenti obtineri, sicut certum est haberi, accedendo cum vera contritione, & vtilius sit homini gratiam etiam cum nonnulla maiori difficultate consequi infallibiliter, quam posse facere quod minus difficile est cum incertitudine, & periculo non consequendi illā. Denique quia aliás etiam esset licitum Sacramentum Eucharistiæ conficere ex pane tiphæ vel centeni, quem probabilis opinio

asserit sufficientem materiam esse Eucharistię, in locis, in quibus ob maiorem difficultatem habendi panem triticeum esset maxima vtilitas vti pane centeni, qui ibi haberi posset absque vlla difficultate & expensis. sed hoc est falsum, ergo &c. Vnde aliter respōdetur ex dictis à nobis 1.2.q.19. a 6.dub.4.con 2. licitum esse in administratione, aut susceptione sacramentorum vti opinione probabili, si illa vti nō prohibeat Ecclesia: non tamen esse licitum vti opinione etiam certa, si ea vti prohibeat Ecclesia. Vnde cum Ecclesia non prohibeat vti opinione asserente attritionem cognitā sufficere ad Sacramentum Pœnitentię eiusque fructum suscipi ndum, sed potius eam Conc. Trid. Sess. 14. cap. 4. illam approbare videatur, licitum est ad tale sacramentum accedere cum attritione cognita. Non tamen est licitum vti forma sacramenti cōstante verbis æquiualentibus, quia licet certum sit veram formam esse; Ecclesia tamen prohibet illa vti, & præcipit, vt omnes vtantur forma cōstante verbis, quibus ipsa vti consueuit, vt dictū est cum Caiet. & D. Thom. Vnde sicut peccaret qui in Baptismo vteretur forma Græcorum, quātumuis legitima sit: ita peccaret qui vteretur forma non constante verbis quibus solet vti Ecclesia, sed æquiualentibus, quantumuis sit legitima.

AR-

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Liceat aliquid addere verbis, in quibus consistit forma Sacramentorum.

Conclusio est affirmans.

TRipliciter potest fieri additio verbis in quibus consistit forma sacramentorum. Primo ita vt non auferat debitum sensum verborum: vt si quis dicat: *Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, & Filij eius vnigeniti, & Spiritus Sancti paracleti*: aut si dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Beata Virgo te adiuuet.* Et per hanc additionem, inquit D Thom *Non tollitur Sacramenti veritas*, sicque, subdit: *Erit verum baptisma.* De hacque additione verificatur conclusio proposita. In qua per licere nō debet intelligi licitum esse, aut posse fieri sine peccato, sed posse fieri quin tollatur veritas Sacramenti. Quęcumque enim additio, illicita, & peccatum est, cum sit contra consuetudinem, & præceptum Ecclesiæ.

Secundò, Ita vt corrumpatur debitus sensus verborum: puta si aliquis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris.* Et de hac additione, inquit Diu.

Thom. *Talis additio tollit virtutem Sacramenti.*

Tertiò, Ita vt possit auferri, aut retineri debitus sensus verborum; vt si quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Beatæ Virginis Mariæ.* Additio enim nominis Beatæ Virginis potest auferre sensum debitum, si intelligatur in nomine Beatæ Virginis baptizari sicut in nomine Trinitatis; & tunc *Tolleret veritatem Sacramenti.* Potest etiam non auferre, si intelligatur, non quasi nomen Beatæ Virginis aliquid operetur in Baptismo, sed vt eius intercissio prosit baptizato ad conseruandam gratiam baptismalem; & tunc *Non tollitur perfectio Sacramenti*, vt in fine corp. art. dicit D. Thom.

Aduertendum tamen maximè est quod in principio corporis articuli dicit Sanctus Doctor de eo, qui profert verba eis aliquid addendo: *Si intendat per huiusmodi additionem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur, perfici Sacramentum: quia non videtur, quod intendat facere id, quod facit Ecclesia.* Si enim absque vlla additione aut mutatione verborum formam proferret, qua vtitur Ecclesia, etiam si alium ritum nõ receptum ab Ecclesia introducere intenderet, verum perficeret sacramentum. Constat namque ex Sanct. August. & alijs Patribus, qui referuntur de consecratione distinct. 4. per multa capita, hæreticos posse vera confice-

ficere sacramenta; qui tamen semper intendunt nouum ritum non receptum ab Ecclesia suis erroribus admistum introducere; si autem aliquid addendo, per huiusmodi additionem alium ritum non receptum ab Ecclesia inducere intenderet, non perficeret sacramentum. Vnde illud non perficiunt hæretici, qui in forma sacramenti suum errorem apponunt, vt Ariani faciebant baptizantes in nomine Patris maioris, & Filij minoris: quia quamuis dicant se intendere facere, quod facit Ecclesia, reuera non intendunt, nam cùm hac intentione pugnat velle introducere per additionem sui erroris ritum, quem detestatur Ecclesia; & non simul cohærere possunt, habere intentionem Ecclesiæ, & proferre errorem contra Ecclesiam, eiusque confessionem non profiteri. Hoc non solùm verificatur quando additio fit secundo modo ex predictis, sed etiam quando fit tertio modo: nam quamuis talis additio sit ambigua, si tamen intelligatur in sensu continente errorem, ambiguitas tollitur, & per talem additionem proferens verba alium ritum intendit inducere, qui non est ab Ecclesia receptus, sicque non perficit sacramentum. Quod & colligitur ex Can. *Retulerunt*. De consecrat. dist. 4. vbi de illo, qui baptizauit in nomina patria, & filia, &c. (quę verba corrupta ambigua sunt ad significandum ex vsus accomodatione Patrem, & Filium, & ad significan-

dum Deum habere filium fœminam) dixit Summ. Pontific. si non ex ignorantia id fecisset, sed intendendo errorem inducere, Deum scilicet habere filium fœminam, & nouum ritum baptizandi cum hoc errore introducere, non fore censendum verum sacramentum confecisse. Si ritus alius esset ab Ecclesia receptus, & tolleratus in aliqua eius parte, etiam si minister illum intenderet introducere, verum sacramentum conficeret, vt illud conficiunt Græci, etiam si dicentes, Baptizetur seruus Christi hunc ritum baptizandi, qui alius est à ritu Ecclesiæ Latinæ inducere intendant; nam cum talis ritus sit tolleratus ab Ecclesia, eius intentionem seruant.


Quod de additione dictum est, asserendum est etiam de diminutione; idem enim de hac, & de illa ait D. Thom. Vnde si per diminutionem tollatur debitus sensus verborum, vt cum prætermittitur aliquid, quod est de substantia formæ, nomen verbi gratia Patris, aut Filij in forma Baptismi, non perficitur sacramentum. Si vero debitus sensus verborum nõ tollatur, vt cum solùm prętermittitur aliquid, quod non est de substantia formæ, verbi gratia particula *enim* in forma Eucharistiæ, verum conficitur sacramentum. Quod verum est, etiam si minister existimaret particulam *enim* esse de essentia formæ: nam quamuis illam ex industria omittens putaret ex errore particulari, quem habet, se

non

non facere quod fecit Christus; reuera tamen faceret, imò & facere intenderet; si retineret intentionem vniuersalem faciendi quod facit Ecclesia, per quam, regulandus & corrigendus est error eius particularis, dum non aufertur legitimus sensus verborum formæ.

De interruptione verborum dicit D. Th. hic ad 3. Si tanta sit, vt intercipiatur intentio pronuntiantis, & tollatur sensus verborum, veritatem etiam sacramenti tolli; non vero si interruptio sit parua, quæ intentionem proferentis, & intellectum verum non aufert. Et idem dicendum esse ait de transpositione verborum: quia tollit sensum locutionis, non perficitur sacramentum; si verò sensum non variat, non tollitur veritas sacramenti.

(†)



QVAESTIO LXI.

De necessitate Sacramentorum.

ARTICVLVS I.

Vtrum Sacramenta sint necessaria ad humanam salutem.

Conclusio est affirmans.

QVæ, vt notat Caietanus, intelligenda est de necessario non simpliciter, sine quo non potuisset homo saluari, sed de necessario ad melius, sine quo non conuenienter humana salus fuisset.

ARTICVLVS II.

Vtrum Ante peccatum fuerint homini necessaria Sacramenta.

Conclusio est negans.

SI Adam non peccasset, & status innocentiæ permansisset, insinuat D.Thom. 1.par.

1. par. quæst. 100. artic. 2. vt nos ibi notauimus, omnes homines saluandos fore, & nullum peccaturum: non quia in gratia, in qua nascerentur, confirmandi essent, sed quia per diuinam prouidentiam à peccato conseruarentur immunes. Si hoc verum est, sicut Adam ante peccatum non fuerũt necessaria sacramenta: ita nec alijs hominibus eius posteris, si ipse non peccasset, fuissent necessaria, vt probant argumenta & doctrina D. Thom. hic. At si in illo statu futura essent peccata, vt quidam ex discipulis D. Thom. quos loco citato retulimus, asserunt, necessarium seu conueniens videtur, tunc sacramenta à Deo institui: illis enim homines indigerent ad remedium peccatorum; & non esset inconueniens animam quantum ad gratiam per illa perfici: nam amissa iustitia originali per peccatum, non maneret ordo, quem ex rectitudine status innocentiæ colligit D. Thom. hic.



Vtrum post peccatum ante Christum Sacramenta esse debuerint.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An & quænam Sacramenta fuerint in lege naturæ.

NVllum sacramentum fuisse in lege naturæ. Probatur primo. Si tunc aliquod fuisset sacramentum, maximè in remedium peccati originalis, vt ab illo mundarentur paruuli; sed ad hoc non fuit necessarium sacramentum: nam sola fides parentum iustificabat paruulos, vt colligitur ex D.Thom. infra quæst.70. art.4. ad 2. ergo, &c.

Secundò, Sacramentum est signum rei sacræ sanctificantis homines: sed tunc nullum erat huiusmodi signum, quod enim? ergo nec sacramentum.

Dicendum tamen est primò, In lege naturæ fuisse aliquot sacramenta. Probatur primò ex D. Thom. hic, concludit enim: *Ante Christi aduentum necesse fuit quædam Sacramenta institui*. Et eius rationes æqualiter procedunt de statu legis naturę, ac de statu legis scriptæ.

Se-

Secundò, ex S. Auguſt. lib. 5 contra Iulianum, cui concedens peccatum originale tunc non dilui baptiſmatè, quia nondum fuerat inſtitutum, ſubdit: *Non ideo tamen credendum eſt, & ante datam circumciſionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo ſacramento eius opitulatos fuiſſe paruulis ſuis: quamuis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa Scriptura latere voluerit*.

Tertiò, in lege naturæ, ſicut in lege ſcripta, oportebat eſſe quædam ſigna, quibus homines proteſtarentur fidem ſuam de futuro Saluatoris aduentu, nam poſt peccatum nullus poteſt ſanctificari niſi per Chriſtum: ſed hæc ſigna erant ſacramenta: ergo, &c.

Dicendum eſt ſecundò, ſacramenta legis naturæ non fuiſſe determinata, ſed indeterminata: nam quamuis ex diuina inſtitutione conſiſterent in quadam proteſtatione fidei de futuro aduentu Saluatoris facta ſigno aliquo, aut actu, vel ritu exteriori; hoc tamen ſignum non erat determinatum diuina inſtitutione, ſed interiori inſtinctu determinabatur hominibus, quo ſigno, actu, vel ritu, aut quibus rebus ſenſibilibus vterentur ad prædictam fidem proteſtandam.

Probatur ex D. Thom. hic ad ſecundum, Vbi de ſacramentis veteris legis ait: *Comparabatur ad ſacramenta, quæ fuerunt ante legem, ſicut determinatum ad indeterminatum: quia ſcilicet ante legem non fuit determinatè*

præfixum homini, quibus sacramentis vteretur. Quod intelligendum est modo à nobis in conclusione explicato: nomine enim sacramentorum intelligit signa visibilia, quibus homo protestaretur fidem suam de futuro aduentu Saluatoris Et quamuis diuina institutione reuelata Adæ, ab illoque posteris indicata, determinatè præfixum sit homini, vt pro sacramentis vteretur pro testatione fidei de Saluatore venturo facta signo aliquo exteriori (non enim in voluntate hominis relictum est, vt ipse sacraměta institueret, aut pro sacramětis vteretur, quibus rebus voluisset) hoc tamen signum non fuit diuina institutione determinatum, sed relictum est instinctui interiori, vt colligitur ex D Thom. supra quæst. 60. artic. 5. ad 3. voluntatique, ac deuotioni hominum Deum colentium, vt colligitur ex eodem S. Thom. 1. 2. q. 103. ar. 1. vbi & ait: *Sed quia etiam ante legem fuerunt quidam viri præcipui prophetico spiritu pollentes, credendum est, quod ex instinctu diuino, quasi ex quadam priuata lege, inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum, qui & conueniens esset interiori cultui, & etiam congrueret ad significandum Christi mysteria.* Qui modus colendi Deū, non erat sacramentum ipsum secundum substantiam, sed ritus, quo conficeretur, aut signum exterius, quo protestatio externa fidei de Saluatore venturo, in qua substantia sacramenti consistebat, fieret. Quo signo aut ritu omnes à prædictis viris præcipuis instructi vti tenebantur in sacramen-

mentis. Qui verò illius notitiam non habebant. vti tenebantur ritu, aut signo constituto à Republica benè instituta, cuius erant ciues. Si autem nullum esset à Republica constitutum, vti possent ritu aut signo constituto secundum proprium cuiusque instinctum, voluntatem, & deuotionem.

Nec est mirum Deum cum hac indeterminatione legis naturæ sacramenta instituisse: nam etiam in lege Euangelica sacramentum Matrimonij instituit cum quodãmodo simili indeterminatione. Sua namque institutione voluit, vt consisteret in consensu expresso à legitimis personis: qui tamen diuina institutione determinatum non est, consensum debere exprimi verbis, aut nutibus, vel litteris: nec quæ nam sint legitimæ personæ, sed hoc determinandum reliquit Christus Ecclesiæ, vnde ante Concilium Tridentinũ legitimæ personæ erant contrahentes clandestinè. post determinationem verò Concilij Tridentini Sess. 24. cap. 1. de reformatione Matrimonij legitimæ personæ non sunt.

Ad primum autem factum in principio respondetur negando minorem. Ad probationem dico D. Thom. intelligendũ esse de fide parentum expressa aliquo actu, aut signo exteriori: talis autem expressio, & protestatio fidei facta signo aliquo exteriori sacramentum erat.

Ad secundum respond. ex dictis con. 2. Circa art. 4. nihil se offert dicendum.

QVAE-

QVÆSTIO LXII.

De principali effectu Sacramentorum, qui est gratia.

ARTICVLVS I.

Vtrum Sacramenta sint causa gratiæ.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An Sacramenta noua legis causent gratiam ex opere operato immediatè eam efficiendo.

PArtem negantem tenent hæretici nostri temporis, asserentes sacramenta solum causare gratiam, & iustificationem mediante fide, quam excitant, qua etiam ratione cōcio potest dici causa gratiæ, quia mouet homines ad fidem, & contritionē. Fidem verò, asserunt, gratiam, & iustificationem causare tanquam instrumentum, quo veluti manu apprehendimus, & trahimus iustitiam Christi, & nostram saltem imputatiue facimus. Hancque fidem aiunt, non esse qua assentimus mysterijs, seu arti-

culis

culis fidei, sed fiduciam, qua certo quis credit Deum sibi remisisse peccata.

Probatur hoc primo, Multis Sacræ Scripturæ testimonijs, in quibus iustitia tribuibuitur fidei, præsertim illo Marci vltim. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit condemnabitur.* Vbi salus & iustificatio non baptismati, sed fidei tribuitur, alias etiam subdendum fuerat, & non fuerit baptizatus. Multis quoque Patrum auctoritatibus preter illa S. August. tract. 80 in Ioan. *Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur.*

Secundò, Sacramenta nouæ legis sunt signa gratiæ, sicut circumcisio erat teste Paulo ad Rom. 4. ver. 11. *Signaculum iustitiæ fidei*; ergo sicut circumcisio non causabat gratiam immediatè, & ex opere operato, ita nec Baptismus, & alia sacramenta nouæ legis.

Dicendum tamen est primò, sacramenta nouæ legis non solum significare, sed etiam causare gratiam. Conclusio hæc certa est secundum fidem diffinita in Concil. Trident. Seß. 7. Can. 6. his verbis: *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam significant: aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel iustitiæ, & notæ quadam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.* Definita est etiam

etiam in Concil. Florent. in decreto vnionis, vbi constituitur differentia inter Sacramenta nouæ, & veteris legis, quod Sacramenta legis veteris solum significabant gratiam; legis nouæ autem illam conferunt, & causant.

Secundò probatur ex illo Ioan. 3. vers. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum* Dei. Vbi regeneratio, quæ per gratiam fit, & Baptismo, & Spiritui Sancto tanquam causæ tribuitur: Spiritui Sancto quidem tanquam causæ principali; Baptismo vero tanquam causæ instrumentali. Respondet Caluinus, Ibi per aquam non debere intelligi aquam Baptismi, sed ipsummet Spiritum Sanctum, qui instar aquæ mundat. Sed hæc expositio contra communem Ecclesiæ, & omnium SS. Patrum intelligentiam est, præsertim S. Chrys. ibi homil 25. vbi & ait: *Primum dictum est; Producant aquæ reptile animæ viuentis, Ex quo autem Iordanis alueum ingressus est Christus, non amplius reptilia animarum viuentium, sed animas rationales, & spirituales aqua producit*. Præterea multis posset impugnari, sed cur immorabimur in expositione tam apertè absurda, & falsa refellenda.

Dicendum est secundò, Ex opere operato gratiam conferre nouæ legis sacramenta. Hæc quoque conclusio est de fide, & definita in Concil. Trident. Sess. 7. Can. 8. his verbis: *Si quis dixerit, per ipsa nouæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam,*

sed

sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit. Si sacramenta solum mediante fide, quã excitant, causarent gratiam, vt hæretici volũt, non conferrent gratiam ex opere operato, sed solum ex opere operantis; fides namque, quam excitant, opus operantis est, actio scilicet illam elicientis. Concilium vero definit, hoc opus operantis non sufficere, sed sacramenta gratiam conferre ex opere operato, hoc est, immediatè per se ipsa ex virtute, quam habent ex passione Christi, quæ est opus operatum, quo operatus est salutem in medio terræ.

Secundò probatur, Nam in Baptismo confertur gratia paruulis, at in illis nullus est actus fidei mediante quo talis gratia conferatur; ergo confertur ex opere operato. Respondent Lutherani, infantibus, cum baptizantur, pro eo tempore concedi vsum rationis, & actum fidei habere. Sed hoc ridiculum est, & quod non nisi ab insanientibus dici potest, & ideo indignum vt impugnetur.

Tertiò, Si duo homines vellent suscipere sacramentum aliquod eadem dispositione, fide, charitate, & deuotione, & vnus de facto illud susciperet, alius vero non susciperet, sed solum assisteret susceptioni, ille, qui de facto reciperet sacramentum, maiorem gratiam haberet: at non nisi correspondentem ipsi sacramento ex opere operato, nam fidem, de qua loquuntur hęretici, non minorem posset sacramentum

ex-

excitare in assistente, quam in suscipiente; ergo, &c.

Ad primum verò factum in principio respondetur, in scriptura iustitiam tribui fidei, non quod sola ipsa iustificet, sed quia, vt dicitur in Concil. Trident. Sess.6. cap.8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentū & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo.* Quod sicut non tollit, vt iustitia etiam tribuatur charitati, & meritis Christi, ita nec vt tribuatur sacramentis vt instrumentis diuinæ virtutis. In loco autem citato in argumento negamus iustificationem soli fidei tribui: vtrique enim fidei scilicet, & baptismati expresse tribuitur. Ex quo non sequitur, etiam subdendum fore, & non fuerit baptizatus: quia licet ad salutem vtrumque requiratur fides & baptismus, si hic haberi potest in re; ad condemnationem tamen sufficit non credere, siue homo fuerit baptizatus, siue non. Ad auctoritatem S.August dico, sensum eius esse: aquam habere vim iustificandi, vt coniungitur verbo, quod est forma sacramenti Baptismi, & operatur in illo, vt explicat D.Thom. supra quæst.60. art. 7. ad 1. *Non quia dicitur, idest, non secundum exteriorem sensum vocis, sed quia creditur, idest, secundum sensum verborum, qui fide tenetur.*

Ad secundum respondetur negando consequentiam: nam circumcisio erat egenū elementum vt colligitur ex Paulo ad Galatas 4. vers.9. & sic solum erat signum gra-

tiæ:

tiæ; Baptiſmus vero, & alia nouæ legis ſacramenta diuitias gratiæ continent, tanquam ſigna practica virtutem habentia causandi gratiam.

Dubium 2. An Sacramenta nouæ legis instrumentaliter physicè causent gratiam.

PArtem negantem tenent Mag. Cano Relect. de ſacramentis in genere, p.4. concl.6 & alij recentiores. Probant primo: nam SS.Patres, præſertim Cyprianus ſerm. de Baptiſmo Chriſti, Baſilius lib. de Spiritu Sancto. Hieronym. Iſaiæ 4. & Aug.Epiſt. 23. & lib.15. de Trinit.cap.26. docent,non aquam, aut homines, ſed ſolum Deum dare Spiritum Sanctum, operari intrinſecus gratiæ beneficium,ſoluere vinculum culpæ. & regenerare hominem Chriſto: at ſi ſacramenta phyſicè etiam instrumentaliter cauſarent gratiam, hæc omnia efficerent; ergo,&c.

2 Sacramenta habent vim cauſandi gratiam ex meritis & paſſione Chriſti: at merita Chriſti non cauſant gratiam niſi moraliter; ergo tantum dant ſacramentis virtutem moralem cauſandi gratiam. Confirmatur, ſacramenta cauſant gratiam, quia continent diuinam virtutem, & merita Chriſti: ſed hæc non phyſicè ſed moraliter continent; ergo non phyſicè ſed moraliter ſolum gratiam cauſant.

Ter-

Tertiò, Excepta saltem Eucharistia, Sacramenta, quando producunt gratiam, physicè loquendo non sunt: sed id quod physicè non est, non potest operari physicè, nam operari supponit esse; ergo sacramenta non possunt pruducere physicè gratiam. Confirmatur, in ijs, qui accesserunt fictè ad sacramenta, hęc recedente fictione eodem modo causant gratiam, quo illā causassent à principio, si non fictè accessissent: sed recedente fictione non physicè, sed solum moraliter causant gratiam sacramenta, quia iam non sunt, sed transierunt. & quod actu non est, nō potest esse instrumentum physicum, cum moueri a Deo, eiusque virtutem recipere nequeat; ergo nec à principio illam physicè causassent.

Quartò, Sacramenta sunt entia corporea & materialia: sed res corporea non potest producere rem spiritualem, neque in rem spiritualem agere; ergo sacramenta non possunt producere gratiam spiritualem in anima, neque in hanc, quæ est etiam spiritualis agere. Minor probatur, quia res corporea non potest habere nisi actionem corpoream; ergo nec producere rem spiritualem, neque in rem spiritualem agere, actio enim corporea nec in re spirituali esse potest, nec rem producere spiritualem. Si dicas, hoc esse verum de re corporea agente propria virtute, non vero de ipsa vt eleuata per diuinam virtutem. Contra hoc est: Tum quia potentia vel actio non potest eleuari etiam di-

diuina virtute ad attingẽdum aliquid, quod eſt extra latitudinem ſui obiecti, vt potentia viſiua, aut viſio corporalis ad intuendum Deum vel Angelum: ſed res ſpiritualis eſt extra latitudinem obiecti potentiæ, & actionis rei corporeæ; ergo hæc non poteſt eleuari ad producendam gratiam ſpiritualem in anima ſpirituali. Tum etiam, quia virtus, qua res corporea eleuatur, non poteſt eſſe ſpiritualis, ſed neceſſario debet eſſe corporea, cum recipiatur in re corporea; ergo actio rei corporeę etiam vt eleuatę non eſt ſpiritualis, ſed corporea & materialis, ac per conſequens non poteſt eſſe productio gratię, quæ ſpiritualis eſt ſicut & ipſa gratia, cum nihil aliud ſit quam ipſa gratia infieri. Tum denique, quia res corporea etiam vt eleuata non poteſt eſſe immediatè coniuncta cum anima; ergo non poteſt gratiam producere inſtrumentaliter phyſicè in anima: inſtrumentum enim phyſicum debet eſſe coniunctum, & immediatum cum paſſo.

Quintò, Productio gratię aut eſt creatio, aut actio perfectior quam creatio Angelorum & mundi iuxta doctrinam D.Th. 1.2. qu.113 ar.9. ſed nulla creatura poteſt concurrere inſtrumentaliter phyſicè, ad creationem, vt docet D.Thom 1.p. qu.45. ar.5. ergo ſacramenta non concurrunt inſtrumentaliter phyſice ad productionem gratiæ. Confirmatur, nam vt loco proximè citato ait D.Thom. ideo nulla creatura poteſt concurrere inſtrumentaliter phyſi-

ce

cè ad creandum, quia non poteſt per propriam virtutem diſpoſitiuè operari ad effectum principalis agentis Dei ſcilicet creantis: ſed nec etiam poteſt creatura materialis preſertim per propriam virtutem diſpoſitiuè operari ad effectum gratiæ, cum nihil poſſit agere in animam; ergo nec concurrere inſtrumentaliter phyſicè ad productionem gratiæ.

Dicendum eſt primò, ſacramenta nouæ legis non eſſe inſtrumenta purè moralia gratiam tantum moraliter cauſantia. Docent hoc communiter diſcipuli D. Thom. & alij Theologi recentiores cum D.Thom. hic. Probatur primò, auctoritate Sancti Doctoris, qui poſtquam retulit opinionem eorum, qui ſuo tempore aſſerebant ſacramenta nouæ legis ſolum moraliter cauſare gratiam, non quidem eam efficiendo, ſed mouendo Deum, vt gratiam operetur in anima, ſicut denarius plumbeus, quem aliquis afferens accipit centum libras ex Regis ordinatione, cauſa tantum moralis eſt habendi prædictæ pecuniæ quantitatem, non quidem aliquid ad hoc operando, ſed mouendo voluntatem eius, qui debet dare, vt det, ſubdit: *Sed ſi quis rectè conſideret, iſte modus non tranſcendit rationem ſigni. Nam denarius plumbeus non eſt niſi quoddam ſignum regiæ ordinationis de hoc quod pecunia recipiatur ab iſto. Secundum hoc igitur ſacramenta nouæ legis nihil plus eſſent quam ſigna gratiæ: cum tamen ex multis Sanctorum auctoritatibus habeatur, quod ſacramenta nouæ legis non ſo-*

lum

lum significant, sed causant gratiam. Idem etiam habetur ex diffinitionibus Conciliorum Florent. & Trident. dubio præcedente con. 1. & 2. à nobis relatis.

Respondent Auctores citati in principio dubij presertim recentiores, hoc verum esse, quia illi quos refert D Thom non rectè explicabant causalitatem moralem, quam solam habent sacramenta nouæ legis respectu gratiæ; quam ipsi sic explicāt: sacramenta moraliter continere, & causare gratiam: quia diuina virtus illis necessario semper assistit ad productionem gratiæ; & quia ex voluntate Christi, & Dei acceptatione merita Christi ita sacramentis annexa sunt, vt quibus hæc applicantur, eisdem approprietur aliqua portio meritorū Christi, qua ius ad gratiam acquirunt, ac si per se essent eam meriti. Vnde sacramenta non debent cōparari plumbeto, quo ostenso quis panem accipit: quia plumbetum non continet pretium panis, sicut sacramenta pretium gratię; sed bursæ plenæ pecunia, quę datur alicui, vt se redimat, aut sibi necessariā comparet.

Sed hic modus explicandi causalitatem moralem sacramentorū nullatenus differt à modo quo eam explicabant antiqui: nam vt refert D. Thom. in 4. dist. 1. q. 1. artic. 4 quæstiunc. 1. etiam afferebant hanc causalitatem sacramentis cōuenire: *Quia increata virtus sacramentis assistit per quandam Dei ordinationem, & quasi pactionem. Sic enim ordinauit, & quasi pepigit Deus, vt qui sacramen-*

men.

menta accipiunt, simul ab ea gratiā recipiant. Hoc autem idem prorsus est ac quod recentiores dicunt: quod tamen non transcendit rationem signi. *Illa enim ordinatio, quam dicunt, siue pactio nihil dat eis de ratione causæ sed solum de ratione signi.* Ex quo infert Sanctus Doctor: *Nec sacramenta nouæ legis quæ differunt à Sacramentis veteris legis secundum ordinationem prædictam differrent ab eis secundum rationem causæ, sed solum quantum ad modum significandi.*

Exemplum verò bursę plenę pecuniā, cui recentiores comparant sacramenta, minus aptum est ad propositum, quàm exemplum denarij plumbei, cui antiqui illi comparabant: nam bursa nullam causalitatem etiam moralem habet respectu redemptionis, aut emptionis, sicut eam habent sacramenta respectu gratiæ: & non moraliter sed solum physicè, & non virtualiter, sed actualiter, & secundum substantiam pecunia continetur in crumena, qualiter nec merita Christi, nec gratia continentur in sacramentis. Vnde rectè dixit S. Bonauentura in 4. dist. 1. artic. 1. quęst. 3. *Non aliquo modo dicendum est, quod gratiā continceatur in ipsis sacramentis tanquam aqua in vase, vel medicina in pixide.* Et idem est de pecunia in bursa.

Secundò probatur conclusio cum Mag. Soto in 4. dist. 1, quæst. 3. artic. 1. causa quę solum est moralis, non est instrumentum illius, qui mouetur ad conferendum effectum; sed alterius, qui mouet ipsum: sed

sacramenta sunt instrumenta Dei, qui confert gratiam; ergo non sunt causæ solum morales gratiæ: Maior patet, preces enim aut pretium, aut consilium, vel metus, quibus Petrus mouet Paulum ad aliquod beneficium conferendum, aut aliquid operandum, non sunt instrumenta Pauli, quibus beneficium conferat, sed Petri. Confirmatur, instrumenta purè moralia mouent eum, qui debet operari aut conferre effectum, & non mouentur ab eo, vt patet in exemplis adductis: at sacramenta non prius mouent Deum quã moueantur ab eo ad producendam gratiam; ergo non sunt instrumentã mere moralia. Si dicas, tubæ sonitum & chirographum, ac denarium plumbeum instrumenta esse purè moralia, & tamen posse esse instrumenta illius, qui debet operari effectum, & moueri ab eo, ducis scilicet ex eius ordinatione habet sonitus tubæ esse instrumentum moraliter mouens ad pugnam, non solum milites, sed etiam ipsum ducem, ciuitatis ex cuius statuto habet chirographum esse instrumentum mouens ipsam ad soluendam quantitatem pecuniæ debitam, & Regis ex cuius lege habet denarius plumbeus esse instrumentum illum mouens ad dãdum aliquid afferenti illum: & huiusmodi instrumenta purè moralia esse sacramenta. Contra hoc est, quia sacramenta purè signa essent sicut & prædicta, & non causæ morales transcendentes rationem; & limites signi, & verè ac realiter non conferrent, aut esse

cerent gratiam, nec hic effectus illis tribueretur; quāuis enim effectus tribuatur causæ morali transcendenti rationem signi, propter quod Dauid dictum est 2. Regum 12. vers. 9. *Vriam percussisti gladio, & interfecisti eum gladio filiorum Amon*, & mors latronis magis tribuitur iudici præcipienti, quam carnifici exequenti; tamen non tribuitur causę morali, quę purè signum est, & signi rationem aut limites nō transcendit, vt patet in exemplis adductis: sed hoc est contra doctrinam Conciliorum & Sanctorum Patrum; ergo, &c.

Tertiò probatur, Sacramenta nullo modo sunt causę meritoriæ gratiæ, nec merita Christi continent, vt causæ, aut subiecta illorum, aut ratione alicuius effectus purè moralis talium meritorum, quis enim est talis effectus? sed ratione virtutis physicæ qua eleuantur, quæ & causa est gratiæ, & effectus meritorum Christi, hæcque proinde in tali virtute sicut in effectu virtualiter continentur, & in eadem gratia virtualiter continetur sicut in causa, vt docet D. Thom. hic art. 3. ergo non sunt sacramenta causæ purè morales gratiæ, sic enim hęc in illis solum contineretur sicut in signo. Si dicas gratiam, & merita Christi non solum contineri in sacramentis nouæ legis tanquam in signo, sed etiam verè, & realiter propter assistentiam diuinæ virtutis in illis ad producendam gratiam, & propter voluntatem Christi, & acceptationem Dei volentis merita Christi esse annexa sacra-

men-

mentis modo dicto: Contra hoc est, nam etiam hoc modo fuisset gratia contenta in sacramentis veteris legis: *Quia* (vt ait D. Thom.quodlibet.12.artic.15.) *etiam virtus consistens fidei credentium in Christum venturum iustificabat*. Ex voluntate etiam Dei, & quasi pacto cum hominibus, præsertim cum Abraham Genes.17. v.10. suscipientibus illa sacramenta applicabantur merita Christi venturi, ob quæ iustificabantur: constat autem in illis non fuisse gratiam & merita Christi contenta, nisi sicut in signo Deum moraliter mouente ad gratiam conferendam; ergo solum hoc modo continerentur in sacram.nouæ legis,quod est falsũ.

Dicendum est secundò, Moraliter & simul physicè gratiam causare sacramenta nouæ legis. Primam partem probat argumentum 2. factum in principio dubij. Pręterea probatur primò, Deus. & Christus per sacramenta moraliter causant gratiam, Deus,qui per voluntatem, & electionem illam producit; Christus verò,quia meruit illam, ergo & ipsa sacramenta tanquam Dei & Christi instrumenta moralia illam moraliter causant.

Secundò, Sacramenta sunt quædam signa practica moraliter Deum mouentia, vt gratiam det recipientibus illa: cõtinent etiam merita Christi, illaque applicant ad productionem gratiæ; ergo gratiam moraliter causant.

Secunda pars sequitur ex 1. con. & probatur primo ex verbis illis Ioan 3. vers.5.

ij D qui-

quibus probauimus concl 1. dubij præced. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, &c.* vt enim ait D. Tho. 1. 2. quæst. 112. art. 1. ad 2. illis significatur, per sacramenta nouæ legis causari gratiam instrumentaliter, & per virtuté Spiritus Sancti principaliter; ergo sicut Spiritus Sanctus principaliter physicè causat gratiam, ita & sacramenta instrumentaliter physicè: instrumentum enim causæ physicæ principalis etiam physicum esse debet, & physicè causare. Confirmatur ex verbis S. Chrys. super hunc locum dubio præced. con. 1. a nobis relatis, & ex multis alijs Patrum testimonijs, quæ refert Magister Soto vbi supra:

3 Secundò probatur auctoritate D. Thom. hic enim postquam dixit causam instrumentalem, qualis est securis respectu lecti agere per motum, quo mouetur à principali agente, subdit: *Et hoc modo sacramenta noue legis gratiam causant* Sentit ergo illam physicè causare, sicut securis physica causa est lecti. Et ad secundum dicit sacramenta ex illis instrumentis esse, quæ duas habent actiones, vnam propriam, & alteram instrumentalem, & hanc per illam efficiũt, qualem dicit esse securim respectu lecti; *Et similiter sacramenta corporalia per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute diuina circa animam*. Sed hæc instrumenta sunt physica, vt conuincit non solum exemplum securis, sed etiam doctri-

na

na eiusdem S Doctoris 1.par. qu.45. art. 5. vbi instrumenta, quæ has duas actiones habent, negat posse esse instrumenta creationis, cum tamen constet creaturam ad creandum solum physicè non posse concurrere, moraliter enim creationem alicuius rei potest homo mereri, aut impetrare; ergo sacramenta physica instrumẽta sunt gratiæ. Vide etiam Sanctum Doctorem q.27. de verit.art.4. & quæ nos diximus 1. 2.q.112. ar.1. cum ipso.

Tertiò probatur, Verba consecrationis instrumentaliter physicè concurrunt ad conuersionem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi; ergo & sacramenta ad productionem gratiæ. Consequentia patet, nam vt docet D. Thom. infra q.79. art.4. eodem modo concurrunt verba cõsecrationis ad transubstantiationem, quo sacramenta ad suos effectus. Antecedens vero probatur: Tum quia loco proximè citato dicit D. Thom. in verbis consecrationis esse virtutem instrumentalem creatam ad prædictam conuersionem faciendam, cui similem ait ad secundum, non esse in creatura ad creandum; ergo cum virtus, quæ non potest esse in creatura ad creandum, sit physica ad physicè concurrendum ad creationem, virtus quæ est in verbis consecrationis physica erit ad physicè concurrendum ad prædictam conuersionem. Tum etiam, quia quando Christus in vltima cœna consecrauit, suis verbis effectiuè physicè operatus est illam mira-

bilem conuersionem, sicut & alia miracula quæ fecit; ergo idem erit quando Sacerdos consecrat. Consequentia patet, quia vt loco proximè citato ait D. Thom. verba consecrationis proferuntur ex persona Christi, & vt inquit S. Ambros. lib. 4. de Sacrament. cap. 4. consecratio est verbis, & sermonibus Domini Iesu. Antecedens vero probatur, nam vt docet D. Thom. supra q. 13. art. 2. anima Christi vt instrumentum verbi sibi vniti habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, exceptis illis, quibus creaturę fiunt ex nihilo, aut in nihil rediguntur, sicque ad illas physicè faciendas, alias enim etiam haberet ad creationem & annihilationem, cum constet potuisse mereri, aut impetrare illas; ergo, &c.

Vltimò, Sacramenta possunt diuina virtute instrumentaliter physicè causare gratiam in anima; ergo cum hæc causalitas sit maxima excellentia sacramentorum nouę legis, & illa admissa melius, & cum maiori proprietate intelligantur, & explicentur loca Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorũ afferentium, talia sacramenta esse causas gratiæ, illis non est deneganda. Antecedens probatur. Tum quia cum teste D. Thom. infra q. 75. art. 4. & 2. 2. q. 66. art. 1 Deus sit omnium rerum dominus, & eius actio se extendat ad totam naturam entis, & omnes res quantum ad earum naturas subiaceant diuinæ potestati, cui omnia ad nutum obediunt, quamlibet creaturam po-

poteſt aſſumere, vt inſtrumentum phyſicũ ad producendum quicquid eſt in potentia ſaltem obedientiali alterius creaturæ, ac proinde gratiæ, quæ de potentia obedientiali animę educitur.

Tum etiam, quia aliæ res corporeæ poſſunt virtute agentis ſpiritualis producere inſtrumentaliter phyſicè effectus ſpirituales in ſubiectis ſpiritualibus: vt ignis inferni virtute Dei dolorem, & triſtitiam in dæmonibus, & animabus damnatorum, iuxta ea quæ diximus 1.p.q.64. ar.4.& 75. artic. 2. dubio vnico ad 1. & phantaſmata corporea virtute intellectus agentis ſpecies intelligibiles in intellectu paſſibili, iuxta ea quæ diximus ibidem q.79 ar.3. dub. 2. ergo & ſacramenta virtute diuina gratiam in anima. Tum denique, quia hoc non implicat contradictionem, vt patebit ex ſolutionibus argumentorum.

Ad primum reſpondetur, ſolum probare non alium quam Deum eſſe cauſam principalem gratiæ: nam vt ait D.Thom.q.27. de ver.ar.4. ad 19. *Spiritus Sanctus non datur niſi ab eo, qui cauſat gratiam ſicut principale agens, quod ſolius Dei eſt; & ideo ſolus Deus Spiritum Sanctum dat*. Idem eſt de alijs quę ſoli Deo tribuuntur.

Ad ſecundum reſpondetur, eodem argumento probari poſſe, nec voluntatem hominis non niſi moraliter producere actum dilectionis Dei ſupernaturalis, cum virtutem, quam habet, & qua ad hunc actum

eliciendum eleuatur, nempè charitatem, habeat ex meritis Christi. Vnde asserendum est, sacramenta habere quidem vim causandi gratiam ex meritis, & passione Christi, ab humanitate tamen, & diuinitate eius: nam vt ait D. Thom. hic artic. 5. cum Deus sit causa principalis gratiæ, humanitas Christi instrumentum coniunctū, & sacramentum separatum, per instrumētumque coniunctū moueatur instrumentum separatum. vt baculus per manum; *Oportet quod virtus salutifera à diuinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramenta deriuetur*. Cum autem Christi humanitas, non solum moraliter, sed etiam physicè causet gratiam, sacramentis nō solùm moralem, sed etiam physicam vim causandi gratiam confert. Et quamuis merita Christi solum moraliter causent gratiā, non sequitur ex illis non haberi nisi virtutem moralem, nam vtraque virtus, tam moralis, quàm physica est ex meritis Christi.

Ad confirmationem neganda est minor: nam vt ait D. Thom. hic art. 3. sacramenta continent gratiam *Secundum quandam instrumentalem virtutem*, Secundum quam etiam continent diuinam virtutem, & merita Christi; quatenus enim talis virtus instrumentalis est effectus diuinæ virtutis, & meritorum Christi, hæc continent sacramenta secundum talem virtutem; quatenus vero est causa gratiæ, hanc sacramenta virtualiter continent secundum talem

vir-

virtutem. Vnde cum in sacramentis sit virtus instrumentalis non solum moralis, sed etiam physica, non solum moraliter, sed etiam physicè continent tam gratiam, quam virtutem diuinam, & merita Christi.

Ad 3. Mag. Soto in 4 d.1.q.3.a.2.§.*Verum tamen*. Respondet negando maiorem; existimat enim toto tẽpore quo durat actio, in qua consistit sacramentum conferre gratiam: Sed hoc communiter falsum esse asseritur: nam gratia sacramentalis in instanti producitur, & à sacramento completo & perfecto, quale non est, sed in fieri toto tempore, quo durat actio. Vnde alij respondent, sacramenta, excepta Eucharistia, licet quando non sunt producant gratiam, posse illam instrumentaliter physicè causare, quia immediatè antea fuerunt: non secus ac semen commixtum, seu embrio instrumentaliter physicè producit animal; quia quamuis quando animal producitur, nõ sit embrio, fuit tamen immediatè antea. Et licet sacramentum causet gratiam vt motum à Deo, & quatenus recipit diuinam virtutem; sufficit tamen vt à Deo moueatur, & diuinam virtutem recipiat, dum est in fieri vsque ad terminũ, & instans completiuum illius. Sed melius respondetur. Sacramenta non producere gratiam, quando non sunt, sed quando sunt, non quidem in fieri, sed in esse completo, & perfecto. Quamuis enim consistant in motu, de motu tamen ait Arist. 6 Physi-

co cap.5.in eo dari reale mutatum esse, non quidem in principio, sed in fine: *Ac illud quidem quod in fine & perfectione, mutationis primum dicimus, tum inest, tum vere est*. Sacramentũ autem non supponit pro solo motu, sed pro motu terminato: & quamuis in instanti terminatiuo non sit motus infieri; est tamen motus terminatus perfectus & completus; sicque adhuc est sacramentum, quod moueri à Deo, & recipere diuinam virtutem,& causare gratiam physicè potest. Si obijcias, stante globo perfectè spherico super tabula perfectè plana, si Deus anihilato globo solum relinqueret punctum, in quo tangebat tabulam, & mediante illo aliquid deficeret in tabula, non diceretur illud efficere mediante globo,sed medio pũcto dumtaxat, quia globus iam non est.ergo cum quando est mutatum esse in fine motus, iam non sit motus, nam tunc est primum non esse motus per quod desinit, non dicetur gratia produci medio motu v.g. ablutione, ac per cõsequens nec medio sacramento tanquã instrumento physico.

Respondetur negando consequentiam: nam anihilato globo, punctum remanens iam non est punctum globi, licet fuerit, & iam non terminat globum licet terminauerit, & globus ratione illius nullo modo dicitur existere, cum sit res permanens, quæ non existit, nec est præsens ratione indiuisibilis.

At ratione mutati esse, quod est in fine mo-

motus & illũ terminat, ficut & ratione illius quod eſt in medio motus, & partes eius copulat, aliquo modo dicitur motus exiſtere, cum ſit res ſucceſſiua, quæ ratione indiuiſibilis exiſtit, & præſens eſt, illudque mutatum eſse reuera eſt mutatum eſse motus, & illius terminus, & finis, vt ait Ariſt. vbi ſupra; *Mutationem enim abſoluere poteſt, finiſque eſt mutationis*. Ac proinde ratione illius poteſt motus ablutionis ver. gt. cauſare gratiam, vt inſtrumentum phyſicum diuinæ virtutis: nam quamuis non ſit motus infieri, quando ipſum eſt, eſt tamen motus terminatus, & completus, pro quo, & non pro ſolo motu ſupponit ſacramentum, vt diximus.

Ad confirmationem quidam reſpondent negando minorem, quia quamuis ſacramenta recedente fictione iam non ſint vllo modo; Deus tamen per rem, quæ fuit, & iam non eſt, poteſt phyſicè aliquid cauſare, vt calorem per ignem, qui fuit heri, & hodie iam non eſt. Sed hæc ſolutio optimè impugnatur in argumento. Alij reſpondent negando etiam minorem: nam quamuis ſacramenta recedente fictione non maneant in ſe, manent tamen in ſua virtute, vel in aliquo effectu, nempè aut character, aut aliqua immutatione, determinatione, ac modificatione, qua ſubiectum illa ſuſcipiens aliquo modo realiter fuit immutatum, determinatum, ac modificatum: ad rationem autem agentis phyſici ſufficit manere in ſua virtute, vt patet

in homine generante, qui quamuis non sit actu, quando genitum animal producitur, verè dicitur illud physicè generare, quia manet in sua virtute, semine scilicet ab eo deciso. Prædictam etiam determinationem subiecti sufficere, probari videtur exéplo Resurrectionis Christi, de qua ait D. Thom. supra q.56. art.1. ad 3. causam esse nostræ resurrectionis, non quidem meritoriam, sed efficientem instrumentalem, sicque nõ moralem, sed physicam: & tamen constat ipsum non manere in se, sed in sua virtute immutationis, determinationis, ac modificationis subiecti nempè humanitatis Christi. Sed communior & verior discipulorum D. Thom. doctrina est, sacramenta recedente fictione non causare gratiam physicè, sed solum moraliter. Difficile est enim explicare, quomodo post susceptionem sacramenti maneat in suscipiéte realis immutatio, aut determinatio, ratione cuius sacramentum ipsum manere dicatur in sua virtute vel effectu reali. Nã esse motum transacto motu, nõ est aliquid reale, sed extrinseca denominatio in subiecto moto: sed sacramentum suscepisse fictè nihil aliud est, quam suscipientem fuisse motum actione vel motu; in quo consistit sacramentum; ergo recedente fictione nihil reale manet in eo. Ad exemplum autem de resurrectione Christi (idem est de eius morte & passione) dicunt cum Caiet. in locum citatum D. Thom. non esse verè causam efficientem physicam, sed condi-
tio-

tionem quandam, qua humanitas Christi, quæ est veluti vniuersale instrumentum Dei ad opera miraculosa determinatur per quandam appropriationem ad tale opus miraculosum, qualis est nostra resurrectio efficiendum; vt sit autem hoc modo causa non opus est, vt in se aut in sua virtute maneat, sicut reuera non manet, cum Christũ resurrexisse nihil modo reale sit in eo, sed solùm extrinseca denominatio; sed satis est, vt per illam modificata, & determinata fuerit Christi humanitas, quæ est causa instrumentalis physica. Vnde ad confirmationem respondetur negando maiorem: sacramenta enim licet in eis, qui fictè accesserunt, recedente fictione, moraliter causent gratiam, sicut eam causassent à principio si non fictè accessissent; non tamen causant omnibus modis, quibus antea causarent: nam cum antea existerent, non solùm moraliter, sed etiam physicè causassent gratiam; postea verò cũ non existant, non possunt illam physicè causare, sed solum moraliter: quia ad illud requiritur existentia, ad hoc vero nõ, sed sufficit, vt mouere possint diuinam voluntatem ad conferendam gratiam, sicut reuera mouent, etiã si non existant, sed fuerint, sicut merita Christi ante eius aduentum diuinam voluntatem mouebant ad conferendam gratiam in lege veteri & naturæ, quamuis actu non existerent, sed futura essent. Sicque sicut merita Christi, futura causa moralis erant gratiæ collatæ antiquis patribus, qui ob me-

merita Christi iustificabantur: ita sacramenta suscepta, etiam ficte, causa moralis sunt gratiæ collatæ recedente fictione eis, qui ea susceperunt. Nam quamuis susceptio illorum cum fictione non fuerit Deo accepta, sacramenta tamen ipsa, & merita Christi per ea applicata Deo accepta sunt, & manent in diuina acceptatione, sicque propter illa, recedente fictione & impedimento, confertur à Deo gratia, huiusque illa causa moralis sunt: non secus, ac pretium datum à captiuo pro sua redemptione cum iniuria domini, quem captiuus dans pretium verbis contumeliosis offendit, licet tunc effectum libertatis captiuo non obtineat, postea tamen exhibita satisfactione, libertatis illius causa moralis est, etiam si iam sit consumptum.

Ad quartum respondetur, optimam esse solutionem in ea positam. Ad primam eius impugnationem dico, potentiam vel actionem non posse etiam diuina virtute eleuari ad attingendum tanquam obiectũ aliquid quod est extra latitudinem sui obiecti adæquati; bene tamen ad illud attingendum tanquam effectum. Vt licet potentia visiua, aut visio corporea, non possit eleuari ad attingendum Angelum tanquã obiectum visum; bene tamen ad attingendum illum tanquam effectum producendum non quidem per creationem, sed per conuersionem alterius rei in illum. Sacramenta autem non eleuantur ad attingendum gratiam tanquam obiectum, sed tan-

quam

quam effectum: & res, pro quibus supponunt sacramenta nempè motus, terminum quidem habent, non tamen propriè obiectum, & sic quando eleuantur ad producendam gratiam instrumentaliter physicè, dicentur eleuari ad attingendum aliquid extra latitudinem sui obiecti: & idem est de multis alijs rebus corporeis. Ad secundam impugnationem quidam dicunt, illam virtutem esse entitatiuè spiritualem, quæ licet, vt docet D Thom. ar.4. ad 1. non possit esse in re corporea per modum virtutis permanentis, & completæ; potest tamen esse in illa instrumentaliter, & per modum transeuntis. Et non esse eãdem rationem de virtute materiali, qualis est calor, quæ nec per modum transeuntis potest esse in re spirituali v.g. in Angelo: nam virtus spiritualis potest esse perfectio corporis, vtpotè inferioris; virtus verò corporalis non potest esse perfectio spiritus, vtpotè superioris. Alij dicunt, talem virtutem esse quidem materialem in ratione entis, quia inhæret rei materiali, esse tamen spiritualem in ratione virtutis; quia ordinatur ad producendam rem spiritualem, & ratio virtutis desumitur à termino producto. Et propter hoc dixisse D.Thom. q.27. de verit. art.4 ad 5. *Quod virtus illa neque potest dici corporea, neque incorporea propriè loquendo, sed propriè dicitur virtus ad incorporeum*. Alij denique dicunt, illam virtutem neque in ratione entis, neque in ratione virtutis esse spiritualem formaliter, sed cor-

po-

poream, ſicut nec potentia nutritiua, aut generatiua eſt formaliter ſubſtantialis,licet ordinetur ad producendam ſubſtantiam, ſed accidentalis, cum ſit immediatè operatiua: eſſe tamen virtualiter ſpiritualem; ſicut è contra anima rationalis non eſt formaliter corporea, licet det eſſe corporeũ, ſed ſolùm virtualiter, vt diximus 1.p.q.76. art.4. dubio vnico, con.2. Iuxta quemlibet autem ex his modis dicendi neganda eſt conſequentia: quia à re corporea vt eleuata per virtutem ſpiritualem, aut formaliter in ratione entis, vel in ratione virtutis, vel in ratione virtutis, aut virtualiter, poteſt in inſtrumentaliter procedere actio ſpiritualis, quæ ſit gratiæ productio.

Ad tertiam impugnationem dico, non eſſe neceſſarium agens phyſicum eſſe immediatè coniunctum cum ea parte, in qua producit ſuũ effectũ, vt patet in pungente carnem, quod in ſenſu, aut organo tactus cauſat dolorem, cum quo tamen non eſt immediatè coniunctum, iuxta ea quæ diximus 1.p. q.78 art.3. dubio 1. concl.5. & dubio 4. concl.3. ſed ſatis eſſe coniunctum eſſe cum toto compoſito. Vnde cum ſacramenta poſſint eſſe immediatè coniuncta cum homine, in eius anima poſſunt inſtrumentaliter phyſicè gratiam cauſare, ſicque tangendo corpus cor abluere, & efficere operationẽ inſtrumentalem circa animam, vt cũ S.Aug. dicit D.Th. hic ad 2.

Ad quintum reſpondetur, productionem gratiæ, licet impropriè dicatur creatio,

tio, ſicut & productio Adæ de limo terræ; propriè tamen non eſse creationem, ſed actionem quandam ſupernaturalem, qua educitur gratia de potentia obedientiali ſubiecti, quæ licet ſit perfectior creatione; non ſequitur, ſi ad creandum non poteſt creatura aſsumi, vt inſtrumentum phyſicum, non poſse aſsumi ad producendam gratiam: nam hoc non prouenit ex perfectione creationis, ſed quia creatio eſt ex nihilo, & nullum præſupponit ſubiectum, productio vero gratiæ illud præſupponit. Vnde D.Thom.q.27. de verit. art.4. ad 15. ait: *Creatio nihil præſupponit circa quod poſſit fieri inſtrumentalis actio, recreatio vero præſupponit ei, & ideo non eſt ſimile*. Ad confirmationem patet ſolutio ex dictis à nobis 1. p. q.45.ar.5. Vide ibi.

Dubium 3. Quam, & quando conferant gratiam ſacramenta nouæ legis.

VAriæ ſunt de hac re Doctorum ſententiæ. Prima eſt, nullum ſacramentum per ſe loquendo cauſare primam gratiam, ſed omnia ad augmentum gratiæ conferendum fuiſse inſtituta. Hanc tenent Gabriel in 4.d.4. q.2. & d. 14.q.2. & d.18. q.1. Ocham ibidem quæſt.8. & 9. & alij. Probant quia ſacramenta non conferunt gratiam adultis, niſi habeāt contritionem, nam hæc eſt neceſſaria diſpoſitio ad gratiam

tiam sacramentalem, alias qui scientes se illam nō habere accederent ad sacramenta, non peccarent: sed qui habet contritionem, iam habet primam gratiam; ergo hanc non conferunt sacramenta.

Secunda est, sacramenta mortuorum, Baptismum scilicet & Pœnitentiam, causare primam gratiam; non tamen sacramenta viuorum. Hanc tenent Scotus in 4. dist.14.& 18. & 19. q.vnica, & alij. Probant primò, nam sacramenta viuorum supponunt vitam gratiæ, vt nomen ipsum indicat, & non sunt instituta in remissionem peccati, sicut mortuorum sacramenta, sed ad alios particulares effectus supponentes gratiam, vt ad confirmandam in illa, vel ad nutriendum, aut agendum illam ergo non causant primam gratiam.

Secundò, Sacramenta viuorum non causant primam gratiam per se, cum per se, & ex propria ratione supponant illam: neque per accidens, nam si primam gratiam causarent, hoc conueniret eis ex diuina Institutione; quod autem sacramentis conuenit ex diuina institutione, non conuenit eis per accidens, sed per se; ergo nullo modo primam gratiam causant.

Tertia sententia est, Sacramenta causare gratiam, antequam recipiātur in re, per solum votum, & desiderium recipiendi illa. Probatur primò, nam hæc videtur esse sententia D.Tho. infra q.66.art.11.& q.68. art.2. & q.73.ar.3.& q.80.art.1.ad 3.vbi sic habet: *Effectus sacramenti potest ab aliquo* per-

percipi, si sacramentum habeat in voto, quamuis non accipiat in re. Immo & approbari videtur à Conc. Trid. Sess. 13. c. 8.

Secundò, Effectus proprius Baptismi est delere peccatum originale, & regenerare hominem per gratiam Pœnitentiæ, tollere peccata commissa post Baptismum, & resuscitare hominem spiritualiter, & Eucharistiæ, augere gratiam, & nutrire in vita spirituali: sed hos effectus causant hæc sacramenta spiritualiter accepta per votũ, & desiderium, antequam recipiantur in re; ergo, &c.

Quartà est, Sacramenta non causare gratiam; quando iam transacta sunt; etiam recedente fictione, cum qua fuerunt recepta. Probatur primò, gratia sacramentalis promissa est reali susceptioni Sacramenti, quando non ponitur obex; propter quod in Concil Florent. & Triden. dicitur sacramenta nouæ legis conferre gratiam non ponentibus obicem; ergo si semel ponatur obex, postea gratiam non conferunt, quia non fuit seruata conditio promissionis.

Secundò, Sacramenta quæ transierunt, iam non sunt; ergo sicut antequam essent, non causabant gratiam, ita nec postquam desierunt esse, & iam non sunt, illam causant. Probatur consequentia, quia sacramenta, quæ non sunt, non habent virtutem aliquam, non continent gratiam, aut merita Christi, quia hæc virtus, & continentia supponit esse, ergo non causant gratiam.

Di-

Dicendum tamen est primò, Omnia sacramenta nouę legis tam viuorum quam mortuorum aliquando causare primā gratiam, aliquando augmentum gratiæ. Prima pars conclusionis, quod attinet ad sacramenta mortuorum, certissima est, cum de fide sit, per Baptismum paruulis remitti peccatum originale, & primam gratiam conferri, & in Conc. Trid. Seß. 14. cap. 4. dicatur, peccatori habenti attritionem, quæ per se non sufficit ad iustificationem dari primam gratiam per sacramentum Pœnitentiæ: Constat etiam hæc sacramenta instituta esse ad delendum peccatum mortale, originale, vel actuale, & hominem de morte spirituali culpæ ad vitam spiritualem gratiæ transferendum.

Quod verò attinet ad sacramenta viuorum, colligitur ex D. Thom. infra q. 72. a. 7. ad 2. dicente confirmationem, quæ sacramentum viuorum est, aliquando conferre primam gratiam, cum scilicet in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel non perfectè cōtritus ad tale sacramentum accedit, dummodo non fictus accedat: & q. 76. art. 3. idem docente de sacramento Eucharistiæ. Probatur etiam, nam vt constat ex Conc. Flor. & Trident. Seß 7. Can. 7. Sacramenta nouę legis conferunt gratiam ritè suscipientibus, & non ponentibus obicem; sed sacramenta viuorum possunt ritè, & absque obice suscipi ab homine existente in peccato mortali, si bona fide putat se esse iustificatū, & attritionem ha-

habet, quam contritionem esse existimat; ergo primam gratiam causare possunt.

Secunda pars de Sacramentis viuorum manifesta est, cum per se supponant vitam gratiæ, & ad eius augmentum ordinentur. De Sacramentis mortuorum probatur; sacram. nouæ legis, vt dictũ est ex Cóc. Flor. & Trid. ritè suscipientibus, & nõ ponẽtibus obicem gratiã conferunt: sed qui existens in gratia, & cum contritione accedit ad sacramenta mortuorum, Baptismum scilicet & Pœnitentiam ritè, & absque obice illa suscipit; ergo in illo gratiam causant. At non primam, quia iam sunt in gratia; ergo augmentum gratiæ.

Dicendum est secundò, Causare primam gratiam solis sacramentis mortuorum cõuenit per se; causare verò augmentum gratiæ omnibus tam viuorum, quàm mortuorum Sacramentis per se conuenit. Primam partem negant nonnulli asserentes, causare primam gratiam per se conuenire etiam Sacramentis viuorum, non quidem ratione vltimæ differentiæ, sed ratione generis, eo modo quo homini ratione animalis conuenit esse sentientem. Sed probatur, causare primam gratiam, & non augmentum gratiæ, conuenit sacramentis viuorũ ex indispositione, & impedimento suscipientis, quia scilicet non accedit cum dispositione, quam exigunt ex sua natura & per se; ergo non conuenit illis per se, sed per accidens propter tale impedimentum ac indispositionem: sicut ignis, qui per se

habet producere calorem vt octo, aliquãdo nõ producit illum per accidens ob impedimentum, & indispositionem subiecti.

Secundam partem negant etiam nonnulli asserentes, causare augmentum gratiæ solùm conuenire per se sacramentis viuorum, & sacramenta mortuorum tantùm per accidens augmentum gratię causare. Sed probatur, Sacramentis etiam mortuorum conuenit causare augmentum gratiæ, non propter indispositionem, & impedimentum suscipientis, sed potiùs propter maiorem, & perfectiorem dispositionem; ergo non per accidens, sed per se conferunt augmentum gratiæ, ex sua enim natura, & per se habent omnia sacramenta causare gratiam maiorem, & perfectiorem, si cum maiori, & perfectiori dispositione suscipiantur.

Dicendum est tertiò, Sacramenta non conferre gratiam ex opere operato antequam realiter suscipiantur. Docent hoc communiter Theologi, & probatur primò. Effectus sacramentorum tantum sunt promissi reali susceptioni illorum, vt colligitur ex illo Marci vltim. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*: & Ioan. 6. v. 51. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*; ergo nisi sacramenta suscipiantur in re, non conferunt ex opere operato gratiam sacramentalem, quæ est præcipuus eius effectus.

Secundo. Alij effectus sacramentorum non

non conferuntur per solum votum, & desideriũ sacramenti, sine ipso sacramento in re suscepto, vt patet in charactere, qui non imprimitur per solum votum Baptismi, vel Confirmationis, aut Ordinis: & in remissione totius pœnæ, quæ est effectus Baptismi, & non fit per solum votum sine Baptismo in re suscepto; ergo nec effectus gratiæ, eadem enim est de hoc, & de alijs effectibus ratio.

Tertiò, Postquam quis suscepit sacramentum in voto, si recipit illud in re, tunc confertur illi totus effectus sacramenti ex opere operato; non minus enim gratiæ cõfertur illi, quàm alteri, qui absque susceptione sacramenti in voto præcedente, illud in re suscipit; ergo antea sacramentum in voto susceptum non produxerat gratiam ex opere operato; aliàs enim gratia illa, quæ est effectus sacramenti bis produceretur, semel per sacramentum in voto, & iterum, per sacramentum in re susceptum. Vide Mag. Soto in quarto dist. 11. quæst. 2. art. 1.

Dicendum est quartò. Postquam sacramenta sunt fictè suscepta, fictione recedẽte gratiam causant. Probatur primò, Nam de Baptismo asseritur expresse à S. August. lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, c. 12. his verbis: *In illo qui fictus accesserat fit, vt non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione, & vera confessione purgatur, quod non posset sine Baptismo, sed vt quod antea datum est, tũc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci*

confessione recesserit. De Pœnitentia verò, & alijs sacramentis asseritur a D. Thom. in 4.d.17.q.3 art.4. quęstiunc.1. vbi de fictè accedente ad Pœnitentiæ sacramentum ait: *Quamuis tunc non percipiat absolutionis fructum; tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam est in alijs sacramentis.*

Secundò probatur, Quamuis susceptio sacramentorum cum fictione sit mala, & sacrilega; ipsa tamen sacramenta opera Dei, & sancta sunt, & virtualiter continent merita Christi; ergo si quando actu recipiuntur, non causant gratię effectum propter fictionem suscipientis, hac tamen sublata illum conferunt, cum tam ipsa, quàm merita Christi per illa applicata maneant in diuina acceptatione. Vide quæ diximus dubio præced. ad confirmationem 3. argum.

Ad argumentum autem primę sententiæ respondetur negando maiorem, si sermo sit de sacramentis mortuorū; ad hæc enim non requiritur contritio, sed sufficit attritio, cum qua etiam cognita potest quisque ad illa accedere; & quamuis sciret se non habere contritionem, non peccaret.

Ad argumenta 2. sententię respondetur. Ad 1. probare primam partem nostræ 2. con. scilicet causare primam gratiam, non conuenire sacramentis viuorum per se, sed per accidens.

Ad secundum respondetur. Sacramentis viuorum ex diuina institutione, ac proinde per se conuenire causare gratiam, quę

est

est eorum particularis effectus, nutritiuam scilicet, aut confirmatiuam: hanc tamen gratiam esse primam non habere ex diuina institutione, sed ex indispositione subiecti suscipientis Sacramentum, sicque per accidens esse talem; per se enim primam supponit.

Ad argumenta 3. sententiæ respondetur. Ad 1. D. Thom. ibi loqui de effectu sacramenti materialiter, vt effectus eius est: qui enim nō in re, sed in voto suscipit Sacramētum, percipit quidem gratiam, non tamen eo modo quo à Sacramento causatur, scilicet ex opere operato, sed ex opere operantis. Quæ gratia quamuis sit aliquo modo similis gratiæ sacramentali, non tamen est omnino eiusdem rationis: quia gratia sacramentalis habet quemdam modum proprium, quem non habet gratia, quæ per votum, & desiderium sacramenti habetur.

Ad secundum respondetur eodem modo, illos effectus haberi votum Sacramenti; non tamen cum illo modo, quo causantur per sacramentum in re susceptum: nam non habentur ex opere operato, nec cum ea perfectione, & plenitudine, quam habet per sacramentum in re susceptum.

Ad argumenta 4. sentent. respondetur. Ad 1. gratiam sacramentalem promissam esse reali susceptioni Sacramenti, ita vt si nō ponatur obex statim conferatur: si vero ponatur obex, hoc remoto, conferatur propter Sacramentum in re susceptum, quod

manet in diuina acceptatione.

Ad secundum respondetur negando cōsequentiam: quia sacramenta antequam recipiantur nullo modo sunt, postquam tamen recepta sunt, etiamsi à parte rei non sint, quia transierunt; manent tamen in diuina acceptatione, quod sufficit, vt moraliter possint causare gratiam mouendo diuinam voluntatem, vt eam conferat eis, qui talia sacramenta susceperunt, post remotionem impedimenti, & fictionis, ob quam eis fuerat negata.

Dubium quartum. An vt Sacramenta causent gratiam, sit necessaria aliqua dispositio ex parte suscipientis illa.

Pars negans probatur primò. Quia vt dicitur in Concil. Florent & Trident. Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicem: sed non ponere obicem non est aliqua dispositio, sed solùm non repugnare effectui Sacramenti; ergo, &c. Confirmatur, vt sacramenta etiam viuorum causent gratiam, sufficit suscipientem esse in gratia; ergo non requiritur alia dispositio.

Secundò. Si requireretur aliqua dispositio, secundum quantitatem illius maiorem, aut minorem gratiam causarent Sacramenta: sed hoc est falsum; ergo, &c. Minor probatur:

tur: Tum quia Sacramentum operatur quantum potest in eo, qui non ponit obicem; ergo non magis operatur, nec maiorem gratiam causat in eo, qui est melius dispositus, nam quamuis alius non sit ita dispositus; non tamen ponit obicem. Tum etiam, quia alias Sacramentum haberet virtutem infinitam ad causandum gratiã sine termino maiorem, & maiorem, cum dispositio non habeat terminum, sed melior, & melior in infinitum sine termino esse possit: at hoc est falsum; ergo, &c. Tum deinde, quia Sacramentum minus perfectum posset causare maiorem, & perfectiorem gratiam, quam Sacramentum magis perfectum v.g. Sacramentum Confirmationis, quam Sacramentum Eucharistiæ, si ad illud quis accederet cum maiori dispositione, quam ad istud; sed hoc est falsum, nam Sacramentum magis perfectũ debet habere perfectiorem effectum; ergo, &c. Tum denique, quia Sacramentum cum reuiuiscit, non confert maiorem gratiam melius disposito; ergo nec cum actu suscipitur.

Dicendum tamen est primo. Vt in his qui mortaliter peccauerunt, & eorum peccatum nondum est remissum, Sacramenta causent gratiam, necessariam esse in eis aliquam dispositionem. Primum dictum est propter paruulos nondum habentes vsum rationis; de quibus constat, nullam dispositionem in illis requiri, vt Sacramenta, quorum sunt capaces, eis gratiam confe-

rant: vnde si baptizentur, vel confirmentur, gratiam per huiusmodi Sacramenta recipiunt, etiamsi nullam habeant dispositionem.

Secundum dictum est propter eos, qui remisso iam peccato, & in gratia existentes ad Sacramenta accedunt: quãuis enim non sit omnino certum, probabilissimum tamen est, in his etiamsi absque alia dispositione accedant, Sacramenta gratiam causare, nam nullum obicem ponunt, & Sacramenta non ponentibus obicem gratiam conferunt; de quo vide quæ dicemus infra q. 79. ar. 8.

Conclusio vero, vt proposita, certissima est, & colligitur ex Conc. Trid. Sess. 6. c. 5. & 6. ex illoque ibi adducto ex Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum, &c* vbi S. Petrus pœnitentiæ actũ tanquam dispositionem ad Baptismum requirit in his, qui mortaliter peccauerant. De Sacramento etiam Pœnitentię docet Concil. Trident. Sess. 14. cap. 4. in illo contritionis motum, qui quouis tempore fuit necessarius ad impetrandam veniam peccatorum, præparare ad peccatorum remissionem, & quamuis attritionis actus sit, disponere ad Dei gratiam impetrandam, falsumque proinde esse, *Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre*. De Sacramento quoque Eucharistiæ Sess. 13. Can. 11. diffinit idem Concilium Tridentinum ad illud non esse sufficientem præparationem solam fidem, sup-

po-

ponens dispositionem requiri. De omnibus deniq; Sacram. nouę legis diffinit idē Conc. Sess. 7. Can. 6. & 7. gratiam conferre non ponentibus obicicem, & ritè suscipere Sacramenta, est ea recipere cũ debita dispositione; ergo hæc requiritur, vt gratiã causent.

Dicendum est secundò. Iuxta quantitatem dispositionis maiorem, aut minorē gratiam causare Sacramenta in suscipientibus illa. Probatur primò ex Conc. Triden. Sess. 6. cap. 7. vbi agens de iustificatione, cuius causam instrumentalem esse docet Sacramentum Baptismi, ait: *Iustitiam in nobis recipientes vnusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.*

Secundò. Quando Deus extra sacram. confert gratiã, cõfert illã æqualiter, vel inæqualiter, maiorem, vel minorem iuxta dispositionem eam suscipientis; ergo idem erit, quando Deus confert gratiam per Sacramenta. Vnde D. Thom. infra q. 69. art. 8. inquit: *Quia omnes pueri æqualiter se habeant ad Baptismum (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur) omnes æqualem effectum percipiunt in Baptismo. Adulti verò, qui per propriam fidem ad Baptismum accedunt, non æqualiter se habent ad Baptismum: quidã enim cum maiori, quidam cum minori deuotione ad Baptismum accedunt; & ideo quidam plus, quidam minus de gratia nouitatis accipiũt.*

Ex quo patet falsam esse sententiam Paludani in 4. dist. 4. q. 1. dicentis, paruulos,

qui cum solo baptismate morituri sunt, recipere inæqualem gratiam virtute Baptismatis, quia prædestinati sunt ad gloriam inæqualem, qualis fuisset gloria Angelorũ, qui ceciderunt, quorum loca supplent. Hoc enim, & contra D. Thom. est, & absq; vllo prorsus fundamento asseritur: vnde enim constat ita reparandas esse ex hominibus ruinas Angelorum, vt gloriam inæqualem debeant habere omnes homines, sicut habuissent Angeli mali si non cecidissent? quin potiùs oppositum conuincit æqualitas meritorum, quæ est in pluribus iustis adultis: æquales enim in meritis, pares esse debent in gloria.

Si quæras, an secundum quantitatem dispositionis Sacramenta possint conferre maiorem,& maiorem gratiam sine termino? Respondent quidam non posse: quia habent virtutem determinatam: sicque licet intra latitudinem suæ virtutis possint maiorem, & maiorem gratiam conferre, non tamen maiorem, & maiorem in infinitum sine termino. Sicut ignis intra latitudinem suæ virtutis potest producere maiorem, & maiorem calorem iuxta quãtitatem dispositionis subiecti, non tamen maiorem, & maiorem in infinitum sine termino; quia non potest producere maiorem calorem quàm vt octo v.g. Sed cõmunis, & vera sententia est, sacramenta secundum quantitatem dispositionis maiorem, & maiorem gratiam in infinitum sine termino posse causare: nam agunt virtute

tute diuina, quæ maiorem, & maiorem gratiam sine termino causare potest, non solum per se ipsam immediate, vt patet ex dictis 2.2. q.24.ar.7. dubio vnico con.1. sed etiam per quælibet instrumenta à Deo assumpta. Vnde non est eadem ratio de igne: nam hic per propriam virtutem producit calorem, talisque virtus cum sit à forma determinata, & finita, determinationem habet ad producendum calorem, vt octo v.g. & non maiorem.

Dicendum est 3. Vt sacramenta ficte suscepta reuiuiscant, & causent gratiam non sufficere eandem dispositionem, quæ sufficit, vt gratiam causent, quando ritè absque fictione recipiuntur. Probatur, vt sacramenta ritè, & absque fictione recipiantur, & gratiam causent, sufficit attritio etiam cognita, si sint sacramenta mortuorum, vel attritio existimata contritio, si sint viuorū sacramenta, sed nec attritio cognita, nec existimata contritio sufficit, vt Sacramenta fictè suscepta reuiuiscant, & gratiam causent; ergo, &c. Probatur minor, Sacramenta ficte suscepta non reuiuiscunt, nec causant gratiam, nisi fictio remoueatur: sed nulla ex prædictis attritionibus est sufficiens, vt remoueatur fictio; ergo nec, vt Sacramenta fictè suscepta reuiuiscant, & gratiam causent. Minor probatur, fictio non remouetur per Sacramentum fictè susceptum, sed per pœnitentiā subsequentem, vt docet D.Thom. infra q.69. ar.10. ad 2. at attritio cognita, vel existimata

contritio non sufficit ad remouendam fictionem, quia non sufficit ad tollendum peccatum mortale, quod suscipiendo Sacramentum fuerat commissum; ergo,&c.

Si quæras an quando fictio, & obex non est positiuus,& cum peccato mortali commisso in ipsa susceptione Sacramenti, sed negatiuus, quia scilicet indispositus, quis accedit ad Sacramentum, hoc tamen inuincibiliter, ignorat, vt contingit in accessu neutro, cum quis scilicet accedit cum sola attritione naturali existimãs tamen inuincibiliter esse supernaturalem; aut cum affectu actuali ad aliquod peccatum mortale, ignorans tamen inuincibiliter id sibi esse illicitum, quia rusticus est, & vir doctus licitum sibi esse dixit; tunc saltem sufficiat attritio supernaturalis, vt Sacramentum reuiuiscat, & gratiam causet? Respondent multi, sufficere: nam peccata commissa ante susceptionem Sacramenti, v.g. Baptismi, respectu suscipientis non habent rationem obicis, nisi quatenus permanent habitualiter siue interpretatiuè voluntaria, & eorum remissio pertinet ad Sacramentum ipsum Baptismi receptum; ergo cum hæc ratio voluntarij sufficienter tollatur per attritionem, hæc sufficiet, vt Sacramentum receptum reuiuiscat, & gratiam causet. Mihi tamen nõ sufficere probabilius videtur: nam sicut attritio supernaturalis, quam quis habuit multo ante susceptionem Baptismi, non sufficit, vt sine obice negatiuo suscipiatur, si in ipsa susceptione actua-

actuali Baptismi sola attritio naturalis inueniatur: ita post Baptismum cum obice negatiuo susceptum nō sufficit ad tollendum talem obicem sola attritio, quia cum sola ipsa non sufficiat ad iustificationem, nec etiam sufficit ad auferendam omnino rationem voluntarij quam habent peccata, ac per consequens nec sufficit ad tollendū obicem negatiuum, sed ad hoc necessaria est contritio, aut attritio cum alio Sacramento, sicut requiritur ad tollendum obicem positiuum.

Dicendum est quartò. Quando Sacramenta fictè suscepta reuiuiscunt, licet causent gratiam; non tamen maiorem in habente maiorem contritionem, aut dispositionem, qua fictio aufertur. Probatur; Contritio, qua aufertur obex, vel fictio, se habet, vt remouens prohibens, vt colligitur ex D.Thom. hic ad 2 Sed remouens prohibens, siue magno, siue exiguo impetu prohibens remoueat, non propterea maior, aut minor est velocitas motus lapidis v. g. deorsum descendentis, sed eadem, ac si motus nunquam fuisset prohibitus; ergo similiter siue contritio, qua remouetur fictio vel obex prohibens collationem gratiæ, magna aut parua sit, non propterea maior, aut minor erit gratia, quæ causatur per Sacramentū reuiuiscens, sed per illud semper causatur minima gratia, qualis est, quæ confertur infantibus, qui baptizantur: quia non confertur ob aliquam dispositionem, sed quia obex ab-

latus est, & obicis carentia latitudinem non habet, sed consistit in indiuisibili. Confirmatur, Sacramentum, dum confertur, applicat merita Christi ad effectum non vagum, & incertum, sed determinatum, & certum: at si postea in habente maiorem contritionem maiorem gratiam causaret, & minorem in habente minorē contritionem, non ad effectum certum, sed ad incertum applicaret merita Christi, cū quantitas contritionis futuræ indeterminata, & incerta sit; ergo, &c.

Ad primum autem factum in principio respondetur illos, qui peccauerunt, si eorum peccatum nondum est dimissum, eo ipso ac ad Sacramentum accedunt absque vlla dispositione, obicem ponere. positiuum quidem si talis peccati conscientiam habent; negatiuum verò, si illius ignorantiam habent inuincibilem; sicque dispositionem aliquam necessariam esse, vt Sacramentum gratiam causet in illis. Ad confirmationem, dico, antecedens non esse omnino certum, cum eius oppositum teneant Caietanus infra qu. 79. art. 1. & alij. Sed illo admisso, nam verum esse dicemus infra quæst. 79. art. 8 consequentia non est contra nos: nam propterea in 1. concl. dictum est, & eorum peccatum nondum est dimissum, vt ibi notauimus.

Ad secundum respondetur negando minorem iuxta dicta con. 2. Ad 1. probationem negandum est antecedens; si enim verum esset, non maiorem gratiam confe-

ferret Baptiſmus adultis, quam paruulis. Vnde in nō ponentibus obicem ſine diſpoſitione propria actuali Sacramentum non operatur quantum poteſt, ſed potius minimum quod poteſt. Ad 2. probationem dico, virtutem inſtrumentalem, quam habent Sacramenta ad cauſandam gratiam maiorem, & maiorem ſine termino, licet ex hac parte aliquam infinitatem habeat; nō tamen eſſe ſimpliciter infinitā, ſicut nec ſimpliciter infinita eſt virtus ſuſcipientis, quāuis meliorem, & meliorē diſpoſitionem ſine termino poſſit habere. Ad 3 probationem dico, quamuis Sacramentum minus perfectum poſſit cauſare maiorem gratiam intenſiuè, quam Sacramentum magis perfectum, ſi maiori diſpoſitione ad illud accedat homo, quam ad iſtud, nunquam tamen gratiam cauſatam per Sacramentum minus perfectum peruenire ad perfectionem gratiæ cauſatæ per Sacramentum magis perfectum: nam hæc eſt ſuperioris ordinis, & rationis. Ad 4. probationem patet ex dictis con. 4. negandam eſſe conſequentiam.



ARTICVLVS II.

Vtrum gratia Sacramentalis aliquid addat supra gratiam virtutum, & donorum.

Conclusio est affirmans.

QVid addat, explicat D.Thom. dicens: *Gratia Sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, & super virtutes, & dona quoddam diuinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem.* Quod non ita intelligendum est; vt nihil intrinsecum in ipsa gratia existens addat; habet enim gratia sacramentalis modum quendam, & perfectionem intrinsecam, ratione cuius dicit ordinem, & habitudinem ad habendum diuinum auxilium, & quodammodo ius ad illud confert: vnde virtute gratiæ confirmationis v.g. Deus est nòua lege paratus ad opitulandum homini in publica confessione fidei inter eius hostes. Sicque gratia sacramentalis quodammodo se habet ad gratiam iustificantem communiter dictã, vt species ad genus, vt hic ad 3. ait D. Th. & gratia causata ab vno Sacramento specie distinguitur à gratia causata ab alio, vt docet idem S.Thom. infra q.72. art.7. ad 3. Quamuis enim omnes secundum substantiam, seu essentiam gratiæ eiusdem speciei sint, secundum modum tamen, & perfe-

ctio-

ctionem intrinsecam, quam superaddunt gratiæ communiter dictæ, specie distinguũtur saltem accidentali.

Circa articulum tertium nihil se offert dicandum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in Sacramentis sit aliqua virtus gratiæ causatiua.

Dubium. An hæc virtus causatiua gratiæ, quæ est in Sacramentis, sit aliqua qualitas, an solum motio, qua moueatur à Deo.

DVæ sunt de hac re discipulorum S. Th. sententiæ. Prima est Capreoli in 4. dist. 1. q. 1. Paludani ibidem, & aliorum, hanc virtutem esse qualitatem. Probatur primò, nam D. Thom. hic ad 3. ait: *Virtus instrumentalis acquiritur instrumento, ex hoc quod mouetur ab agente principali.* Vbi cum motum causam virtutis instrumentalis esse dicat, sentit virtutem instrumentalem distinctam esse à motu instrumentali, ac per consequens qualitatem quandam.

Secundo, Sacramenta, cum sint causæ efficientes instrumentariæ, priusquam operentur, debent constitui in actu primo, cũ

actus

actus secundus præsupponat actum primũ, virtutemque ad agendum habere, cum non possit actio emanare ab agente principali, vel instrumentali, in quo non sit virtus sufficiens, in qua actio, & effectus contineantur, nam agens sine virtute nullum est agens: sed motio Dei sola non potest hæc Sacramentis præstare; ergo non est virtus, qua eleuantur ad causandam gratiam. Minor probatur, nam talis motio aliquem debet habere terminum: vel ergo habet pro termino qualitatem aliquam constituentem sacramentum in actu primo, & sic non interuenit in eleuatione sacramenti sola motio, sed etiam qualitas, quam intendimus: vel actionem ipsam præcisè, & hoc non est conferre virtutem, sed facere, vt faciat, quod non habet virtutem, quod est impossibile; ergo, &c. Confirmatur, motio ad agendum nihil est aliud, quam applicatio ad agendum: sed applicatio non potest esse virtus, aut ratio agendi, sed est sola conditio, & virtutem, quæ ad agendum applicatur, præsupponit; ergo, &c.

Tertiò. Alia instrumenta constituuntur in ratione instrumenti per qualitatem præuiam motui, quõ mouentur à principali agente; ergo, & sacramenta. Antecedens probatur, nam Sacerdos constituitur in ratione instrumenti ad consecrandum, & ad remittenda peccata per characterem, qui qualitas quædam est, & vt ait D. Thom. infra q.63. art.2. *Potentia est instrumentalis,*

scilicet

ſicut etiam ſupra dictum eſt de virtute, quæ eſt in Sacramentis. Grauia etiam, & leuia per veras qualitates, grauitatem ſcilicet, & leuitatem, à motu realiter diſtinctas conſtituuntur inſtrumenta generantis. Semen quoque conſtituitur in ratione inſtrumenti ad generandum animal per qualitatem impreſſam ipſi diſtinctam à quocunque motu; ergo, &c.

Secunda ſententia eſt Caiet. hic, & ſupra q. 13 art. 2 Mag. Soto in 4. diſt. 1. q. 3. ar. 4. & aliorum, virtutem hanc non eſſe qualitatem aliquam, ſed motionem ipſam, qua ſacramenta mouentur à Deo ad gratiam producendam. Probatur primò, nam D. Thom. hic artic. 1. ait: *Cauſa inſtrumentalis non agit per virtutem ſuæ formæ, ſed ſolum per motum, quo mouetur à principali agente.* At in hoc articulo: *Inſtrumentum (vt dictum eſt) non operatur, niſi in quantum eſt motum à principali agente.* Ergo non per qualitatem aliquam diſtinctam à motu.

Secundò. Quia nequit intelligi, quæ qualitas ſit iſta, diſtincta à motione Dei, & quando illam habeant ſacramenta; non enim illam habent, antequam moueantur à Deo, nam tunc præter diuinam inſtitutionem, qua inſtituta ſunt ad cauſandam gratiam, & vt moueantur à Deo ad hunc effectum, ex qua prouenit Deum eſſe paratum ad producendam gratiam per ſacramenta, nihil amplius habent quàm res cęteræ, quæ à Deo aſſumi poſſunt ad hunc effectum; neque dum mouentur à Deo,

nam

nam non est terminus talis motus, cum nõ moueantur à Deo Sacramenta ad aliquam qualitatem in ipsis recipiendam, sed ad gratiam in animabus suscipientiũ illa producendam; ergo, &c. Confirmatur; nam qualitas ex se habet esse permanens; & nõ transiens ex vno in aliud, hoc enim proprium est motus, qui est actus imperfectus ab agente in patiens: sed sacramentorum, vt hic ait D. Thom. *Virtus instrumentalis h bet esse transiens ex vno in aliud;* & non potest esse, nisi dum motus, qui est à principali agente, durat; ergo, &c.

Tertio. In alijs instrumentis non est virtus aliqua, quæ sit qualitas distincta à motu, quo mouentur, à principali agente; ergo nec in sacramentis. Antecedens probatur, nam serra mota per artem non recipit aliam virtutem fabricandi lectum, quàm modum serrandi hoc vel illo modo, & idẽ est de calamo, & de fidibus citharæ motis ad scribendum, vel citharizandum; ergo, &c.

Dicendum tamen est. Vtramque sententiam esse probabilem; secundam tamen probabiliorem. Primam partem ostendunt argumenta facta pro vtraque sententia, & auctoritas Doctorum, qui primam & qui secundam tenent.

Secunda pars præter dicta probatur, nã D. Thom. q. 27. de verit. artic. 4. ad 6. ait: *Motum instrumenti esse causam formæ inductæ à principali agente*: sed non nisi vt virtus instrumentalis; ergo, &c.

Se-

Secundò. Eo ipso ac sacramenta mouentur a Deo ad producendam gratiam, habent virtutem instrumentalem; ergo hæc non est aliqua qualitas, sed solum motio, qua mouentur à Deo. Antecedens probatur, Talis motus, seclusa quacunque qualitate recepta in sacramentis, virtuosus est, nam non habet esse virtuosum à tali qualitate, sed à Deo, à quo est; ergo sacramenta constituit in esse virtuoso, quod est ipsis conferre virtutem. Vndè simul ea constituit in actu primo præbendo eis virtutem, & simul ea reducit de actu primo ad actum secundum: sicut, & auxilium actuale, quo sępè eleuantur potentiæ ad eliciendos actus supernaturales, antequam habeant habitus, illas simul in actu primo cōstituit, & simul reducit de actu primo ad actum secundum, nam non opus est ad hæc duobus auxilijs.

Ad argumenta autem primæ sententiæ respondetur. Ad 1. per virtutem instrumentalem, quam acquirit instrumentum, ex hoc, quod moueatur à principali agente, non intelligere D.Thom. virtutem distinctam à motu, sed ipsum motum: *Quoniam sermo Auctoris est formalis, tam de virtute, quam de motu*, vt hic ait Caiet. Vnde sensus est: ex hoc, quod instrumentum mouetur ab agente principali, acquiritur, & recipitur in illo ipsa motio, quæ est virtus instrumentalis.

Ad secundum respondetur negando minorem; nam cum talis motio sit virtuosa,

prius

prius sacramenta constituit in actu primo, eisque virtutem instrumentalem præbet, & postea facit, vt operentur, sicque ea reducit de actu primo ad actum secundum. Ad probationem dico, talem motionem aliquem habere terminum; non tamen in ipsis sacramentis existentem, sed in suscipientibus illa: pro termino enim habet gratiam, quam in animabus suscipientium sacramenta producit. In sacramentis autem duo præstat: nam quatenus est motio virtuosa, seu participatio diuinæ virtutis, sacramentis virtutem præbet: & quatenus est applicatio sacramentorum ad causandam gratiam, facit, vt faciant, non quidem sine virtute, sed per virtutem, quã prius illis præbuit. Ad confirmationem respondetur, negando antecedens, motio enim ad agendum virtuosa in instrumento non solum est applicatio ad agendum, sed etiam virtus, & ratio agendi, cum sit participatio virtutis principalis agentis.

Ad tertium respondetur negando consequentiam: nam illa instrumenta commemorata in argumento habent virtutem instrumentalem permanentem; sacramenta vero habent virtutem instrumentalem, quę cum motu, quo à Deo mouentur, trãsit, & non durat, nisi dum motus durat, immo nihil aliud est quam motus.

Circa art 5. & 6. præter dicta circa ar. 1. nihil se offert scribendum.

QVAE-

QVÆSTIO LXIII.

De effectu Sacramentorum, qui est character.

ARTICVLVS I.

Vtrum Sacramentum imprimat characterem in anima.

Conclusio est affirmans.

QVæ non de omnibus Sacramentis intelligenda est, sed de aliquibus, sicque intellecta de fide est definita in cap. *Maiores*, De Baptismo, & in Conc. Florent. in Decreto vnionis, & Trident. Sess. 7. Can. 9. vbi sic dicitur: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possunt, Anathema sit.*



AR-

Vtrum charactere sit spiritualis potestas.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An character verè, & propriè sit potentia physica contenta sub secunda specie qualitatis.

PArtem negantem tenent multi, tam antiqui, quàm recentiores. Probant illam recentiores 1. de charactere baptismali: si enim esset potentia physica, maximè passiua: sed non est potentia physica passiua; ergo &c. Probatur minor, potentia physica passiua in re ipsa recipit formã vel actum; ad quem ordinatur, illisque verè actuatur, & perficitur: sed character baptismalis non est huiusmodi, nam nec recipit alia sacramenta, ad quæ præsupponitur, nec gratiam sacramentalem causatã ab alijs sacramentis, nec characteres, quos imprimunt alia sacramenta, vt patet; ergo, &c.

Secundò probant de Ordinis charactere: si enim esset porentia physica, maximè actiua: sed non est potentia actiua, nam

nam non efficit alia sacramenta, cũ actiones sensibiles, & materiales, quas important alia sacramenta non efficiantur à charactere spirituali, sed à membris externis; nec producit gratiam, nam Sacerdos non causat gratiam per characterem, sed per sacramentum ministrat, vnde etiam non Sacerdos, immò nõ baptizatus potest causare gratiam per sacramentum Baptismi, & quamuis character sacerdotalis eleuaretur diuina virtute ad producendam gratiam, hoc non sufficeret, vt esset potentia actiua, cum omnis creatura possit hoc modo eleuari ad producendam gratiam, quin dicatur habere potentiam actiuã respectu gratiæ, nec denique conficit Sacramentum Eucharistiæ, quia nulla qualitas potest esse ex natura sua confectiua conuersionis panis in corpus Christi, sicut nulla creatura ex sua natura potest facere miracula; ergo &c.

Tertiò probant de charactere Confirmationis: quia si esset potentia physica, quodã modo esset actiua, respectu scilicet protestationis fidei, & quodammodo passiua, respectu scilicet sacramenti Ordinis: non esse autem talem probatur, quia potentia datur ad simpliciter posse; character autẽ Confirmationis non datur ad simpliciter recipiendum, vel operandum, cum non confirmatus possit simpliciter recipere Sacramentum Ordinis, & profiteri fidem; & character Confirmationis solùm requiratur ad firmius profitẽdam fidem, & melius

suscipiendum sacramentum Ordinis, ergo &c.

Dicendum tamen est: Characterem vere, & propriè esse potentiam physicam cõtentam sub secunda specie qualitatis. Huius oppositum docent primò Durandus in 4.d.4. q.1. num.11. asserens characterem non esse nisi ens rationis. Contra quod est quod hic, & art. præced. ait D. Thom. & definiunt Concilia, characterem imprimi in anima; ens enim rationis non imprimitur, sed consequitur operationem intellectus.

Secundò. Scotus in 4.d. 6 q. 10. dicens characterem esse quidem aliquid reale, non tamen nisi relationem realem. Contra quod etiam militat, quod contra Durãdum obiecimus: nam cum ad relationem non sit per se motus, vt dicitur 5. Physic. tex.10 non potest esse aliquid impressum, aut productum in anima. Vnde D.Thom. hic ad 3. docet, Characterem non esse in genere relationis, sed super quem fundatur relatio.

Tertiò, Richardus in 4.d.5.art.1.q.1. putans characterem esse quidem aliquid absolutum, & qualitatem; non tamen contentam in prædicamento qualitatis; quia est qualitas supernaturalis. Contra quod obijcit Mag. Soto in 4.d.1 qu.4. artic.2. nam etsi Deus non sit in prædicamento, quia est ens infinitum; qualitates tamen supernaturales, cum sint entitates finitæ, in prædicamento poni necesse est. Verum est, chara-

racterem, vt hic ait D Thom.non poni in prædicamento qualitatis, aut aliqua eius specie directe, & per se, sed solum reductiuè, quia est aliquid imperfectum, & incõpletum, sicut & virtus instrumentalis, quæ est in Sacramentis. Vide quæ diximus 1. 2 q.23.art.3.dub.2.

Quartò. Alensis 4.p.19.membro 1.ar.2. affirmans characterem esse in prima specie qualitatis tanquam habitum, vel dispositionem. Contra quod hic in argument. *Sed contra* arguit Diuus Thomas: *Nullus habitus est, qui se possit ad benè, & malè habere: character autem ad vtrumque se habet, vtuntur enim eo quidam bene, alij verò malè. Quod in habitibus non contingit, nam habitu virtutis nullus vtitur malè, & habitu malitiæ, nullus benè.*

Quintò. Alii, quos hic ad 2. suppresso nomine refert D.Tho. dicentes, characterem esse in tertia specie qualitatis. Contra quos est, quod ibidem afferit D.Thom. *In tertia specie qualitatis non sunt nisi sensibiles passiones, vel sensibiles qualitates: character autem non est tamen sensibile, & ideo non est in tertia specie qualitatis*. Quod etiam in arg. *Sed contra* dicit: *Passio cito transit, character autem indelebilis est.*

Sextò. Alij, quos etiam suppresso nomine refert D.Thom. hic ad 1. quos sequutus est Marsilius in 4.q.4.art.1.con 7. ponentes characterem in quarta specie qualitatis. Contra quos D. Thom. dicit: *Figura est quædam terminatio quantitatis, vnde propriè*

lo-

loquendo non est nisi in rebus corporeis, in spiritualibus autem dicitur metaphoricè. Non autem ponitur aliquid in genere, vel specie, nisi per id quod de eo propriè prædicatur. Et ideò character non potest esse in quarta specie qualitatis.

Septimò: Nonnulli recentiores asserentes characterem non esse verè, & propriè potentiam physicam, sed solum habere rationem potentiæ, aut potestatis secundũ moralem quandam considerationem, quia videlicet est signum ex diuina ordinatione ad hoc destinatum, vt qui illo insignitus fuerit, aptus sit ad tale ministerium. Contra quod est doctrina D. Thomæ hic dicentis: *Diuinus cultus consistit in recipiendo aliqua diuina, vel in tradendo alijs. Ad vtrumque autem horum requiritur quadam potentia; nam ad tradendum aliquid alijs, requiritur potentia actiua: ad recipiendum autem requiritur potentia passiua. Et ideo character importat quandam potentiam spiritualem ordinatam ad ea, quæ sunt diuini cultus.* Ad quod licet quis respondere possit, D. Thom. intellexisse charactarem esse potentiam improprio modo, scilicet moraliter; prædictis tamen recentioribus non satisfacit hæc responsio, & iure quidem, nam D. Thom. verbis, & intentioni contradicit. Vnde ingenuè fatentur se à sententia D. Thom. discedere, quia ad hoc eos cogunt argumenta facta in principio huius dubij.

Sed contra illos præter auctoritatem D. Thom. est argumentum: character sa-

cer-

cerdotalis est potētia verè,& propriè physica; ergo & alij charactares. Antecedens probatur: Tum quia, potentia quam importat longe diuersa est à potestate iudicis, & prætoris, quæ moralis est. Tum quia physicè instrumentaliter concurrit ad cōuersionem panis in Corpus Christi, non minus quàm verba consecrationis, quæ illum præsupponunt, & sine quo nihil efficiunt. Tum denique, quia, vt patet ex artic. seq. est quædam participatio Sacerdotij Christi, quod physicam potentiam importare, colligitur ex D.Thom. supra q.22. art.3. dicente: *Virtute ipsius gratia nobis datur*. Confirmatur, non repugnat charactéri esse potentiam verè, & propriè physicā; ergo cū hoc ad eius dignitatem pertineat, non est illi denegandum. Antecedens patebit ex solutionibus argumentorum, quę facta sunt in principio.

Ad primum respondetur negando minorem. Ad probationem dico, non esse de ratione potentiæ physicæ passiuæ in se recipere formam, vel actum, ad quem ordinatur, sed satis esse, vt faciat subiectum capax talis receptionis. Huius exemplum est mollities, quam ad secundam speciem qualitatis pertinere docet Arist. in prædic. cap. de qualitate, quæ in cera est potentia passiua ad recipiendam figuram sigilli, quā tamen in se ipsa non recipit, sed ceram capacem facit, ad illam recipiendam, nequit enim imprimi in cera indurata quam uis possit retineri ab ea. Grauitatem etiam

in terra potentiam passiuam esse dicit D.T. lib. 5. Metaph. lect. 14. in princip. quæ tamen in se non recipit motum, quo terra mouetur deorsum. Denique, vt patet ex his quæ diximus 1. p. q. 78. art. 1. potentiam motiuam secundum locum, quæ est in animalium corporibus, multi dicunt non actiuam, sed passiuam esse, quæ tamen non recipit in se motum, sed solum est, vt ait D. Thom. 1. par. quæst. 75. artic. 3. ad 3. *Per quam membra redduntur habilia ad obediendum appetitui.* Vnde cum character baptismalis, etiam si non recipiat in se alia sacramenta, hominem capacem, & habilem faciat ad illa recipienda, potentia passiua physica erit respectu illorum. Et idem est respectu aliorum characterum, & respectu gratiæ sacramentalis; quamuis enim cathecumeni, quando iustificantur gratiam recipiant, non tamen sacramentalem, sed hanc soli baptizati recipiunt, quando recipiunt sacramenta, ijque soli illius capaces sunt sicut, & sacramentorum, quæ illam causant.

Ad secundum respondetur negando minorem. Est enim character Ordinis potentia actiua instrumentalis physica, & vt talis efficit alia sacramenta: nam quamuis hæc consistant in actionibus sensibilibus, & materialibus, quæ fiunt à membris externis, possunt nihilominus esse à caractere Ordinis tanquam à potentia physica instrumentali. Tum quia tales actiones factæ à membris externis non essent sacra-

men-

menta, nisi illi, quorum membris fiunt haberent characterem Ordinis. Tum etiam, quia mediante charactere Ordinis illis actionibus dat Deus virtutem sacramentalem. Tum denique, quia licet character Ordinis sit spiritualis; potest tanquam instrumentum diuinæ virtutis concurrere ad actiones sensibiles, vt habent rationem sacramenti: non minus quàm res materiales, vt Dei instrumenta possunt efficere res spirituales. Gratiam etiam producit: quâuis enim Sacerdos per Sacramentum, quod ministrat, gratiam causet, etiam illam causat per characterem, tanquam per virtutẽ, & potentiam instrumentalem, quæ ab Auctore gratiæ instituta est ad producendam gratiam: vnde non est eadem ratio de illa, & de quacumque alia creatura, cùm non omnis creatura instituta sit ad producendã gratiam. Denique sicut alia sacramenta, ita etiam sacramentum Eucharistiæ conficit character sacerdotalis. Nec est inconueniens, qualitatem aliquam supernaturalem, qualis est character, esse ex natura sua virtutem instrumentalem in ordine ad illam mirabilem conuersionem panis in Corpus Christi, sicut & in ordine ad productionem gratiæ.

Ad tertium respondetur, cum dicitur potentias dari ad simpliciter operandum, vel recipiendum, sensum esse dari ad operandum, vel recipiendum abstrahendo à benè, vel malè, per hoc enim distinguuntur ab habitibus, non quia dantur ad ope-

rationem, quæ sine ipsis fieri non potest; nam hoc modo etiam habitus supernaturales dantur ad simpliciter operandum; de quo vide quæ diximus 1. part. quæst. 12. artic. 5. dubio 2. Vnde cum cuiuscumque sacramenti, etiam confirmationis, character ad vtrumque se habeat, vt hic ait D. Thom. deturque ad recipiendum, vel operandum, abstrahendo à benè, vel malè; potentia esse poterit, etiamsi absque illo possit recipi Sacramentum Ordinis, & fides profiteri. Vel dic characterem confirmationis habere rationem potentiæ actiuæ respectu protestationis fidei, & potentiæ passiuæ in ordine ad perferendas iniurias, & labores propter fidem: nam cum tali modo, & ex officio non potest illa fieri, nec possunt hæc perferri, nisi ab habente characterem confirmationis.

Circa articulum 3. nihil se offert dicendum.



AR-

ARTICVLVS IV.

Vtrum Character sit in potentijs animæ sicut in subiecto.

Conclusio est affirmans.

Dubium. In qua potentiarum animæ sit character.

Qvidam recentiores cum Marsilio in 4. q.4. ar.1. dicunt, characterem in nulla potentijs animæ subiectari, sed immediatè in essentia animæ. Probatur primò, character imprimitur animæ ad significandum ipsam destinatam esse ad cultum Dei; ergo in essentia animæ debet poni, & non in aliqua ex eius potentijs. Probatur consequentia, quia quando aliquid imprimitur alicui rei, vt signum manifestans illam, debet poni in illo, quod est notius in tali re: sed essentia animæ est notior, quàm eius potentiæ; ergo &c.

Secundò. Character non est principiũ alicuius actus intellectus, aut voluntatis; ergo non est in intellectu, aut voluntate. Antecedens probatur, nam licet tam in intellectu, quã in voluntate exigat aliquos actus, omnes tamen illi habent sufficientia principia in intellectu, & voluntate sine

charactere, virtutes scilicet à quibus elicitur, si supernaturales sint, si autem naturales potentias ipsas; ergo character non est principium alicuius actus intellectus, aut voluntatis.

Tertio. Character est dispositio ad gratiam: sed gratia est immediatè in essentia animæ, ergo & character, dispositio enim debet esse in eodem subiecto, in quo est forma. Confirmatur, Character, vt patet ex dictis art. 2. non est habitus, sed potentia: at subiectum potentiæ est essentia animæ, & non in aliqua potentiarum eius, nam hæ solùm sunt subiectum habitus ergo, &c.

Quartò probatur, Characterem non esse in intellectu. Character ordinatur ad ea, quæ sunt diuini cultus: sed diuinus cultus magis pertinet ad voluntatem, quàm ad intellectum; ergo & character. Confirmatur primò, Character est signum obligationis animæ ad Deum: sed obligari Deo pertinet ad voluntatem; ergo & character. Confirmatur secundò, actus qui perficitur, & ordinatur per characterem, non est actus intellectus, sed potentiæ executiuæ, ponitur enim character ad exequendum aliquid, v.g. ad recipiendum, vel ministrandum sacramentum; ergo in potentia exequente, & non in intellectu character constituendus est.

Dicendum tamen est 1. Characterem non esse immediatè in essentia animæ. Docet hoc D.Thom. hic concludens. *Chara-*

ra-

racter non est sicut in subiecto in essentia animæ, sed in eius potentia.

Secundò probatur ratione S. D. Charactere insignitur anima ad actus, in quibus cõsistit diuinus cultus: sed ad actus propriè ordinantur potentiæ animæ, non eius essentia; nam hæc ordinatur ad esse; ergo character non est in essentia animæ, sed in eius potentia.

Tertiò: Nullus est actus qui sit ab anima, vt antecedit intellectum, & voluntatem, & non medijs his potentijs; ergo actus, ad quos insignitur anima charactere, ab anima sunt medijs his potentijs, aut altera earum, ac per consequens character in tali potentia est, eius enim subiectum esse debet, quod actus, ad quos ordinatur, elicit. Antecedens probatur, nam vel esset anima immediatè operatiua, quod est impossibile: vel esset operatiua, & non medijs intellectu, & voluntate, sed media alia potentia ipsi superaddita, quod etiam est impossibile: nam non potest esse operatiua medio solo lumine gloriæ, quod nonnulli potentiam esse affirmant, vt vidimus 1. p. q. 12. art. 5. dubio 2. nec media sola aliqua virtute infusa sine intellectu, aut voluntate; ergo nec media sola aliqua potentia instrumentali, cuius actus, licet vt est ab illa, non supponat aliquod posse etiam radicale in anima, supponit tamen illud secundum suam substantiam, qualis est character. Actus enim ad quem ordinatur character, in quo diuinus cultus consistit,

secundum substantiam est à virtute fidei; vt dicemus con. sequent. sicque posse ar-dicale supponit in anima, quod non habet, nisi media potentia naturali, qua ablata non est operatiua talis actus.

Dicendum est secundò. Characterem immediadè subiectari in intellectu. Docet hoc D. Thom. hic ad 3. dicens: *Et ideo oportet, quod character sit in cognoscitiua potentia animæ, in qua est fides.*

Secundò probatur ratione Sancti Doctor. Actus, ad quem ordinatur character, est actus intellectus; ergo character est in intellectu, principium enim actus intellectus in intellectu esse debet. Antecedens probatur, *Character ordinatur ad ea, quæ sunt diuini cultus. Qui quidem est quædam fidei protestatio per exteriora signa.* Sed huiusmodi fidei protestatio est actus intellectus; ergo & actus, ad quem character ordinatur. Si dicas, characterem ordinari ad prædictum actum, non per modum efficientis, aut cöficientis ipsum actum; sed præcisè per modum signi, quo deputatur, & consignatur homo ad cultum Dei; ac per consequens non esse necessarium, vt pertineat ad eandem potentiam, ad quam pertinet Ipse actus, sed posse esse in quocũque alio subiecto, in quo sit commodius ad significandum: sicut militiæ signum in pectore ponitur, & tamen militia manibus exercetur Contra hoc est, Character ordinatur ad prædictum actum, vt potentia physica, quamuis enim fidei habitus, sit prin-

principium proteſtationis fidei abſolutè, & ſecundum ſubſtantiam, adhuc tamen cum tali modo, & quaſi ex officio character ordinatur, vt principium efficiens, à nullo enim alio, vt ſic efficitur; ergo &c.

Ad primum autem factum in principio reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem diſtinguo minorem: Eſſentia animæ eſt notior ſecundum ſe, concedo minorem: quoad nos nego illam, ſic enim potentiæ ſunt notiores: character autem debet poni in eo, quod eſt nobis notius, vt nobis deſignet. Vel dic, characterem non ſolùm poni in anima, vt ſignum deſignatiuum illius, ſed etiam, vt veram potentiam phyſicam inſtrumentalem; atque adeo debere conſtitui in potentia intellectiua, quæ eſt principium elicitiuum proprij actus. Nam vt ait D. Thom. in 4 diſt. 4. q. 2. art. 3. quæſtiunc. 1. *Natura proportionabiliter ſpiritualitati ſubſternitur, ſicut perfectibile perfectioni. Vnde ſicut gratia, quæ eſt ſpiritualis vitæ principium, eſt in eſſentia animæ ſicut in ſubiecto: ita & character, qui eſt ſpiritualis potentia, eſt ſicut in ſubiecto in naturali potentia animæ.*

Ad ſecundum reſpondetur negando antecedens. Ad probationem dico, actum, quem exigit character in intellectu ſecundum ſuam ſubſtantiam, habere ſufficiens principium in intellectu; virtutem ſcilicet fidei, à qua elicitur: ſecundum modum tamen, quo à charactere producitur, & ad externum cultum ordinatur, à nullo alio

elici posse. Character enim illi imprimit quemdam modum realem non causabilem ex fidei virtute: hęc namq; prolationi verborum consecrationis, qua protestatur fides, communicare non potest esse transubstantiatiuam panis in Corpus Christi, sicut hunc modum; ac virtutem habet à charactere Sacerdotali, vt potentia instrumentali.

Ad tertium respondet D.Thom.in 4 d 4. q.2.a.3.quæstiunc.1.ad 1. *Quod dispositionem esse in eodem cum eo, ad quod disponit, non est necesse, nisi quando dispositio postea sit perfectio, sicut scientia dispositio, & scientia habitus sunt in eodem subiecto proximo: non autem hoc oportet, quando dispositio, & perfectio differunt per essentiam, sed possunt esse in diuersis subiectis, & præcipuè quando illa diuersa habent ordinem ad inuicem: sicut operatio sensibilis est dispositio ad intelligibilem operationem, & similiter character est dispositio ad gratiam*. Ad confirmationem respondet idem S. D. ibidem ad 2. *Quod illa obiectio procedit de potentijs naturalibus, sed potentias spirituales oportet fundari in naturalibus*. Vbi per potentias spirituales intelligit supernaturales, quas in potentijs naturalibus fundari oportere dicit, quando scilicet actus earum secundum substantiã supponunt aliquod posse saltẽ radicale respectu eorum in subiecto, qualem esse diximus characterem. Si enim non supponerent tale posse, non opus esset, eas in naturalibus potentijs fundari, vt patet si Deus ad aliquem effectum assumeret, vt in-

instrumentum essentiam animæ, vt præintelligitur potentijs naturalibus, illique ad hunc effectum potentiam aliquam instrumentalem conferret.

Ad quartum respondetur, diuinum cultum, sub ratione tamen veri, ad intellectũ pertinere, sicque ad illum ordinari characterem: nam ordinatur ad illũ, vt est quędam fidei protestatio per exteriora signa, vt hic ad 5. dicit D. Thom. Vnde sicut oratio licet ordinetur ad diuinũ cultum, quia tamen illum respicit sub ratione veri, pertinet ad intellectum; ita & character. Ad primam confirmationem dico, characteré esse signum obligationis animæ ad Deum, non quidem factæ per aliquem actum voluntatis, cum hic in multis recipientibus characterem non sit; vt patet in pueris, sed quę consequitur ad rem acceptam ex natura rei. Posse etiam aliquid pertinens ad intellectum esse signum obligationis pertinentis ad voluntatem, vt patet in propositione, qua consensus voluntatis manifestatur. Ad secundam confirmationem dico, actus exteriores, quos ordinat, & perficit character, pertinere quidem ad potentiã executiuam, vt motam tamen ab intellectu, sicque in hoc, & non in potetentia executiua constituendum esse characterem: sicut & virtutes non constituuntur in membris exterioribus, à quibus exercentur actus earum exteriores, sed in intellectu, aut voluntate, à quibus mouentur

membra exteriora, & ordinantur ad proprios fines virtutum.

Circa art. 5. & 6. nihil se offert scribendum.

QVÆSTIO LXIV.

De causa Sacramentorum.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus operetur interius ad effectum Sacramenti.

Conclusio est affirmans.

INtelligenda est per modum principalis agentis; per modum enim instrumenti inquit D.Thom. *Homo potest operari ad interiorem effectum Sacramenti, in quantum operatur per modum ministri, nam eadem est ratio ministri, & instrumenti.*

Non solum esse ministrum causam, seu conditionem sine qua non effectus sacramenti, eo modo, qui applicat ignem ad comburendum, est causa combustionis, sed etiam habere potestatem ministerialem ad remittenda peccata, & conferendam gratiam, certissimum est, vt colligitur


tur ex illo Ioan.20.vers. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: & ex formis sacramentorum. *Ego te baptizo, &c. Ego te absoluo, &c.* quæ verificari non possunt, nisi Sacerdos, aut minister haberet prædictam potestatem.

Est tamen difficultas, an minister habeat distinctam virtutem, & distinctum influxum ad remittenda peccata, & producendam gratiam, ab ipso sacramento? In qua partem negantem tenent multi: quia vt verificetur, ministrum absoluere, & abluere à peccatis, satis est, vt hoc faciat per influxum sacramenti, quod conficit, ac ministrat. Mihi tamen probabilius videtur quod hic asserunt Caiet. & communiter discipuli D.Thom. Sicut in rebus, & verbis sacramentalibus est vnica virtus instrumentalis, quæ partialiter est in rebus, & partialiter in verbis: ita vnicam esse virtutem instrumentalem totalem in sacramento, & ministro; Sacramenti tamen ministrum distinctam virtutem partialem habere ab ipso sacramento, & consequenter distinctum influxum partialem. Cum enim sacramentum sit aliquid omnino distinctum à ministro, si minister dicitur remittere peccata, & gratiam producere, hoc per distinctam virtutem, & influxum saltem partialem debet efficere, & non solùm per virtutem, & influxũ Sacramenti. Quod maximè verificatur in ministro cõsecrato speciali cõsecratione, ad conferenda sacram. Sacerdos enim, qui est minister sacra-

cramentorū habet characterem, qui est potentia physica permanens, in ordine ad remissionem poccatorum, & productionem gratiæ, quam non habet sacramentū ipsum, sed solùm habet virtutem productiuam gratię per modum fluxus, & transeuntis, & à virtute characteris sacerdotalis procedit ac dimanat, illique subordinatur; ac per consequens virtus, quæ est in tali ministro distincta est ab illa, quæ est in sacramento. Virtus quæ est in ministro nō sic consecrato, vt in non baptizato conferente baptismum, etiam si distincta sit à virtute, quæ est in sacramento, non tamen est habitualis, & potentialis, sed solùm actualis, vnde maxima est differentia inter ministrum consecratum, & non consecratum. Nomine autem ministri hic intelligendus non est, qui solùm, & præcisè porrigit sacramentum, sed qui conferendo sacramentum conficit. Vnde, qui sacramentum Eucharistiæ iam confectum alijs porrigit, non confert gratiam per se ipsum, sed solum sacramentum gratiam causat, & illud applicans tantum est pura conditio sine qua non.

Circa solutionem secundi aduertendum est, quod in ea docet D. Thom. *Effectus Sacramenti non datur melior per meliorem ministrum*, doctrinam esse Sanct. August. tract. 5. in Ioann. & lib. 3. contra Cresconium, ca p. 11. vbi ait: *Baptisma Christi non esse nisi eius, cuius nomine datur, & ideo non fieri melius, cum per meliorem datur, nec deterius*

terius per deteriorem. Ex quo infertur, quod ibidem cap.6. dixerat, & refertur Canon. *Si inter*, de consecrat. distinct. 4. *Et ideo per ministros dispares Dei munus æquale est: quia non illorum, sed eius est.* Vnde non rectè Scotus in quarto dist. 4. quæst.7. & Gabriel ibidem quæst. 2. dixerunt, à meliori ministro maiorem gratiam conferri paruulo baptizato. Cui sententiæ non fauet Caietanus hic: nam quamuis dicat, posse ministrum impetrare maiorem gratiam recipienti Sacramentum, quam sit illa, quæ regulariter per Sacramentum datur, hanc tamen subdit non habere rationem effectus Sacramenti, sed rationem annexi, sicut rationem annexi haberet, si eam impetraret extra ministerium Sacramenti; sicq; nihil aliud asserit, quam quod D. Thom. subdens: *Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum per deuotionem ministri.*



AR-

ARTICVLVS II.

Vtrum Sacramenta *sint solum ex institutione diuina.*

Conclusiõ est affirmans.

QVam secundum fidem certam esse constat ex Concil. Trid. Sess. 7. Can. 1. de Sacramentis in genere, vbi sic dicitur: *Si quis dixerit sacramenta noua legis non fuisse omnia à Iesu Christo Dom nō nostro instituta; anathema sit.* Vnde opinio, quam refert D. Thom. in 4. d. 23. q. 1. art. 1. quæstiuncula 3. Christum non instituisse per se Sacramenta Extremæ Vnctionis, & Confirmationis, sed Apostolis instituenda dimisisse, nunc iam sustineri non potest. Magistrum autem ibi asserentem, *Sacramentum Vnctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur*, explicat S. Doctor ibidem ad 2. *Quod Magister dicit ab Apostolis institutum: quia per doctrinam Apostolorum nobis promulgata est eius institutio.* Iuxta quam explicationem idem asserit Magister, quod Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1. *Instituta est autem sacra hæc Vnctio infirmorum, tanquam verè, & propriè sacramentum noui testamenti à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac pro-*

mul-

mulgatum. Quæ est etiam sententia D.Th. loco citato.


Circa articulum tertium, & 4. nihil se offert dicendum.

ARTICVLVS V.

Vtrum per malos ministros Sacramenta conferri possint.

Conclusio est affirmans.

CErta est secundum fidem, vt colligitur ex Conc. Trid. Sess. 7. Can. 12. de Sacramentis in genere, vbi diffinitur: *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, seruauerit, non conficere, aut conferre sacramentum; anathema sit*. De ministris hæreticis idem colligitur ex cap. *Ii qui baptisma*, & cap. *Hanc regulam*, 1. q. 1. De paganis etiam ex Can. *A quodam Iudæo*, De consecrat. dist. 4.



AR.

Vtrum mali miniſtrantes ſacramenta peccent.

Concluſio eſt affirmans.

Dubium I. An ſit peccatum mortale miniſtrare Sacramenta in mortali peccato.

PArs negans probatur primò. Bonitas miniſtri non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſe ſolùm pertinet ad decentiam illius, vt docet D. Thom. art. præced. ad 3. ſed defectus eius, quod ſolum pertinet ad decentiam, non conſtituit peccatum mortale, nam hoc non conſtituit defectus cõditionis requiſitæ ad bene eſſe, ſed defectus circumſtantiæ neceſſariæ, non enim peccat, qui operatur non ſecundũ quod melius, aut quando melius, &c. ſed qui operatur non ſecundum quod oportet, aut quando oportet, aut ſicut oportet, quia illud, oportet, neceſſitatem denotat; ergo miniſtrare ſacramenta ſine bonitate, & in peccato mortali, non eſt peccatum mortale.

Secundò. Qui in articulo neceſſitatis baptizat, non peccat, etiamſi ſit in peccato mortali, vt docet D. Thom. hic ad 3. ergo nec qui extra talem neceſſitatis articulum baptizat. Probatur conſequentia, nam

nam etiam qui baptizat in casu necessitatis, baptizat vt minister agentis principalis, qui est Christus, & non minus potest statim conteri, si vult, & transire de malo in bonum, quam qui extra casum necessitatis baptizat.

Dicendum tamen est: ministrare sacramenta in peccato mortali, peccatum mortale esse ex suo genere. Docet hoc D. Tho. hic; & probat peccatum quidem esse: *Quia ministri debent* Deo *conformari, secundũ illud Leuit.* 19. *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum*. Peccatum vero mortale esse ex suo genere. *Quia hoc peccatum pertinet ad irreuerentiam* Dei, *& contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris*. Sicque sacrilegium est, quod ex suo genere est mortale.

Aduertit tamen Caiet. hic ad finem cõmentarij: *At tale sacrilegium non sufficit, quod sit administratio ab homine malo, sed exigitur, quod sit etiam à ministro ex officio, vt sic: & ratio est assignata in littera: quia sanctis ministerijs non nisi sanctus conuenit minister, qui per se loquendo non est nisi minister ex officio*. Est autem minister ex officio, qui speciali consecratione deputatus est ad illud officium, qualis est Sacerdos. Vnde si laicus extra casum necessitatis baptizet, peccabit quidem, quia vsurpat alienum officium: *Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris vsurpator est*, vt dicitur Can. *Quod quidam*, 1.q.1. non tamen peccabit, quia ministrat in peccato mortali, cum non sit minister

ex

ex officio. Idem est de ministris Sacramenti Matrimonij: sunt enim ipsi contrahentes, qui cum non sint speciali consecratione consecrati ad conficiendum illud sacramentum non sunt ministri ex officio, sicque etiamsi illud sacram. ministrent in mortali non propterea mortaliter peccāt, quamuis peccent mortaliter, quia illud sacramentum recipiunt in mortali, vt docet Mag. Soto in 4. dist. 1. q. 5. art 6. in fine. Sacerdos tamen, qui celebrat in mortali, duplici titulo peccat mortaliter peccato sacrilegij, quia scilicet ex officio conficit sacramentum in mortali, & quia in mortali sacramentum suscipit.

Aduertit etiam Caiet. hic. §. *Circa vtrūque*, ad peccatum mortale non sufficere, vt ministrans exhibeat se ministrum, seu minister ex officio fit, ex D. Thom. namque colligit. *Requiri, ad hoc quod huiusmodi peccatum sit mortale, duo. Primò, quod exhibeat se ministrum. Secundò, quod tale ministerium sit actio sacramentalis. Ita quod si alterum horum defuerit, non habes hinc mortale peccatum in ministerijs sacris.* Quæ doctrina communiter recipitur à discipulis D. Tho. quamuis non conueniant, quid per actionem sacramentalem fit intelligendum. Mihi tamen cum plerisque asserendum videtur, per actionem sacramentalem intelligendam esse eam, qua conficitur sacramentum.

Ex quo colligo primò. Illum, qui ministrat sacramentum iam confectum, vt Sa-

Sacerdos, qui alios communicat hostiam consecratam eis conferendo, non peccare mortaliter, etiamsi in peccato mortali id faciat: quia tale ministerium non est actio sacramentalis, hoc est confectiua sacramenti, immo nec propriè, & in rigore constituit ministrum Dei, cum sic ministrans non sit causa instrumentalis gratiæ, sed solùm se habeat, vt conditio, & vt applicans sacramentum ad conferendam gratiam, vt diximus art. 1. Idem potiori iure asserendum est de Sacerdote transferente hostiam sacram de loco, ad locum, aut eam eleuante dando benedictionem. Non est etiam verosimile, inquit Mag. Soto vbi supra, parum post initium articuli, quod asserit Adrianus, peccatum mortale esse eleuare hostiam consecratam de terra, aut luto in peccato mortali. *Quare potius credo illud esse opus religionis, atque adeo virtutis, si non adsit Sacerdos alius, qui dignius possit illam eleuare*. Et idem asserunt alij, si hoc fiat à laico in absentia Clerici.

Secundò colligo, Nec etiam diachonũ, & multo minus subdiaconum, & alios inferiores ministros sacris non initiatos peccare mortaliter exercendo sua officia in peccato mortali: quia nullius horum ministerium est actio sacramentalis, idest cõfectiua sacramenti. Et præterea, *Nam* (vt ait Mag. Soto vbi supra) *etsi gratiam ad hoc recipiant, tamen imperfectio actionis admonere videtur, non esse tam strictam obligationem quã in Sacerdote; siquidem per lectionem Euangelij*

& suam administrationem nullam operantur sanctitatem, nisi imperfecte. Idem dicendú est de prædicatore in peccato mortali prædicante, dum tamet eius peccatum non sit publicum, ob quod vituperetur illius ministerium, & prædicatio contemnatur; quamuis enim huius oppositum teneat Caiet. hic §. *Hanc doctrinam;* illud tamen communiter docent Theologi.

Tertiò colligo, exercere actus iurisdictionis spiritualis, vt iudicare, excommunicare, &c. item benedicere aquam, Virgines, & Abbatissas, consecrare loca, vestes, & vasa sacra non esse peccatum mortale, etiamsi fiat in mortali. De consecratione chrismatis; aut olei infirmorum quidam oppositum tenent. Sed eadem est ratio de omnibus: nam nulla harum actionum est sacramentalis, hoc est confectiua sacramenti. Quibusdam tamen videtur, tam hæc, quàm prædicta in corollaris præced. exercere in mortali, esse peccatum veniale, idque eo grauius, quo ministerium est excellentius, & magis sacrú. Quod sic vniuersaliter non approbo: nam vt dixi 2.2. q.60. art.2. absque peccato etiá veniali potest iudex in peccato mortali existens iudicare; & idem de peccatore occulto prædicante: durum etiam videtur, benedicere aquam in mortali, esse veniale.

Denique aduertit Caiet. in prædicto §. *Circa vtrumque*, consulto dixisse D. Thom. tale peccatum esse mortale non quomodo.

dolibet, sed ex suo genere: nam de facto, & in indiuiduo potest à mortali excusari ex imperfectione actus. Sic idem Caiet. §. *Ad 3. dubium*, excusat Sacerdotem baptizantem in articulo necessitatis in mortali: quia operatio sua imperfectum quid est in genere administrationis sacramentorum, non ex parte obiecti, hoc est sacramenti, sed ex parte agentis, hoc est ministri: non enim exit operatio tunc à ministro ex officio, sed à nudum ministerium præbente. Vnde verum est quod hic ad 3. dicit D. T. *In articulo necessitatis non peccaret baptizando in casu, in quo etiam posset laicus baptizare.*


Si quæras, An qui ministrat sacramentum ex officio, teneatur sacramentaliter confiteri peccatum mortale, in quo est? Respondetur, id non esse necessarium, sed sufficere contritionem de tali peccato habere. Attritio non sufficeret: nam quamuis hæc sufficiat ad recipiendum sacramentum Pœnitentiæ, quia virtute sacramenti fit ex attrito contritus; non tamen ad illud ministrandum, quia qui ministrat sacramentũ, non fit virtute illius ex attrito contritus, nec per illud iustificatur, sed præsupponitur iustificatus, & in gratia. Si tamen habens attritionem inuincibiliter existimaret se contritionem habere, à peccato excusaretur.

Ad primum autem factum in principio, respondetur cum Caietan. hic §. *Ad hoc*

actio-

actionem sacramentalem posse sumi dupliciter. Primò secundum rationem operis operati, & sic non exigit bonitatem ministri, nisi secundum quandam decentiam, & propterea siue bonus, siue malus sit minister, sacramentum verum, & efficax est. Secundò, quantum ad rationē operis operantis, & sic exigit necessario bonitatem in ministro, vt recta sit, alias enim indecens est, & cum Dei irreuerentia, & contaminatione sacramenti.

Ad secundum quidam relati à *Durando* in 4.d.5.q.2.num.6. negabant antecedens; sed illo admisso, respondetur negando consequentiam. Ad probationem dico, cum Caiet. hic § *Ad euidentiam*, qui baptizat in casu necessitatis, esse quidem ministrum Christi; non tamen esse ministrum ex officio, de quo solo dictum est, iustum esse oportere: necessitatemque excusantem malum ministrum, non esse impossibilis contritionis, cum in instanti possit haberi de infinitis peccatis, sed necessitatem cogentem ad exhibendum se, vt ministrum non ex officio.



Du-

Dubium secundum. An sit licitum recipere sacramenta à malis ministris, eaque ab illis petere.

PArs negans probatur primò: Non est licitum petere ab aliquo, quod ipse licitè præstare non potest: sed mali ministri non possunt licitè ministrare sacramenta, cum peccent ea administrando; ergo non est licitum alicui petere ab illis, vt ea sibi ministrent. Confirmatur, si minister esset scandalizandus ex audientia confessionis, concitandus scilicet ad libidinem, si mulier illi confiteretur, non liceret ab illo petere, vt eius confessionem audiret; ergo neque licitum est à malo ministro petere, vt sacramentum ministret, cum non minus peccet illud ministrando, quàm libidinose mulierem appetendo.

Secundò. Quamuis licitum sit vti peccato alterius, nō tamen licet, illum ad peccatum inducere: sed qui petit à malo ministro non parato ad administrandum, vt sibi ministret sacramentum, illum inducit ad peccandum; ergo non est licitum id ab eo petere. Confirmatur, si minister est excommunicatus, vel suspensus, quamtumuis conteratur de peccatis, & faciat quod in se est, non potest licitè ministrare Sacram. ergo ille, qui ab eo petit Sacramentū petit,

quod ille licitè præstare non potest, ac proinde peccat petendo.

Dicendum tamen est primò. A ministro malo tolerato ab Ecclesia licitum esse Sacramentum accipere. Docet hoc D.T. hic ad 2 dicens: *Ille, qui ad Sacramentum accedit, suscipit sacramenta à ministro Ecclesiæ, non in quantum est talis persona, sed in quantum est minister Ecclesiæ. Et ideò quamdiù ab Ecclesia tolleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato eius: sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tanquam ministrum exhibet.* Ac per consequens non peccat: nam si peccaret, hoc ideò esset, quia peccato eius communicaret.

Probatur etiam ex Can. *Sciscitantibus*, 15. quæst. 1. vbi Nicolaus Papa Bulgaris sciscitantibus, an à Sacerdote in adulterio comprehenso, vel de hoc infamato deberent communionem recipere, respondit. *Ab eo (quousque iudicio Episcoporum reprobetur) communio percipienda est: quoniam mali bona administrando se tantum lædunt: & cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, alijs verò lumen in tenebris administrat, & vnde alijs commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite ergo ab omni sacerdote intrepidi Christi mysteria.*

Si quæras, quis minister sit toleratus ab Ecclesia, & quando ab ea non toleretur? Respondet D. Thom. hic ad 2. non tolerari, *Cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur.* Tempore D. Thom. quicumque ex-

excommunicatus, vel suspensus non erat toleratus ab Ecclesia: post Concilium tamen Constan. & Bullam Martini V solùm notoriè percussores Clericorum, & nominatim excommunicati, vel suspensi, aut alia censura innodati non sunt ab Ecclesia tolerati, vt docent Caiet. hic §. *In eadem*, Mag. Soto in 4.d.1.q.5.a.6.& d 22. q.1.a.4. & alij communiter. Vnde à quibuscunque alijs licitum est sacramenta recipere, quamtumuis mali ministri sint; etiamsi sint publici concubinarij, quicquid dicat Nauarrus c 25.n.79.& seq.; & notoriè excommunicati, quicquid dicat Syluester, verbo *Excommunicatio* 5.not.4. immo, & irregulares. Ad irregulares enim extendendam esse Constit. Martini V. patet: Tum quia facta fuit in fauorem fidelium: quibus tamen parum, aut nihil commodi afferret, si ab irregularibus non possent suscipere sacramenta, cum constet excommunicatos, si celebrant, aut exercent officium Ordinis, statim effici irregulares. Tum etiam, quia multi docent irregularitatem, quæ contrahitur propter culpam, censuræ rationem habere: & extra controuersiam sententia est à iure lata; ergo cum (vt refert Mag. Soto vbi supra ex S. Antonino) Martinus V. indulgeat, *Quod nemo deinceps à communione alicuius in sacramentorum administratione, vel receptione, aut alijs quibuscunque diuinis, vel extra, prætextu cuiuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel li-*

qua vitare, nisi sententia, aut censura huiusmodi fuerint in, vel contra personam, nominatim scilicet expressam; nullus tenebitur abstinere à receptione Sacramentorum ab irregularibus, sicut nec ab excommunicatis, & suspensis, nisi nominatim tales sint.

Dicendum est secundò. Licitum etiam esse, petere sacramenta à malo ministro tolerato ab Ecclesia; si tamen ille ad ea conferenda paratus sit, aut teneatur, & petenti ex hoc aliqua vtilitas proueniat. Mali ministri nomine ille intelligendus est hic, de quo moraliter constat màle administraturum: si enim id non constaret, presumendum esset bonum futurum: nam quamuis scirem eum recens lapsum in peccatum, credere possem, vel iam habuisse contritionem, vel habiturum antequā conferat Sacrameentū. Hoc supposito.

Prima pars conclusionis probatur, quod sine peccato fieri potest, licitum est exigere ab altero, etiamsi sciam illum peccaturum; licitum est namque exigere iuramétum ab infideli ad contractus firmandos, etiamsi sciam illum per falsos Deos iuraturum, licitum est etiam ab vsurario mutuum petere, etiamsi sciam illum non daturum, nisi cum vsura, & dando peccaturum, vt patet ex dictis 2. 2. quæst. 78. ar. 4. Sed ministrare sacramenta fieri potest sine peccato à quodlibet ministro, si velit; ergo quamuis sciam illum ex sua malitia male administraturum, illa ab eo petere possum.

Se-

Secunda pars probatur: nam petere ſacramenta à malo miniſtro non parato, eſt illum inducere ad peccandum; ſi verò ipſe paratus ſit, non eſt illum ad peccandum inducere, ſed vti eius malitia; ergo ſicut propter hoc nõ licet petere mutuum ſub vſuris à non parato; licet tamen petere à parato ſic illud conferre, vt conſtat ex dictis loco cit. ex 2. 2. idem erit de petitione ſacramentorũ à malo miniſtro.

Tertia pars probatur: nam qui ex officio tenetur ſacramenta conferre, qualis eſt proprius parochus, ſemper debet eſſe paratus ad miniſtranda Sacramenta ſubditis; ergo ſicut licet petere à miniſtro parato, ita & ab eo, qui tenetur conferre. Nec propter hoc petens inducit illum ad peccandum, ſed iure ſuo vtens illum ſolùm inducit ad id, quod ex iuſtitia tenetur.

Quarta pars probatur: quia ſine vtilitate, neque malitia alterius vti licitum eſt: nam contra legem diuinæ amicitiæ eſt, nõ vitare offenſam Dei, ſi poſſumus abſque vllo incommodo, aut detrimento noſtro. Vnde ſi commodè poſſet, quis ſacramenta percipere ab alio non minus docto, & vtili, qui ſine peccato ea conferat, ex charitate id facere teneretur, vt vitet alienum peccatum, quamuis non teneatur ex iuſtitia, ſi alter ex officio obligatur ad conferendum.

Dicendum eſt tertiò. In caſu magnę neceſſitatis licitum eſſe, inducere ad conferenda Sacram. miniſtrum quamtumuis malũ

non incurratur, nisi propter culpam, & peccatum. Secus esset, si antequam ministraret sacramenta, posset impetrare absolutionem ab excommunicatione, aut licitè repellere petitionem fidelium: nam tunc in excommunicatione ministrando peccaret; cum posset, si vellet; aut non ministrare, aut ministrare sine excommunicatione; & sua culpa ministraret in excommunicatione.

Dicendum est quartò. Si necessitas sit extrema, licitum esse recipere à ministro etiam non tolerato ab Ecclesia, quamtumuis infideli, hæretico, vel apostata, sacramenta illa, quæ ex diuino præcepto necessarium est, recipere in tali necessitate; alia verò minimè. Prima pars colligitur ex D.Thom. in quarto distinctione quinta, quæstione secunda, artic. 2. quæstiunc. 5. dicente: *Malus minister, si sit præcisus ab Ecclesia, tunc peccat ab eo recipiens sacramentum, nisi in necessitate, in qua posset etiam à pagano, vel à Iudæo suscipere.* Asseritur etiam à Caiet hic 9. *In eadem*, à Mag. Soto in 4. d.1. quæst.5 ar.6. circa finem, & communiter a discipulis D. Thom. qui Doctorem hic ad 2. dicentem, *Si vero ab Ecclesia non toleratur* (scilicet minister) *peccat, qui ab eo accipit Sacramentum, quia communicat peccato ipsius*, exponunt, locutum fuisse extra casum extremæ necessitatis.

Probatur etiam, quia quando in extrema necessitate, aut articulo mortis instat diuinum præceptum recipiendi sacramē-

ta,

ta, Ecclesia nulli ministro aufert potestatem conferendi illa, nec prohibet fidelibus ea ab illo recipere, vt Canon. *Si quem*, 24. quæst. prima, & ex Concil. Tridentin. Sess. 14. cap. 7. ergo licitum est illa à quolibet ministro recipere. Immo, & ipsi ministro licet ea conferre: quia Ecclesia, vt ait Magister Soto vbi supra, *Permittens nobis in extrema necessitate Baptismum à præcisis suscipere, subinde permittit ipsis illum conferre*.

Secunda pars probatur. Ecclesia absolutè prohibet nobis cum ministris non toleratis ab ea communicare in rebus sacris; ergò nisi instet diuinum præceptum suscipiendi aliquot Sacramenta, quod reuereatur, semper etiam in articulo mortis vult suum præceptum obligare, maximè cum casum mortis, seu extremæ necessitatis nullibi excipiat. Vnde quando prædictorum sacramentorum non est nisi minister præcisus, perinde est, ac si nullus adesset.

Non desunt tamen, qui dicunt, si aliquis esset sibi conscius peccati mortalis, & non possent sibi alia sacramenta conferri, quam ea, de quibus recipiendis nullum est diuinum præceptum, posse ea suscipere in extrema necessitate à ministro non tolerato, vt possit per ea iustificari, & fieri ex attritio contritus, si forte solam attritionem habeat: credendum est enim id merito placere Ecclesiæ, vt tali necessitati subueniatur.

ARTICVLVS VI.

Vtrum mali ministrantes sacramenta peccent.

Conclusio est affirmans.

Dubium I. An sit peccatum mortale ministrare Sacramenta in mortali peccato.

Pars negans probatur primò. Bonitas ministri non est de necessitate Sacramenti, sed solùm pertinet ad decentiam illius, vt docet D. Thom. art. præced. ad 3. sed defectus eius, quod solum pertinet ad decentiam, non constituit peccatum mortale, nam hoc non constituit defectus cõditionis requisitæ ad bene esse, sed defectus circumstantiæ necessariæ, non enim peccat, qui operatur non secundũ quod melius, aut quando melius, &c. sed qui operatur non secundum quod oportet, aut quando oportet, aut sicut oportet, quia illud, oportet, necessitatem denotat; ergo ministrare sacramenta sine bonitate, & in peccato mortali, non est peccatum mortale.

Secundò. Qui in articulo necessitatis baptizat, non peccat, etiamsi sit in peccato mortali, vt docet D. Thom. hic ad 3. ergo nec qui extra talem necessitatis articulum baptizat. Probatur consequentia, nam

nam etiam qui baptizat in casu necessitatis, baptizat vt minister agentis principalis, qui est Christus, & non minus potest statim conteri, si vult, & transire de malo in bonum, quam qui extra casum necessitatis baptizat.

Dicendum tamen est: ministrare sacramenta in peccato mortali peccatum mortale esse ex suo genere. Docet hoc D. Tho. hic; & probat peccatum quidem esse: *Quia ministri debent Deo conformari, secundũ illud Leuit. 19. Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum.* Peccatum vero mortale esse ex suo genere. *Quia hoc peccatum pertinet ad irreuerentiam* Dei, *& contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris.* Sicque sacrilegium est, quod ex suo genere est mortale.

Aduertit tamen Caiet. hic ad finem cõmentarij: *At tale sacrilegium non sufficit, quod sit administratio ab homine malo; sed exigitur, quod sit etiam à ministro ex officio, vt sic: & ratio est assignata in littera: quia sanctis ministerijs non nisi sanctus conuenit minister, qui per se loquendo non est nisi minister ex officio.* Est autem minister ex officio, qui speciali consecratione deputatus est ad illud officium, qualis est Sacerdos. Vnde si laicus extra casum necessitatis baptizet, peccabit quidem, quia vsurpat alienum officium: *Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris vsurpator est,* vt dicitur Can. *Quod quidam,* 1. q. 1. non tamen peccabit, quia ministrat in peccato mortali, cum non sit minister

ex

ex officio. Idem est de ministris Sacramenti Matrimonij: sunt enim ipsi contrahentes,qui cum non sint speciali consecratione consecrati ad conficiendum illud sacramentum non sunt ministri ex officio, sicque etiamsi illud sacram. ministrent in mortali non propterea mortaliter peccăt, quamuis peccent mortaliter, quia illud sacramentum recipiunt in mortali, vt docet Mag. Soto in 4. dist. 1. q. 5. art 6. in fine. Sacerdos tamen, qui celebrat in mortali, duplici titulo peccat mortaliter peccato sacrilegij, quia scilicet ex officio conficit sacramentum in mortali, & quia in mortali sacramentum suscipit.

Aduertit etiam Caiet. hic. §. *Circa vtrũque*, ad peccatum mortale non sufficere, vt ministrans exhibeat se ministrum, seu minister ex officio sit, ex D. Thom. namque colligit. *Requiri, ad hoc quod huiusmodi peccatum sit mortale, duo. Primò, quod exhibeat se ministrum. Secundò, quod tale ministerium sit actio sacramentalis. Ita quod si alterum horum defuerit, non habes hinc mortale peccatum in ministerijs sacris.* Quæ doctrina communiter recipitur à discipulis D. Tho. quamuis non conueniant, quid per actionem sacramentalem sit intelligendum. Mihi tamen cum plerisque asserendum videtur, per actionem sacramentalem intelligendam esse eam, qua conficitur sacramentum.

Ex quo colligo primò. Illum, qui ministrat sacramentum iam confectum, vt

Sa-

Sacerdos, qui alios communicat hostiam consecratam eis conferendo, non peccare mortaliter, etiamsi in peccato mortali id faciat: quia tale ministerium non est actio sacramentalis, hoc est confectiua sacramenti, immo nec propriè, & in rigore constituit ministrum Dei, cum sic ministrans non sit causa instrumentalis gratiæ, sed solùm se habeat, vt conditio, & vt applicans sacramentum ad conferendam gratiam, vt diximus art. 1. Idem potiori iure asserendum est de Sacerdote transferente hostiam sacram de loco, ad locum, aut eam eleuante dando benedictionem. Non est etiam verosimile, inquit Mag. Soto vbi supra, parum post initium articuli, quod asserit Adrianus, peccatum mortale esse eleuare hostiam consecratam de terra, aut luto in peccato mortali. *Quare potius credo illud esse opus religionis, atque adeo virtutis, si non adsit Sacerdos alius, qui dignius possit illam eleuare.* Et idem asserunt alij, si hoc fiat à laico in absentia Clerici.

Secundò colligo, Nec etiam diachonũ, & multo minus subdiaconum, & alios inferiores ministros sacris non initiatos peccare mortaliter exercendo sua officia in peccato mortali: quia nullius horum ministerium est actio sacramentalis, idest cõfectiua sacramenti. Et præterea, *Nam* (*vt* ait Mag. Soto vbi supra) *etsi gratiam ad hoc recipiant, tamen imperfectio actionis admonere videtur, non esse tam strictam obligationem quã in Sacerdote; siquidem per lectionem Euangelij*

&

& suam administrationem nullam operantur sanctitatem, nisi imperfecte. Idem dicendũ est de prædicatore in peccato mortali prædicante, dum tamet eius peccatum non sit publicum, ob quod vituperetur illius ministerium, & prædicatio contemnatur; quamuis enim huius oppositum teneat Caiet. hic §. *Hanc doctrinam*; illud tamen communiter docent Theologi.

Tertiò colligo, exercere actus iurisdictionis spiritualis, vt iudicare, excommunicare, &c. item benedicere aquam, Virgines, & Abbatissas, consecrare loca, vestes, & vasa sacra non esse peccatum mortale, etiamsi fiat in mortali. De consecratione chrismatis; aut olei infirmorum quidam oppositum tenent. Sed eadem est ratio de omnibus: nam nulla harum actionum est sacramentalis, hoc est confectiua sacramenti. Quibusdam tamen videtur, tam hæc, quàm prædicta in corollaris præced. exercere in mortali, esse peccatum veniale, idque eo grauius, quo ministerium est excellentius, & magis sacrũ. Quod sic vniuersaliter non approbo: nam vt dixi 2.2. q. 60. art. 2. absque peccato etiã veniali potest iudex in peccato mortali existens iudicare; & idem de peccatore occulto prædicante: durum etiam videtur, benedicere aquam in mortali, esse veniale.

Denique aduertit Caiet. in prædicto §. *Circa vtrumque*, consulto dixisse D. Thom. tale peccatum esse mortale non quomodo.

dolibet, sed ex suo genere: nam de facto, & in indiuiduo potest à mortali excusari ex imperfectione actus. Sic idem Caiet. §. *Ad 3. dubium*, excusat Sacerdotem bapti-zantem in articulo necessitatis in mortali: quia operatio sua imperfectum quid est in genere administrationis sacramentorum, non ex parte obiecti, hoc est sacramenti, sed ex parte agentis, hoc est ministri: non enim exit operatio tunc à ministro ex officio, sed à nudum ministerium præbente. Vnde verum est quod hic ad 3. dicit D. T. *In articulo necessitatis non peccaret baptizando in casu, in quo etiam posset laicus bapti-zare.*

Si quæras, An qui ministrat sacramentum ex officio, teneatur sacramentaliter confiteri peccatum mortale, in quo est? Respondetur, id non esse necessarium, sed sufficere contritionem de tali peccato habere. Attritio non sufficeret: nam quamuis hæc sufficiat ad recipiendum sacramentum Pœnitentiæ; quia virtute sacramenti fit ex attrito contritus; non tamen ad illud ministrandum, quia qui ministrat sacramentũ, non fit virtute illius ex attrito contritus, nec per illud iustificatur, sed præsupponitur iustificatus, & in gratia. Si tamen habens attritionem inuincibiliter existimaret se contritionem habere, à peccato excusaretur.

Ad primum autem factum in principio respondetur cum Caietan. hic §. *Ad hoc*

actio-

actionem sacramentalem posse sumi dupliciter. Primò secundum rationem operis operati, & sic non exigit bonitatem ministri, nisi secundum quandam decentiam, & propterea siue bonus, siue malus sit minister, sacramentum verum, & efficax est. Secundò, quantum ad rationẽ operis operantis, & sic exigit necessario bonitatem in ministro, vt recta sit, alias enim indecens est, & cum Dei irreuerentia, & contaminatione sacramenti.

Ad secundum quidam relati à Durando in 4.d.5.q.2.num.6. negabant antecedens, sed illo admisso, respondetur negando consequentiam. Ad probationem dico, cum Caiet. hic § *Ad euidentiam*, qui baptizat in casu necessitatis, esse quidem ministrum Christi; non tamen esse ministrum ex officio, de quo solo dictum est, iustum esse oportere: necessitatemque excusantem malum ministrum, non esse impossibilis contritionis, cum in instanti possit haberi de infinitis peccatis, sed necessitatem cogentem ad exhibendum se, vt ministrum non ex officio.



Du-

Dubium secundum. An sit licitum recipere sacramenta à malis ministris, eaque ab illis petere.

PArs negans probatur primò: Non est licitum petere ab aliquo, quod ipse licitè præstare non potest: sed mali ministri non possunt licitè ministrare sacramenta, cum peccent ea administrando; ergo non est licitum alicui petere ab illis, vt ea sibi ministrent. Confirmatur, si minister esset scandalizandus ex audientia confessionis, concitandus scilicet ad libidinem, si mulier illi confiteretur, non liceret ab illo petere, vt eius confessionem audiret; ergo neque licitum est à malo ministro petere, vt sacramentum ministret, cum non minus peccet illud ministrando, quàm libidinose mulierem appetendo.

Secundò. Quamuis licitum sit vti peccato alterius, nō tamen licet, illum ad peccatum inducere: sed qui petit à malo ministro non parato ad administrandum, vt sibi ministret sacramentum, illum inducit ad peccandum; ergo non est licitum id ab eo petere. Confirmatur, si minister est excommunicatus, vel suspensus, quamtumuis conteratur de peccatis, & faciat quod in se est, non potest licitè ministrare Sacram. ergo ille, qui ab eo petit Sacramentū petit,

quod ille licitè præstare non potest, ac proinde peccat petendo.

Dicendum tamen est primò. A ministro malo tolerato ab Ecclesia licitum esse Sacramentum accipere. Docet hoc D.T. hic ad 2 dicens: *Ille, qui ad Sacramentum accedit, suscipit sacramenta à ministro Ecclesiæ, non in quantum est talis persona, sed in quantum est minister Ecclesiæ. Et ideò quamdiu ab Ecclesia tolleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato eius: sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tanquam ministrum exhibet.* Ac per consequens non peccat: nam si peccaret, hoc ideò esset, quia peccato eius communicaret.

Probatur etiam ex Can. *Sciscitantibus*, 15. quæst. 1. vbi Nicolaus Papa Bulgaris sciscitantibus, an à Sacerdote in adulterio comprehenso, vel de hoc infamato deberent communionem recipere, respondit. *Ab eo (quousque iudicio Episcoporum reprobetur) communio percipienda est: quoniam mali bona administrando se tantum lædunt: & cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, alijs verò lumen in tenebris administrat, & vnde alijs commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite ergo ab omni sacerdote intrepidi Christi mysteria.*

Si quæras, quis minister sit toleratus ab Ecclesia, & quando ab ea non toleretur? Respondet D. Thom. hic ad 2. non tolerari, *Cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur.* Tempore D. Thom. quicumque

ex-

excommunicatus, vel suspensus non erat toleratus ab Ecclesia: post Concilium tamen Constan. & Bullam Martini V solùm notoriè percussores Clericorum, & nominatim excommunicati, vel suspensi, aut alia censura innodati non sunt ab Ecclesia tolerati, vt docent Caiet. hic §. *In eadem*, Mag. Soto in 4.d.1.q.5.a.6.& d 22. q.1.a.4. & alij communiter. Vnde à quibuscunque alijs licitum est sacramenta recipere, quamtumuis mali ministri sint; etiamsi sint publici concubinarij, quicquid dicat Nauarrus c 25.n.79.& seq.; & notoriè excommunicati, quicquid dicat Syluester, verbo *Excommunicatio* 5.not.4. immo, & irregulares. Ad irregulares enim extendendam esse Constit. Martini V. patet: Tum quia facta fuit in fauorem fidelium: quibus tamen parum, aut nihil commodi afferret, si ab irregularibus non possent suscipere sacramenta, cum constet excommunicatos, si celebrant, aut exercent officium Ordinis, statim effici irregulares. Tum etiam, quia multi docent irregularitatem, quæ contrahitur propter culpam, censuræ rationem habere: & extra controuersiam sententia est à iure lata; ergo cum (vt refert Mag. Soto vbi supra ex S. Antonino) Martinus V. indulgeat, *Quod nemo deinceps à communione alicuius in sacramentorum administratione, vel receptione, aut alijs quibuscunque diuinis, vel extra, prætextu cuiuscunque sententiæ; aut censuræ Ecclesiasticæ à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel li-*

qua vitare, nisi sententia, aut censura huiusmodi fuerint in, vel contra personam, nominatim scilicet expressam; nullus tenebitur abstinere à receptione Sacramentorum ab irregularibus, sicut nec ab excommunicatis, & suspensis, nisi nominatim tales sint.

Dicendum est secundò. Licitum etiam esse, petere sacramenta à malo ministro tolerato ab Ecclesia; si tamen ille ad ea conferenda paratus sit, aut teneatur, & petenti ex hoc aliqua vtilitas proueniat. Mali ministri nomine ille intelligendus est hic, de quo moraliter constat màle administraturum: si enim id non constaret, presumendum esset bonum futurum: nam quamuis scirem eum recens lapsum in peccatum, credere possem, vel iam habuisse contritionem, vel habiturum antequã conferat Sacrameentũ Hoc supposito.

Prima pars conclusionis probatur, quod sine peccato fieri potest, licitum est exigere ab altero, etiamsi sciam illum peccaturum; licitum est namque exigere iuramẽtum ab infideli ad contractus firmandos, etiamsi sciam illum per falsos Deos iuraturum, licitum est etiam ab vsurario mutuum petere, etiamsi sciam illum non daturum, nisi cum vsura, & dando peccaturum, vt patet ex dictis 2. 2. quæst. 78. ar. 4. Sed ministrare sacramenta fieri potest sine peccato à quodlibet ministro, si velit; ergo quamuis sciam illum ex sua malitia male administraturum, illa ab eo petere possum.

Se-

Secunda pars probatur: nam petere sacramenta à malo ministro non parato, est illum inducere ad peccandum; si verò ipse paratus sit, non est illum ad peccandum inducere, sed vti eius malitia; ergo sicut propter hoc nō licet petere mutuum sub vsuris à non parato; licet tamen petere à parato sic illud conferre, vt constat ex dictis loco cit. ex 2. 2. idem erit de petitione sacramentorū à malo ministro.

Tertia pars probatur: nam qui ex officio tenetur sacramenta conferre, qualis est proprius parochus, semper debet esse paratus ad ministranda Sacramenta subditis; ergo sicut licet petere à ministro parato, ita & ab eo, qui tenetur conferre. Nec propter hoc petens inducit illum ad peccandum, sed iure suo vtens illum solùm inducit ad id, quod ex iustitia tenetur.

Quarta pars probatur: quia sine vtilitate, neque malitia alterius vti licitum est: nam contra legem diuinæ amicitiæ est, nō vitare offensam Dei, si possumus absque vllo incommodo, aut detrimento nostro. Vnde si commodè posset, quis sacramenta percipere ab alio non minus docto, & vtili, qui sine peccato ea conferat, ex charitate id facere teneretur, vt vitet alienum peccatum, quamuis non teneatur ex iustitia, si alter ex officio obligatur ad conferendum.

Dicendum est tertiò. In casu magnę necessitatis licitum esse, inducere ad conferenda Sacram. ministrum quamtumuis malū

toleratum tamen, etiamsi non sit proprius parochus, nec paratus. Probatur, licitum est petere ab alio, etiam inducendo illum, id quód lex charitatis pro illo postulat: sed in casu magnæ necessitatis lex charitatis postulat pro petente sacramentū; ergo, &c. Confirmatur, in tali casu alienus Sacerdos tenetur ex misericordia ad illud, ad quod tenetur proprius parochus ex iustitia; ergo sicut licet inducere proprium parochum, ita & alium Sacerdotem, licitum enim est inducere alterum ad id, ad quod tenetur, siue teneatur ex iustitia, siue ex misericordia.

Si quæras, an in casu, in quo licet inducere ministrum malum toleratum ab Ecclesia ad ministranda sacramenta, liceat ipsi ea ministrare in peccato mortali? Respondetur non esse ei licitum: nam hoc vt diximus dubio præcedente est peccatū mortale ex suo genere. Licere tamen illi, si contritionem habeat de peccato suo, etiamsi excommunicatus sit, aut alia censura innodatus, sacramenta ministrare. Docet hoc Mag. Soto in 4. d. 1. q. 5. a. 6 contra Adrianum, & colligit ex Concil. Constant. & Martini V. constitutione. *Cum enim consulendo timoratis conscientijs in bonū petentium concessit illam communicationem cum excommunicatis, ex rei consequentia concessit ipsis excommunicatis, vt sacramenta præberent, quando alias tenerentur. Alioqui non satisfecisset petentibus consultum: nam tunc illi ministri perplexitate complicarentur, vtrinque sci-*

scilicet, siue Sacramentum praberent, siue secus, peccatum timentes. Immo possent se iuste defendere, allegante, se non posse id facere sine scelere, quod nulla prorsus causa vlli fas est committere. Cum etiam nulli sit licitum petere ab aliquo, quod ipse sine peccato præstare non potest, non liceret fidelibus petere à suo parocho excommunicato, vt eis ministraret Sacramenta, si hæc ministrando peccaret, inducerent enim illũ ad peccandum. Nec est eadem ratio, si peterent ab eo sacramenta solum in peccato sine excommunicatione existente: nam tunc ipse potest se à peccato liberare, contritionem de illo habendo, sicque non induceretur ad peccandum, sed ad id, quod sine peccato facere posset, si vellet. At quando est excommunicatus, ipse non potest se ipsum ab excommunicatione eripere, sicque induceretur ad peccandũ, nam nõ posset sine peccato ministrare sacramenta. Aduertendum est ergo, quoties licitum est fidelibus petere sacramentum à Sacerdote excommunicato tolerato, si hic petitionẽ eorum repellere non potest, sed tenetur ex iustitia, si est proprius parochus, aut ex misericordia, si est alienus Sacerdos, eorum petitioni consentire, & alias non potest absolutionem ab excommunicatione impetrare, quia est reseruata superiori, quem adire non potest; non peccare ministrando eis Sacramenta in excommunicatione; ac per consequens illa sic ministrando non fieri irregularem, cum irregularitas tunc

non incurratur, nisi propter culpam, & peccatum. Secus esset, si antequam ministraret sacramenta, posset impetrare absolutionem ab excommunicatione, aut licitè repellere petitionem fidelium: nam tunc in excommunicatione ministrando peccaret; cum posset, si vellet; aut non ministrare, aut ministrare sine excommunicatione, & sua culpa ministraret in excommunicatione.

Dicendum est quartò. Si necessitas sit extrema, licitum esse recipere à ministro etiam non tolerato ab Ecclesia, quamtumuis infideli, hæretico, vel apostata, sacramenta illa, quæ ex diuino præcepto necessarium est, recipere in tali necessitate; alia verò minimè. Prima pars colligitur ex D.Thom. in quarto distinctione quinta, quæstione secunda, artic. 2. quæstiunc. 5. dicente: *Malus minister, si sit præcisus ab Ecclesia, tunc peccat ab eo recipiens sacramentum, nisi in necessitate, in qua posset etiam à pagano, vel à Iudæo suscipere.* Asseritur etiam à Caiet hic §. *In eadem*, à Mag. Soto in 4. d.1. quæst. 5 ar. 6. circa finem, & communiter a discipulis D. Thom. qui Doctorem hic ad 2. dicentem, *Si vero ab Ecclesia non toleratur* (scilicet minister) *peccat, qui ab eo accipit Sacramentum, quia communicat peccato ipsius*, exponunt, locutum fuisse extra casum extremæ necessitatis.

Probatur etiam, quia quando in extrema necessitate, aut articulo mortis instat diuinum præceptum recipiendi sacramẽta,

ta, Ecclesia nulli ministro aufert potestatem conferendi illa, nec prohibet fidelibus ea ab illo recipere, vt Canon. *Si quem*, 24. quæst. prima, & ex Concil. Tridentin. Sess. 14. cap. 7. ergo licitum est illa à quolibet ministro recipere. Immo, & ipsi ministro licet ea conferre: quia Ecclesia, vt ait Magister Soto vbi supra, *Permittens nobis in extrema necessitate Baptismum à præcisis suscipere, subinde permittit ipsis illum conferre.*

Secunda pars probatur. Ecclesia absolutè prohibet nobis cum ministris non toleratis ab ea communicare in rebus sacris; ergò nisi instet diuinum præceptum suscipiendi aliquot Sacramenta, quod reuereatur, semper etiam in articulo mortis vult suum præceptum obligare, maximè cum casum mortis, seu extremæ necessitatis nullibi excipiat. Vnde quando prædictorum sacramentorum non est nisi minister præcisus, perinde est, ac si nullus adesset.

Non desunt tamen, qui dicunt, si aliquis esset sibi conscius peccati mortalis, & non possent sibi alia sacramenta conferri, quam ea, de quibus recipiendis nullum est diuinum præceptum, posse ea suscipere in extrema necesitate à ministro non tolerato, vt posit per ea iustificari, & fieri ex attritio contritus, si forte solam attritionem habeat: credendum est enim id merito placere Ecclesiæ, vt tali necessitati subueniatur.

Ad primum vero factum in principio respondetur negando minorem: licet enim mali ministri peccent administrando sacramenta in peccato, possunt tamen desinere esse mali, & per contritionem à peccato exire, & se in gratia constituere. Ad confirmationem neganda est consequentia, si minister malus paratus erat, ad ministrandum in peccato, talis enim à petente non scandalizatur, nam iam ipse lapsus erat in peccatum per talem animi præparationem, & petens solùm vtitur eius peccato ad propriam vtilitatem, vt diximus concl. 2.

Ad secundum respondetur negando minorem: qui enim in casu 3. con. petit à ministro non parato, vt sibi administret sacramenta, non inducit illum ad peccandum, sed vt præstet id, ad quod tenetur ex iustitia, aut ex misericordia. Ad confirmationem patet ex dictis con. 3. falsum esse antecedens.

Circa art. 7. nihil se offert dicendum.



AR-

ARTICVLVS VIII.

Vtrum intentio ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti.

Conclusio est affirmans.

Dubium. Quanam intentio ministri requiratur, vt validum sacramentum conferatur.

DE hac re fuit opinio aliquorum, quam refert Paludanus in 4. d.6.q.2.a.3. asserentium non esse necessariam intentionem interiorem ministri, qua intendat cõficere sacramentum, aut facere, quod facit Ecclesia, sed sufficere exteriorem prolationem verborum, & materiæ applicationem cum sola intentione talia verba, seu formam proferendi, & talem materiam applicandi.

Probari potest hæc opinio, primò ex D. Thoma hic ad 2. vbi non approbat primã opinionem, quam refert, afferentem, *Quod requiritur mentalis intentio in ministro.* Sed secundam dicentem. *In verbis, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimitur ex parte ministri.*

Secundo. Cum Episcopus confert Ordines multis, inter quos est aliquis excommunicatus, vel non habens facultatem

à prælato suo, hic verè manet ordinatus, cum iura decernant huiusmodi suspensum esse, sicque pro certo habeant esse ordinatum: sed Episcopus non intendit hunc ordinare, cum antequam ordines conferat, protestetur se nolle ordinare excommunicatum, aut non habentem facultatem à prælato suo; ergo, &c.

Tertiò. Qui ludo, aut ioco profert verba, & applicat materiam, verum conficit sacramentum; vt colligitur ex cap. *Spiritus Sanctus* 1 qu.1. vbi approbatur Baptismus ab Anastasio puero ludo, & ioco collatus alijs pueris: sed non habet intentionem interiorem conferendi sacramentum, & faciendi, quod facit Ecclesia; ergo hæc intentio non requiritur.

Quartò. Ebrius potest conferre sacramenta, vt colligitur ex Canon. *De lit.* 1. quæst.1. vbi ex S. August. dicitur. *Quos baptizat ebrius*. *Christus baptizat*: sed ebrius non habet prædictā intentionem ergo, &c.

Dicendum tamen est 1. Vt validum sacramentum conferatur, necessariam esse interiorem intentionem ministri, qua intendit facere, quod facit Ecclesia. Probatur primò ex Concil. Florent. in Decreto vnionis, vbi sic dicitur: *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur*: videlicet rebus tāquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferenti sacramenta cū intētione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur sacram.

Secundo Ex Conc. Trid. Sess. 7. Can 11. de Sa-

Sacram. in genere, vbi definitur: *Si quis dixerit in ministris, dum Sacram. conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; anathema sit.*

Ex quibus petet, certissima esse nostram conclusionem. Quidam tamen existimāt, eius oppositum solum esse errorem: quia in prædictis diffinitionibus non dicitur expresè, requiri interiorem intentionem, sed hoc solum colligatur per euidentem consequentiam, quia scilicet sola intentio interior est verè intentio. Alij hæresim esse affirmant: nam in re conuertuntur intentio, & interior intentio, & argumentatio, qua ex prædictis diffinitionibus colligitur nostra conclusio, solum est maior explicatio similis illi, qua ex illo, *Et homo factus est*, colligitur Christum non solum esse apparenter, & phantasticè hominem, quia talis non est verus homo.

Aduertit tamen Mag. Soto in 4. d. 1. q. 5. ar. 6. *Sufficit generalissima intentio faciēdi, quod Christus instituit, vel orthodoxa Ecclesia, quacumque illa sit. Quare licet hæreticus erret, sitne sua Ecclesia, vel alia, verè baptizat. Immo nec requiritur, vt formaliter dicat, quod facit Ecclesia, sed satis est, si intendat talem cæremoniam in remissionem peccatorū facere, vel quod per illam Deo sit ille dedicatus. Immo satis est intendere, id facere, quod facit Episcopus, vel Sacerdos: hæc enim omnia eandem habent virtutē.*

Dicendum est secundo. Ad valorem sacramenti non sufficere habitualem intentionem, neque requiri actualem, sed satis esse

esse virtualem. Primam partem videtur negare D. Thom. hic ad 3. dicens: *Licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionom habitualem, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti*. Sed, vt aduertit Caiet intentionem habitualem appellauit S. Doctor, non vt distinguitur à virtuali, vt colligitur ex his, quæ subiungit, sed vt distinguitur ab actuali communicãs in vocabulis communi sui temporis vsui, quo quælibet intentio non actualis vocabatur habitualis.

Loquendo autem de intentione habituali, vt distinguitur à virtuali, non sufficere ad conficiendum sacramentum, probatur: nam habitualis intentio est, qua quis aliquid facit ex habitu absque aduertentia, & deliberatione, vt cum quis habens habitum misericordiæ nihil de eleemosyna cogitans, immo fortè dormiens, pecuniã ponit, vbi eleemosynæ colliguntur: sed hæc non sufficit, vt conferatur sacramentum, nam actio sacramentalis debet esse humana, & deliberata; ergo, &c.

Secunda pars probatur: nam vt hic ad 3. ait D. Thom. *Quamuis studiosè curare debeat sacramenti minister, vt etiam actualem intentionem adhibeat: sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate, quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare*. Cum ergo Deus non obliget ad impossibile, non requiritur actualis intentio ad sacramenti valorem.

Aduertit etiam Caiet. actualem intentio-

tionem, quā D. Th. consulit, non debere esse in actu signato, ita vt minister semper in mente actualiter habeat hoc, ego intendo conficere, sed in actu exercito, ita vt postquam actum intentionis conficiendi sacramentum habuit, attendat ad ea, quibus cōficitur, puta ad distinctam prolationem formæ, & ad reuerentem contrectationem materiæ.

Tertia pars sequitur ex dictis: nam si habitualis non sufficit, & actualis non semper requiritur, fit vt sufficiat virtualis intentio, vt colligitur ex D Thom. hic ad 3: quæ licet actu transierit, virtute manet ratione primi propositi, quo quis se ad agendum applicuit humano modo. *Puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia. Vnde si postea in ipso exercitio actus cogitationis eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum.*

Ad primum autem factum in principio respondetur cum Caiet. non ideo D. Tho. reprobasse primam opinionem, quia diceret ad perfectionem sacramenti requiri mentalem intentionem ministri, sed quia subdebat, hunc defectū suppleri à Christo in pueris, & in adultis per fidem, & deuotionem accedentis, ita vt quamuis non recipiant sacramentum, eius effectum suscipiant, sicque posse habere certitudinem suæ salutis. Secundam verò opinionem non approbat, quia putet solam intentionem, quam verba exprimunt, sine inten-

tion-

tentione interiori ministri sufficere ad sacramentum, sed quia cum illa sit signum huius, sufficit ad certificandum suscipientẽ de susceptione sacramenti, eiusque effectu ea certitudine, quæ haberi potest, quæ nõ est nisi moralis, & per signa, & coniecturas, sicut, & quam habere potest homo se in gratia Dei esse.

Ad 2. respondetur negando minorem, protestatio enim illa fit ad terrorem, & vt significet Episcopus se nolle excommunicatos admittere, aut cum illis habere cõmunionem. Verum post factam sufficientem diligentiam, nullum adesse excommunicatum, intentionem habet, & habere tenetur illum ordinãdi, quem habet præsentem, idem est cum error personę interuenit in intentione ministri, vt si intendens ordinare Petrum ordinat Ioannem, aut intendens baptizare masculum, baptizat fœminam: talis enim error non tollit veram rationem sacramẽti: quia minister licet illud ex errore intendat, hic tamen, & nunc intentionem habet, & habere tenetur ministrandi sacramentum illi personæ, quæ sibi proponitur. In Sacramento Matrimonij dispar est ratio: quia matrimonium est quidam contractus consistens in traditione corporum in particulari, & in indiuiduo, & ita error personæ sufficit ad derimendum matrimonium.

Ad 3. respond. dupliciter posse ludo, aut ioco proferri verba, & applicari materiã. Primò, ita vt nihil serio agatur, & sic non con-

cõficitur sacram. vt colligitur ex Can. *Solet* De consecr. d.4. Secundò, ita vt serio illud fiat, quamuis ad ludum, & iocum, ac animum recreandum ordinetur, & sic verum sacram. conficitur. Sicque iudicatum est, puerum Anastasium verum Baptisma contulisse: quia quamuis ludens cum alijs pueris illud fecerit, reuera tamen intendebat facere, quod viderat Episcopum facientem, quod perinde valebat, ac si habuisset intẽtionem faciendi, quod facit Ecclesia.

Ad 4 resp. neg. min. Ad Can. citatum dico exponi ibi à Glossa: *Ita tamen quod sentiat, quid faciat: quia intentio baptizati, & baptizantis, exigitur.* S. Aug. ex quo Canon ille desumptus est, tract. 5. in Ioan. circa finem non habet *ebrius*, sed *ebriosus*, hoc est vino deditus, qui quandoque potest lumen rationis habere, & sentire quid faciat. Ebrium autem sicut, qui rationis vsu caret, & dormientem, & amentem non posse sacramẽtum conferre defectu intentionis certissimum est. Nec obstat posse illud recipere, si ante habuisset propositum illud recipiẽdi, vt colligitur ex cap. *Maiores*, De Baptismo: differentiam enim assignat Mag. Soto vbi supra: *Quoniam recipiens non est agens, cui ideo hoc dumtaxat est necessariũ, vt obicem non apponat, vt illic ait Innocentius: conferens est agens, qui ideo tenetur per operationem humanam sacramenta ministrare.* Vide quæ diximus 1.2.q.71, ar.5, dub.5. ad 1. Circa art.9. & 10 nihil se offert scribendũ. Nec circa Quæst.65.

QVAE-

QVAESTIO LXVI.

De pertinentibus ad Sacramentum Baptismi.

ARTICVLVS I.

Vtrum Baptismus sit ipsa ablutio.

Dubium. An rectè diffiniatur Baptismus. Ablutio corporis exterior facta sub forma præscripta verborum.

PArs negans probatur 1. Quælibet res per suum genus est diffinienda: sed genus Baptismi non est ablutio, sed sacramentum; ergo per sacramentum, & non per ablutionem diffiniri debet.

Secundò. Christus Baptismum aquam appellauit Ioan. 3. v. 5. dicens, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* ergo non per ablutionem, sed per aquam diffiniendus est, vt illam diffinit Hugo de Sancto Victore citatus à D. Thom. hic in 2. argum.

Dicendum tamen est: Optimam esse diffinitionem prædictam. Probatur primò au-

auctoritate Mag. sent. D. Thom. & S. Aug. illam enim Mag. sent. assignat in 4. d. 3. D. Thom. eam approbat hic, & in 4. dist. 3. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. eandem esse dicit cum ea, quam ponit S. Aug. tract. 15. in Ioan. *Lauacrum aquę in verbo*, colligitque ex illo ad Epheſ. 5. verſ. 26. *Mundans eam lauacro aquę in verbo*.

Secundò probatur, hac enim diffinitione, diffinitur Baptismus, quantum ad id quod est sacramentum tantum, vt D. Tho. hic, & in 4. d. vbi supra ad 1. expresse dicit; ergo cū sacramentum tantùm sit aliquid visibile exterius existens, vt hic asserit S. D. in eius diffinitione, vt recta sit, sat est, ea constituere, quæ sensibilia sunt in Baptismo: sed hæc in prædicta diffinitione ponuntur, *Continet enim materiam in hoc quod dicit, ablutio exterior; & innuit efficientem in hoc, quod dicit, facta: & ponit formam, in hoc, quod dicit, sub forma verborum*, vt D. Thom. in 4. vbi supra docet, tam autem materia, nempè ablutio, quàm efficiens scilicet persona ministri, quam forma verborum sunt aliquid sensibile, & ad Baptismum requiruntur; ergo licet ad maiorem eius explicationem addi possit in prædicta diffinitione, ad regenerandum hominem in vita spirituali gratię, quod pertinet ad rationem finis, in quem Baptismus ordinatur; prædicta tamen sufficiunt; sicut & ad rectam diffinitionem damus, quatenus est aliquid visibile exterius existens, sat est dicere esse, parietes, & tecta facta ab artifice sub tali

forma

forma, quamuis ad maiorem explicationem addi possit, vt nos ab inclementijs cœli defendant.

Diffinitur autem Baptismus per ablutionem, hæcque in eius diffinitione ponitur loco generis, quia se habet ad modum entis artificialis: *Sicut autem* (ait D.Tho. in 4. vbi supra ad 3) *Artificialia non ponuntur in genere ex forma simpliciter, sed ex materia* (*nō enim dicimus, quod domus sit in genere qualitatis, nisi in quantum est artificiale figuratum, sed dicitur esse in genere substantiæ*) *ita etiam est de sacramentis: Baptismus enim simpliciter est in genere ablutionis.* Cū autem ablutio sit motus quidam, & motus sit idem realiter cum actione, & passione; Baptismus, & motus, & actio, & passio dici posse videtur. Sed Mag Soto in 4.d.3.q. vnica, a.1. asserit: *Baptismus potius est ablutio, quatenus passio recepta in homine, qui abluitur, quandoquidem in ipso recipitur Sacramentum.* Vide quæ dicemus art. 3.

Non esse vero Baptismum diffiniendum per aquam, quæ est eius materia remota, probat optimè *D.*Thom. hic contra Hugonem de Sancto Victore: nam diffiniendus est per id, in quo perficitur sacramentum: sed sacramentum Baptismi non perficitur in aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem, quæ est ablutio; ergo, &c. Minor probatur, ibi perficitur sacramentum, vbi perficitur sanctificatio: sed sanctificatio nō perficitur in aqua, nam sanctificationis virtus instrumentalis non est permanens;

sed

ſed fluens in hominem, atque adeo non eſt in aqua, niſi dum per ablutionem applicatur ad hominem, ac per conſequens in ipſa ablutione perficitur ſanctificatio, quæ fit per talem virtutem, & ante ablutionem non ſanctificatur homo; ergo nec ſacram. perficitur in ipſa aqua, ſed in ablutione, quę eſt applicatio aquæ ad hominem. Caiet. aliter hanc rationem explicat. Vide illum.

Ad primum autem factum in principio reſpondetur, Baptiſmum vtroque modo poſſe diffiniri, nempe, & per ſuum genus, quod eſt ſacramentum, & per eius materiam, quæ eſt ablutio; aptius tamen per materiam diffiniri, quia ſe habet ad modũ entis artificialis, & pro materia ſupponit, & in genere in quo illa eſt, ponitur, vt diximus cum D.Thom. eodem modo reſpõdet Mag. Soto vbi ſupra. Vide illum.

Ad 2. repond. Baptiſmum appellari aquã à Chriſto, vel quia, vt hic a. 2. ait D. Tho. *Aqua eſt materiale Baptiſmi principium*: vel quia, vt idem S.Doctor dicit in 4. d.3. q.1. a.1. quæſtiunc.2. ad 3. *Baptiſmus materialiter conſiſtit in aqua, ſecundum quod eſt abluens*. Ex quo non ſequitur Baptiſmum diffiniendum eſſe per aquam, ſed potius per ablutionem; niſi forte illum per eius cauſam velimus diffinire eo modo, quo ira diffinitur, Accenſio ſanguinis circa cor.

AR-

ARTICVLVS II.

Vtrum Baptiſmus fuerit inſtitutus poſt Chriſti paſſionem.

Concluſio eſt negans.

Dubium. Quando fuerit Baptiſmus inſtitutus à Chriſto.

QVidam recentiores cum Scoto in 4. d.3. q.4.ar.2. con.6. & Gabriele ibidẽ q.1.ar.3. dub.vltimo exiſtimant, Baptiſmũ fuiſſe quidem inſtitutum ante paſſionem Chriſti: non tamen quando Chriſtus baptizatus eſt à Ioanne, ſed paulò poſt, cum diſcipulos collegit, ritumque Baptiſmi præſcripſit. Probatur primò, quia quando Chriſtus baptizatus eſt, non inſtituit baptiſmum in actu exercito ſuo Baptiſmate quemquam baptizando, quia ſolùm fuit baptiſmate Ioannis baptizatus: neque in actu ſignato ritus eius præſcribendo, quia ibi nihil præſcripſit, neque Pater apparuit, vt aliquid præſcriberet, ſed vt Chriſto teſtimonium perhiberet; ergo nullo modo.

Secundò, Inſtituere ſacramenta eſt formaliter actus legislatoris ſed tunc Chriſtus non ſuſtinuit perſonam legislatoris, ſed potius

tius pœnitentis; ergo tunc non instituit Baptismum.

Dicendum tamen est primò. Baptismū fuisse institutum à Christo ante eius passionem. Docent hoc communiter Theologi cum D.Thom. hic, & Mag. sent. in 4. d.3. Primò, nam Ioan.3.v.22. dicitur. *Post hæc venit Iesus, & discipulis eius in Iudæam terrā, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.* At non baptizabat baptismate Ioannis, vt ex præcedentibus, & subsequentibus apertè colligitur; ergo proprio iam ab ipso instituto. Vide S.Aug. tract.5. in Ioan. circa finem,& tract.15 & 16. & epist.108.

Secundò. Nam Patres communiter nostram conclusionem docent, immo eorū nonnulli affirmant, Christum aliquos baptizasse. Euodius Episcopus Antiochensis apud Nicephorum libro 2. hist. cap.3. ait: *Christus manibus suis Petrum tantummodo baptizauit, Petrus vero Andream, & filios Zebedei.*

Clemens apud Sophronium in Prato spir. cap.76. inquit: *Christus dicitur Petrum solum baptizasse, Petrus, Andream, Iacobum, & Ioannem.* Euthimius, Ioan. 3. dicit: *Scribunt Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum, ac Virginem matrem baptizauerit.* Denique S.Vincentius Ferrerius serm. feriæ 6. post Iudica ait: *Ioan. Baptista, & Virgo Maria voluerunt baptizari à Christo.* Si qui vero significare videntur baptismum non fuisse institutum à Christo ante eius passionem, exponendi sunt, cum obligatione,

ne, & efficacia, aperiendi ianuam regni cœlestis.

Tertiò. Apostoli fuerunt ordinati Sacerdotes, & susceperunt sacram Eucharistiam in cœna Domini; ergo cum secundū legem ordinariam nemo possit suscipere alia sacramenta, nisi sit baptizatus, nam Baptismus est ianua omnium Sacramentorum, iam antea erant baptizati, nullum est enim fundamentum asserendi Christum illis dispensasse.

Dicendum est secundò. Fuisse Baptismum institutum, quando Christus in Iordane est baptizatus. Docet hoc D.Thom. hic. Idem prius docuerat Mag. sent. in 4. d. 3. vbi de institutione Baptismi loquens ait: *Commodius dicitur institutio facta, quando Christus à Ioanne baptizatus est, &c. Tunc ergo inuocato nomine Trinitatis institutus est Baptismus Christi, in quo Trinitas, cuius mysterium ibi innotuit, interius homines baptizat.* Quibus verbis indicat tunc Baptismum fuisse institutum non solum quoad materiam, sed etiam quoad formam. Cuius oppositum non docet D.Thom. ibi q.1.a.5. quæstiunc.2. solū enim intendit, tunc formam non fuisse institutam expressione illius, sed solum quasi in figura per præsentiam trium personarum in signo visibili.

Secundò probatur ratione D.Thom. hic *Tunc videtur aliquod sacramentum institutū, quando accipit virtutem producendi suum effectum. Hanc autem virtutem accepit Baptismus, quando Christus est baptizatus. Vnde tunc*

tunc verè Baptiſmus inſtitutus fuit, quantum ad ipſum ſacramentum. Vbi aduertendum eſt, virtutem producendi ſuum effectum, quam accipit ſacramentum, quando inſtituitur, non eſſe phyſicam, & permanentem, nec aliquid diſtinctum ab ipſa inſtitutione; ſolùm enim eſt deſignatio, & conſecratio materiæ ad talem effectum, per illam, & non per aliam rem producendum. Hanc autem virtutem accepiſſe materiam Baptiſmi, quando Chriſtus baptizatus eſt, communis eſt doctrina Patrum aſſerentium, tunc Chriſtum ſuæ mundiſſimæ carnis contactu aquas ſanctificaſſe, & eis vim regeneratiuam contuliſſe. Subdit verò Diu. Thom. *Sed neceſſitas vtendi hoc ſacramento indicta fuit hominibus poſt Paſſionem, & Reſurrectionem.* De qua vide, quæ diximus 1. 2. quæſtione 103. artic. 3.

Tertiò probatur, Tunc ſacramentum inſtituitur, cum eius materia deſignatur, & tali ſacramento conſecratur, ſed vt ait D. Auguſt. ſerm. 1. Dominica infra Octauã Epiphaniæ. *Ex quo Saluator in aqua ſe merſit, ex eo omnium gurgitum tractus, cunctorumque fontium venas myſterio Baptiſmatis conſecrauit. Et quiſquis ibi in nomine Domini baptizari voluerit, non tam illum mundi aqua diluit, quam Chriſti vnda purificat.* Ergo ex quo Chriſtus in aqua ſe merſit, quando baptizatus eſt, ex eo ab illo Baptiſmus inſtitutus eſt, ita vt ex tunc, etiam ſi quis ſequenti die baptizaretur in nomine Do-


mini, purificaretur, & à peccato originali mundaretur.

Quartò. Cum Iesu baptizato, & orante apertum est cœlum, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, impletum est, quod Ioanni Deus dixit. Ioan. 1. v. 33. *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* At hoc non aliter verificatur, nisi quia Christus baptismum instituit, sicut de institutore Religionis ad redimendum captiuos, post eius institutionem verum est dicere, hic redimit captiuos, etiam antequam ad redimendum vadat, aut alios mittat, ergo, &c. Et certè si quando Christus baptizatus est, non instituisset Baptismum, Euangelistæ non tacuissent tempus, in quo postea instituit: & instructio discipulorum de ritu Baptismi, illum iam institutum supponit.

Ad primum autem factum in principio respondetur Christum, quando baptizatus est, suum baptismum instituisse, non quidem suo baptismate quemquam baptizãdo, aut illum suscipiendo, sed vim regeneratiuam aquis præbendo, & virtutem producendi suum effectum Baptismo suscepto in nomine Trinitatis conferendo modo explicato. Vnde simul baptismum Ioannis, quo non indigebat suscepit, & suum baptismum, quo homines indigebant, instituit.

Ad secundum respondetur negando maio-

iorem; solum enim condere leges est formaliter actus legislatoris: vnde licet præcipere Baptismũ fuerit formaliter actus legislatoris: nõ tamen Baptismũ instituere: sed hic formaliter actus fuit institutoris sacramentorum. Quæ duo munera distincta esse patet, si Deus vni homini tribueret facultatem instituendi sacramenta, aut ritus eorum, & alteri præcipiendi obseruationem talium rituum, aut susceptionem talium sacramentorum ab alio institutorum. Sed data maiori, nego minorem: sicut enim Christus in sua passione, in qua factus est pro nobis maledictum, & peccatum, vt patet ex 2. ad Corinth. 5. v. 21. & ad Galatas 3. v. 13. fuit legislator, qui nos redemit de maledicto legis, & eam abrogauit, cum dixit, *Consummatum est*: ita & cum baptismum Ioannis, qui erat baptismus pœnitentiæ, suscepit, potuit personam legislatoris sustinere. Vnde D. Thom. supra q. 39. ar. 1. ait. *Baptizari voluit, sicut Aug. dicit in serm. Epiphaniæ: quia voluit facere, quod faciendum omnibus imperauit.*



ARTICVLVS III.

Vtrum aqua sit propria materia Baptismi.

Conclusio est affirmans.

OPpositum huius docuerunt Manichei, & Seleuciani, qui teste S. August. lib. de hæresibus, hæresi 48. & 59. Baptismum in aqua non accipiebant, & nihil salutis afferre perhibebant. Pauliciani etiam, qui vt refert Euthim. 2. p. Panopl. tract. 21. solis verbis baptizabant. De Iacobitis quoque refert Sanderus lib. 7. de visib. monarch. hæresi 113. sensisse materiam Baptismi esse ignem. Sed conclusio articuli certa est secundum fidem, vt constat ex cap *Firmiter*, de Sum. Trinit. ex Conc. Florent. in Decreto Eugenij, & ex Conc. Trid. Sess. 7. Can. 2. cuius verba referam art. seq. & ex loco Ioan. 3. hic in arg. *Sed contra* adducto à D. Thom. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.*

Est autem aqua materia Baptismi remota, non proxima; hæc enim ablutio est, vt omnes Theologi fatentur. Inter quos solū est difficultas, in quo huiusmodi ablutio cōsistat. Quidam, tam in actione, quam in passione consistere existimant. Mihi tamen cum Mag. Soto in 4. d. 3. q. vnica, a 1. & alijs discipulis D. Thom. in sola passione

con-

consistere videtur: nam certum est Baptismum, ac per consequens materiã eius proximam, scilicet ablutionem, pro qua supponunt, & per quam diffinitur, esse in baptizato: sed non est certum actionem abluendi esse in baptizato, cum probabilis opinio sit, actionem etiam transeuntem non esse in passo, sed in agente; ergo, &c. Confirmatur ablutio, quæ est materia proxima Baptismi, non baptizantem, sed baptizatum denominat; ergo cum actio, etiamsi sit in passo, non denominet formaliter passum, sed agens, ablutio, vt materia proxima Baptismi non cõsistet in actione, sed in passione, vt actio vero solùm erit causa talis materiæ, & Baptismi, sicut, & minister, cuius est actio, & hoc indicant verba illa *Ego te baptizo*.

Vt autem huiusmodi actio per ministrũ fiat, & passionem inferat in abluto, non est necessaria sordium absterssio, nam hæc talis actionis, & passionis effectus est, & impediri potest magna sordium adhæsione, aut non esse, quia sordes non sunt. Requiritur tamen, vt minister moueat, aut aquã solam eam infundendo super baptizandi corpus, aut aquam simul, & corpus baptizandi, illud in aquam immergendo; baptizato enim quieto in aqua omnino immota consistente, verificari non possunt verba ministri *Ego te baptizo*, & quamuis illa proferat, non perficitur Baptismus. Prædicta vero motio, quamuis, vt præcisè motio localis est, non sit ablutio, tamen

ablutio est, quatenus per illam aqua corpori baptizandi applicatur, hocque aquam in se recipit, & recipiendo abluitur tactu aquæ, vt termino prædictæ motionis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum ad Baptismum requiratur aqua simplex.

Conclusio est affirmans.

Simplicis aquæ nomine eam intelligit D.Thom. quæ composita non est, admista, vel transmutata, ita vt soluatur species aquæ veræ,& naturalis. Aquam enim veram, & naturalem requiri ad baptismũ, diffinitur in Conc. Florent. in decreto Eugenij, & in Trid Seff 7. Can. 2. de baptismo, vbi sic dicitur: *Si quis dixerit aquam veram, & naturalem non esse de necessitate baptismi; anathema sit.*

Hinc infertur primò. Baptismum fieri non posse in luto, nec in vino limphato, vt docet D.Thom. in corp. art. quia inquit, *Lutum magis est terra, quàm aqua, & limphatum vinum magis est vinum, quàm aqua.* Si tamen ex luto exprimeretur aqua, in illa baptismum fieri posse dicit ad 2.

Secundò. Quòd ibidem ait, S. Doctor, in aqua calefacta à Sole (& idem est de calefacta ab igne) & in aqua fluminis turbida

bida posse fieri baptismum: quia per transmutationem calefactionis, & per mistionem terrestrium partium turbidā aquam efficientem non soluitur species aquæ.

Tertiò. Quod dicit ad primum, *Transmutatio in aqua maris facta, & etiam in alijs aquis, quæ penes nos sunt* (salsæ scilicet, aut amaræ) *non est tanta, quod soluat speciem aquæ. Et ideo in huiusmodi aquis potest fieri baptismus.*

Quartò. In aqua Chrismate admista, & in iure posse fieri baptismum: quia vt ad 2. dicit D. Thom. *Admistio Chrismatis nō soluit speciem aquæ, sicut nec etiam aqua decoctionis carnium, aut aliorum huiusmodi. Nisi fortè sit facta tanta resolutio corporum lixatorū in aqua, quod plus liquor habeat de aliena substantia, quam de aqua, quod ex spissitudine perspici potest.*

Quintò. In humore flecmatico, sicut nec in sanguine animalis, aut vino, vel quocumque liquore alicuius plantæ non posse fieri baptismum, vt dicitur ad 3. Nec obstat, quod obijcit argumentum, aquam fluentem de latere Christi pendentis in cruce fuisse signum baptismi, ait namque S. Doctor. *Aqua fluens de latere Christi pendentis in cruce non fuit humor flecmaticus, vt quidam dixerunt. Fuit autem aqua pura miraculosè egrediens de corpore mortuo.* Veramque aquam fuisse diffiniuit Innocentius III. cap. *In quadam*, De celebratione missarum. In saliua baptismum non valere constat ex cap. *Non vt apponeres*. De Baptismo. Eadem

dem est ratio de sudore, & lacrimis.

Sexto. *Quod in lixiuio, & in aquis sulphureorum balneorum potest fieri baptismus: quia tales aquæ non incorporantur per artem, vel naturam aliquibus corporibus mistis, sed solum alterationem quandam recipiunt, ex hoc quod transeunt per aliqua corpora*. Ita D. Thom. hic ad 4. Quidam tamen dicunt, de lixiuio hoc non esse ita certum, & idcirco debere iterari sub conditione baptismum factum in lixiuio. Sed nullam huius rationem reddunt.

Septimo. Quod dicit ad 5. *Aqua rosacea est liquor rosæ resolutus. Vnde in ea non potest fieri baptismus: & eadem ratione nec in aquis alchimicis. Nec est eadem ratio de aquis pluuialibus*. De ceruisia expressa ex pomis eadem est ratio, ac de vino. De ea, quæ fit ex ordeo, dicunt aliqui, si non sit crassa, & multum decocta, sed tenuis, posse comparari aquæ lutulentæ, & in illa posse fieri baptismum. Sed cum hoc sit dubium, iterandum esse existimo.

Denique, In gelu, grandine, aut niue nō valere baptismum, quia non sunt completè aquæ, & ideò nec lotioni aptæ; benè tamen in aqua resoluta ex ipsis, vt omnes Theologi docent. De aqua resoluta ex sale inquit Sum. Ang. in illa posse fieri baptismum, sicut & ex aqua resoluta ex gelu: Syluester tamen verbo *Baptismus* 2. q. 7. oppositum tenet.

ARTICVLVS V.

Vtrùm hæc sit conueniens forma Baptismi, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An omnia ista verba sint de essentia formæ Baptismi.

TOt continet presens dubium difficultates, quot sunt verba in prædicta forma (quam conuenientem, & optimam esse, nullus fidelium negare potest, cû eam tradat Ecclesia, vt constat ex vsu, & ex Concil. Florent.) quas omnes sequentibus conclusionibus explicamus.

Dicendum est primò. Personam ministri debere exprimi in Ecclesia Latina per pronomen *Ego*; hoc tamen non esse de essentia formæ Baptismi. Primam partem docet D.Thom. hic, vbi cum dixisset duplicem esse causam baptismi, principalem scilicet, quæ est S.Trinitas, & instrumentalem, quæ est minister, subdit: *Et ideo oportet in forma baptismi de vtraque fieri mentionem. Minister autem tangitur, cum dicitur, Ego te baptizo.* Verbum *Oportet*, necessitatem, & debere fieri significat, non quidem,

dem apud omnes, sed apud eos, qui forma, quam explicat, vtuntur, quales sunt fideles Ecclesiæ Latinæ. Quos personam ministri debere exprimere per pronomen *Ego*, præterea ostenditur: nam alias discederent à communi vsu Latinæ Ecclesiæ, quem obseruare tenentur.

Si quæras, quæ nam culpa sit baptizare sine expressione pronominis *Ego*? Respondet Mag. Soto in 4. d. 3. q vnica, art. 5. *Censeo non esse mortalem, nisi fortasse graue suborietur scandalum, quod nunquam arbitror posse tam magnum oriri*. Quid si pronomini *Ego*, minister adderet proprium nomen, vel officium? Respondet idem Magister inferius: *Additio, Ego Petrus, vel ego Sacerdos te baptizo nihil culpæ, aut quam minimum affert*:

Sed nonnullam quamuis minimam culpam esse, patet ex dictis supra quæst. 60. artic. 8.

Secunda pars patet ex forma græcæ Ecclesiæ, quam approbat Conc. Florent. in qua persona ministri per tale pronomen non exprimitur, & vt hic ad 1. dicit. D. Th. *Quod additur, Ego, in forma nostra, non est de substantia formæ, sed ponitur ad maiorem expressionem intentionis*.

Neque huic obstat, quod ait Alexand. III. cap. 1. De Baptismo: *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, amen: & non dixerit, Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, amen: non est puer baptizatus*.

Respondetur enim, id non dixisse propter pro-

pronomen, *Ego*, sed propter verbum, *Baptizo*, quod actum baptizandi exprimit, sine cuius expressione non est baptismus. Innocentius in prædictum caput existimat, licet Græci sua forma vtentes absque expressione ministri per pronomen *Ego*, verè baptizent; si quis tamen apud latinos vteretur illa forma, non verè baptizare. Sed merito reprehenditur ab Adriano in 4.q 3. & impugnatur à Mag. Soto vbi supra. Nam vbicunque seruantur omnia, quæ sunt de essentia sacramenti, fit sacramentum: sed in illa Græcorum forma seruantur omnia, aliàs nec à Grecis fieret sacramentum; ergo & etiam si quis apud latinos illa vteretur forma, verè baptizaret: Ecclesia namque non potest formas apud diuersas nationes variare, quantum ad suam essentiã, nec facere, vt teneant in vno loco, & non in alio. Addit vero Mag. Soto, secus esse quantum ad culpam baptizantis, si non seruat formam Ecclesiæ: nam si latinus apud nos vteretur forma Grecorum grauiter peccaret: *Quamuis fortasse seclusa scandalo in secreto non esset grauius quàm veniale.* Greci vero vtendo sua forma non peccant: *Immo forsan peccarent vtendo nostra forma propter scandalum, quod apud illos oriretur.*

Aduertendum tamen est, quamuis in forma Græcorum non subintelligatur persona ministri: ipsi enim non intendunt dicere, Baptizetur seruus Christi à me (alias pariter dicerent, Ego te baptizo) sed baptizetur seruus Christi ab ipso; tamen vt

ait Mag Soto vbi supra, *Illic virtualiter subnotatur minister*. Sicque saltem hoc modo ad essentiam formæ baptismi spectat, personam ministri significare, quod est illum significare quasi remotè, & indirectè, ac virtualiter.

Dicendum est secundò. Actum baptizandi, qui per ministrum exercetur, necessario exprimendum esse, hocque de essentia formæ esse, sine quo inualidum esset Baptismi Sacramentum. Colligitur hoc ex D. Thom. hic ad 1. dum loquens de forma Græcorum ait: *Et quia exprimitur actus exercitus per ministrum cum inuocatione Trinitatis, verum perficitur sacramentum*. Quę causa etiam redditur à Conc. Florent. in Decreto vnionis dicente: *Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum Sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur sacramentum*. Ergo si talis actus non exprimeretur, inualidum esset sacramentum.

Rationem etiam optimam huius assignat D.Thom. hic ad 2. dicens: *Quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet, quod determinetur in verbis formæ ad quid fiat*.

Si quæras, quomodo si verum est, quod hic ad 1. ait D. Thom *Græci non attribuunt actum baptizandi ministris*, in forma Græcorum exprimatur actus exercitus per ministrum? Respondetur, quia non attribuendo actum baptismi ministris, non intendunt Græci, talem actum non exerceri per ministros, sed solum ministros non bapti-

zare

zare propria, sed Christi auctoritate, illisq; non esse tribuēdam sanctitatem baptismi, sed Christo. Si Græci in sua forma dicerent, baptizetur seruus Christi à Christo, & nullatenus à me, excluderent actionem Christi, idque Ecclesia non toleraret, & nō baptizarent. Sed subticendo nomen ministri, etiamsi solum Christum exprimant, non excludunt ministri actionem, sed hæc illic intelligitur, cum Christus intelligatur per suum ministrum baptizare, sicque verè baptizant. Nam sensus formæ illorum est, baptizetur seruus Christi à Christo per ministerium meum.

Hinc infert Magister Soto vbi supra, verè etiam baptizare, qui diceret, baptizet te Christus. *Nam si per passiuam quis dicere potest, baptizetur seruus Christi à Christo Iesu, vt intelligunt Græci, cur non poterit verbum verti in vocem actiuam?*

Aduertendum tamen est, quamuis non sit licitum mutare verbum *Baptizo*, in alia æquipollentia, vt patet ex dictis supra q. 60 art. 7. illis tamen, cum exprimant eundem actum, & effectum, verum confici baptismum. Sunt autem verba æquipollentia, Abluo, Lauo, Intingo, & idem sentit de verbo Mergo Mag. Soto vbi supra. Vbi & subdit verum esse baptismum, si Episcopus pro baptizo diceret, baptizamus: sicut etiam si pro Ego diceret Nos, & si Regem baptizaret, pro Te diceret Vos.

Dicendum est tertiò. Personam baptizandam etiam exprimi debere. Docet

hoc

hoc D.Thom. hic ad 3. & 4.] colligiturque ex verbis Christi Matth.vltim. v.19. *Baptizantes eos*: & ex natura ipsius sacramenti, quæ consistit in vsu, & applicatione materiæ ad subiectum. Vnde sicut ad sacramentum Confirmationis, & Pœnitentiæ non sufficit dicere, Chrismo, vel Absoluo: ita nec ad baptismum dicere, baptizo in nomine Patris, &c.

Exprimitur autem persona baptizanda per pronomen *Te*, quod est in nostra forma, quæ semper obseruanda est. Si tamen quis diceret Vos ob dignitatem baptizandi, aut Maiestatem vestram, quia est Rex, aut Hunc, aut Petrum, validum esset baptisma, quia sufficienter persona baptizanda exprimitur, sicut & cum Græci dicunt, baptizetur seruus Christi. Quidam tamen putant, si minister diceret, baptizetur seruus Christi Petrus, & apponeretur forte Paulus, baptismum esse dubium, & iterandum sub conditione. Sed Mag. Soto vbi supra oppositum docet. *Quemcumque enim sacerdos arbitretur baptizare, semper in illo virtute manet intentio Ecclesiæ, quæ est baptizare hunc, siue dicat hunc, siue te, siue Ioannem.* Si plures simul baptizarentur, inquit D.Th. hic ad 4. *Tunc oportebit dicere. Ego baptizo vos. Nec erit mutatio formæ, quia nihil aliud est, quam te, & te.*

Dicendum est quartò. De essentia formæ baptismi esse dicere, *In nomine*; ita, vt si diceretur *In nominibus*, nullum esset sacramentum. Propositionem *In* non esse de essen-

essentia formæ; improbabile non est: nam idem omnino est sensus, siue dicatur *In nomine*, siue *nomine Patris, &c.* Et idem est de coniunctione *Et*, sicque si quis ommittendo propositionem *In*, & coniunctionem *Et*, diceret, *Ego te baptizo nomine Patris, Filij, Spiritus Sancti*; validum sacramentum conficeret, quamuis peccaret, non quidem mortaliter, quia materia est leuis, sed venialiter, sicut etsi pronomen *Ego* omitteret. Probabile tamen non est, de essentia formę non esse dicere in singulari *Nomine*, & non in plurali *Nominibus*; sic enim omnes asserunt. Et quamuis Marsilius dicat, se non audere definire, non esse sacramentum, si quis ex ignorantia, vel lapsu linguæ diceret, *Nominibus*: hoc tamen optime impugnat Mag. Soto vbi supra. Quia qui sciens, & prudens id diceret, non perficeret sacramentum: ergo neque si ex ignorantia proferret: ignorantia enim non supplet id, sine quo à scienter non fit baptismus; alias qui ignoranter baptizaret in aqua rosacea, verum efficeret sacramentum.

Rationem huius conclusionis insinuat D. Thom. hic ad 6. dicens: *Virtus diuina, quæ operatur in baptismo, ad essentiam pertinet, & ideo dicitur in nomine, & non in nominibus.* Si enim diceretur in nominibus, significaretur non esse eandem essentiam, & virtutem omnium Personarum: sicut autem in forma baptismi exprimenda est Personarũ Trinitas, ita & essentiæ vnitas, ad quam pertinet virtus diuina, quæ operatur in ba-

baptismo. Hęcque explicatur cum dicitur *In nomine*: nam idem est, ac virtute, potestate, auctoritate Patris &c. vt D.Th. insinuat, & Mag. vbi supra dicit, vbi & addit: forsan verum esse, quod ait Innocentius in cap. 1. De Baptismo, si quis non diceret in nomine, sed in virtute Patris, &c. non perficeret sacramentum: quia virtus non dicit totum, quod, nomen, cum hoc, idem sonet, & virtutem, & auctoritetem, & potestatem; sicque præter crimen, quod committeret, deberet sacramentum sub conditione iterari. Si tamen quis diceret, in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus Sancti, Sacramentum perficeret: quia non assereret plura nomina esse, sed idem essentiale Dei nomen repeteret commune tribus Personis: sicut etsi diceret, in nomine Dei Patris, & Dei Filij, &c.

Dicendum est quintò. Ad essentiam Baptismi necessarium esse in forma eius exprimere Personas Trinitatis; & quamuis probabilius sit exprimendas esse per hæc nomina Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt validum sit sacramentum: probabile tamen esse, validum confici baptismum, si exprimantur his nominibus, Genitoris, Geniti, & Procedentis. Prima pars colligitur ex verbis Christi Matth. vltim. v. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Patet etiam in Conc. Flor. in Decreto vnionis.

Secunda pars probatur, nam D. Thom. hic


hic ad 7 dicit: *Nec in aliјs nominibus perficitur sacramentum*. Quod licet Caiet. exponat, non perficitur licitè, quia contra præceptum Ecclesiæ est vti alijs nominibus; communior tamen intelligentia est, idem esse, ac validum sacramentum non fieri: sicut è contra cum ad 1. ait S. Doctor *Verum perficitur sacramentum*, in forma scilicet Græcorum, idem est, ac validum sacramentum fieri.

Præterea, forma baptismi virtutem habet ex institutione Christi: sed Christus instituit formam huiusmodi in his nominibus Patris &c. ergo in quacumque lingua vtendum est necessario nominibus significantibus Patrem, &c. Cõfirmatur, quia sicut ad materiam baptismi necessario assumenda est aqua, quia eius vsus est communior ad abluendum, ita ad formam baptismi assumenda sunt illa nomina, quibus communius consueuerunt nominari Personæ diuinę in qualibet lingua: sed in qualibet lingua communius consueuerunt nominari his nominibus Patris &c. ergo hæc sunt necessario assumenda.

Nec obstat nomina Genitoris, &c. esse synonima cum nominibus Patris, &c. non minus quam verba abluo, lauo, sunt synonima cum verbo baptizo; sicque sicut in his verbis perficitur baptismus, ita & in illis nominibus. Respondetur namque negando nomina Genitoris &c. esse synonima cum nominibus Patris &c. nam hæc significant relationes, quibus constituuntur diui-

ninæ Personæ; illa verò non relationes, sed actus notionales, qui sunt fundamenta relationum, significant; sicque non sunt synonima, sicut nec nomen albedinis, est synonimum cũ nomine similitudinis, cuius illa est fundamentum. Non obstant etiam argumenta Caietani hic: nam ad illa respondet Mag. Soto vbi supra, quem vide.

Tertia pars communis est inter Theologos; nullus est enim, qui neget probabilem esse opinionem Caiet. hic asserentis validum esse baptismum in nomine Genitoris, &c. Quam ipse Caiet quinque rationibus satis probabilibus probat, & ait: *Saluator instituens formam baptismi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti non est intelligendus arctasse virtutem formæ ad formalia significata ex vi nominum per hæc nomina sed ad significata illa, ad quæ significanda hæc nomina accommodata sunt.* Ex quo responderi potest ad rationem factam pro secunda parte cõclusionis: nam nomina Genitoris, &c. diuinas Personas significant, & illis sanctam Trinitatem inuocamus, laudamus, & confitemur.



AR-

ARTICVLVS VI.

Vtrum in nomine Christi possit dari Baptismus.

Conclusio est negans.

Dubium. An Baptismus in nomine Christi, aut Trinitatis valeat.

PArtem affirmantem tenet Caiet. hic ad finem commentarij. Probat primò ex cap. *A quodam*, De consecrat. dist 4. vbi Nicolaus Papa respondens Bulgaris consulentibus, quid esset agendum de multis à quodam Iudæo baptizatis ait: *Si in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt* (*vnum quippe idemque est, vt S. Ambr. exponit*) *quia non illorum, sed eius est, rebaptizati non debent*. At rebaptizari deberent, si baptismus in nomine Christi, & in nomine Trinitatis non esset validus; ergo &c.

Secundò. Nam Actuum 8. v. 12. dicitur: *In nomine Iesu Christi baptizabantur viri & mulieres*. At talis baptismus tunc erat validus; ergo & nunc: aliàs enim non esset vnum baptisma.

Tertiò. Ad essentiam baptismi sufficit, vt verbis formæ implicitè significentur tres diuinæ Personæ: sed hæ implicitè significentur

gnificantur tam nomine Christi, quam nomine Trinitatis; ergo,&c. Maior probatur, nam nec hæc nomina Pater,& Filius significāt diuinas Personas explicitè, pater enim non significat diuinum Patrem, sed patrem absolutè, & filius non significat diuinum Filium, sed filium absolutè; ergo sufficit, vt verbis formæ implicitè significentur diuinę Personę.

Dicendum tamen est 1. baptismus in nomine Trinitatis, nisi tres diuinæ Personæ exprimantur, nullum esse. Colligitur hoc ex D.Thom. hic, illudque expresse docet in 4.d.3.q.1.a.2. quæstiunc.2. ad 4. his verbis: *In nomine Trinitatis non exprimuntur ipsę Personę, sed solus numerus Personarum: & ideo non sufficit dicere, in nomine Trinitatis, nec esset Baptismus, si diceretur.*

Probatur deinde ex cap. *In Synodo*, De consecrat. d. 4. vbi Zacharias Papa approbat decretum Synodi Anglorum, & ait: *Perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti fuerit baptizatus.* Et subdit: *Qui vel vnam de Trinitate personam in Baptismo non nominaret, illud Baptisma esse verum non posset.* At qui baptizaret in nomine Trinitatis, nullam Personā nominaret, nullius enim nomen exprimemeret, sicut & qui solius Patris nomen exprimeret, non nominaret Filium; ergo non esset verum baptisma.

Dicendum est 2. Nec baptismum in nomine Christi validum esse. Docet D.Tho. hic, & optimè probat, & inter alia in arg.

Sed

Sed contra, auctoritate Pelagij Papæ, qui, vt refertur Can. *Si reuera*, De consecrat. dist. 4. Gaudentio dixit: *Qui solummodo se in nomine Domini baptizatos fuisse forsitan confitentur, sine cuiusquam dubitationis ambiguo eos in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis*. Nec valet solutio Caiet. aliud esse baptizare in nomine Domini: & aliud baptizare in nomine Christi, & Pelagium solum irritum decreuisse baptismum in nomine Domini, non vero in nomine Christi. Contra hoc enim est, nam Pontifex pro eodem accipit in nomine Domini, & in nomine IesuChristi, mos enim antiquus fuit ex Apostolis deriuatus, Christum appellare Dominum, & nullus vnquam fuit vsus baptizandi in nomine Domini precisè, sed semper in nomine Iesu Christi. Quod & ex Can. *Multi*, De consecrat. d. 4 colligitur: nam idem Pelagius, eidem Gaudentio, in eadem epistola dixit: *Multi sunt, qui in nomine solummodo Christi vna etiam mersione se asserunt baptizare: Euangelicum vero præceptum, ipso Deo & Domino Saluatore nostro Iesu Christo dicente, & tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trina etiam mersione sanctum Baptisma vnicuique tribuere*.

Secundo probatur, quia vt patet ex auctoritate Zachariæ Papæ adducta in 1. con. & ex testimonio Didimi relato à D. Tho. hic in arg. *Sed contra*, qui in Baptismo prætermitteret vnum ex nominibus diuinarũ Personarum, & vel vnam de Trinitate Personam non dominaret, non esset verum ba-

ptiſma: ſed qui ſolum in nomine Chriſti baptizat, prætermittit nomen duarum Perſonarum, duaſque Perſonas de Trinitate non nominat; ergo nullum efficit Baptiſmi Sacramentum. Si dicas in nomine vnius Perſonę intelligi aliam. Contra hoc eſt, quod hic in corp. artic. ait S. Doctor. *Sicut ad Sacramentum requiritur materia ſenſibilis, ita & forma ſenſibilis. Vnde non ſufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem ſacramenti, niſi ſenſibilibus verbis Trinitas exprimatur.*

Ad primum vero factum in principio reſpondet D.Tho. hic ad 3. *Quod Nicolaus Papa dictum ſuum confirmat ex duabus præmiſſis. Et ideo eius reſponſio patet ex primis duabus ſolutionibus.* Quæ reſponſio difficultaté habet, quam tamen optimè explicat Mag. Soto in quarto diſt. 3. quęſt. vnica, artic. 6. *Videtur enim dicere, quod poſtquam Nicolaus ſoli vſui Apoſtolorum, & auctoritati Ambroſij, ſub nixus eſt, noluit Papa maiorem ſibi arrogare fidem, quam habuit Ambroſius: & ideo licet reuera arbitratus fuerit Pontifex, quod tempore ſuo valeret Baptiſmus in nomine Chriſti, non hoc decreuit tanquam articulum fidei, ſed ſolum tanquam opinionem, quam putauit eſſe Ambroſij.*

Ad ſecundum Mag. Soto vbi ſupra dicit, ſibi ſemper veroſimillimũ viſum eſſe, numquam Apoſtolos baptizaſſe in nomine Ieſu, ſed in nomine Patris &c. & ſolum dici baptizaſſe in nomine Ieſu, quia baptizabãt in fidem eius, aut quia nomen Ieſu Chriſti ipſi

ipsi formæ solemni immiscebant dicentes, Baptizo te in nomine Patris, & Filij Iesu Christi, &c. Alij dicunt, Apostolos baptizasse in nomine Christi, hoc est auctoritate Christi, & baptismo à Christo ministrato, non baptismate Ioannis. Sed D.Thom. hic ad 1. aliter respondet. *Quod ex speciali reuelatione Apostoli in primitiua Ecclesia in nomine Christi baptizabant: vt nomen Christi (quod erat odiosum Iudæis, & Gentilibus) honorabile redderetur per hoc, quod ad eius inuocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptismo.* Et in 4 dist. 3. q. 1. a 2. quæstiunc 2. ad 3. addit: *Et quia illius mutationis causa fuit conueniens illi tempori, ideo cessante causa cessat effectus: & modo non esset baptismus, si quis in Christi nomine baptizaret.* Neque huic obstat quod ait S. Aug. lib. 3. contra Maximinum cap. 17. de baptizatis tempore Apostolorum Act. 2. *In nomine Iesu Christi iussi sunt baptizari: & intelliguntur non baptizati, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Respondetur namque illud *intelliguntur*, solam implicitam inuocationem triũ Personarum denotare, *Quia in Christi nomine tota Trinitas intelligitur*, vt cum Mag. sentent. inquit D.Thom. in 4. vbi supra. Vnde S. Aug. immediatè subdit: *Cur non sic audis de Filio Dei omnia per ipsum facta sunt; vt & non nominatum intelligas ibi Spiritum Sanctũ?* Ex quo patet sentire, illos, qui iussi sunt baptizari in nomine Christi, eodem modo intelligi baptizatos in nomine Patris &c. quo Spiritus Sanctus intelligitur in illis verbis

Ioan.1. v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt*: ac proinde solum implicitè. Illa enim verba expressè de solo Verbo loquuntur, implicitè tamen in illis intelligitur Spiritus Sanctus, quia æqualis, & eiusdem virtutis est cum Verbo, seu Filio, sicque vt ibidem subdit S. Aug. *Quod de vno dicitur, & de altero tacetur, de vtroque intelligitur*. Non obstat etiam solutioni D. Thom. vnum esse baptisma, vt patet ex Symbolo fidei, & ad Ephes.4.v.5. plura autem essent, si Apostoli in nomine Christi baptizassent, cum illa forma diuersa sit ab ea, qua nunc baptizamus in nomine Patris,&c. Respondetur nãque, Baptisma dici vnum, vt colligitur ex D.Thom. hic art.9. quia iterari non potest, & nequit nisi semel suscipi. Vel quia, vt alij exponunt, licet sint plures ministri baptizantes exterius, vnus est, qui interius baptizat scilicet Christus Et quamuis forma qua vtebantur Apostoli baptizantes in nomine Christi diuersa sit materialiter ab ea, qua nunc vtimur baptizãtes in nomine Patris, &c. formaliter tamen eadem est: sicut enim, qui ex dispensatione, seu priuilegio in quadragesima ieiunant, oua, & lacticinia comedentes, formam ieiunij seruare dicuntur, quam non seruarent sine tali dispensatione: ita Apostoli baptizantes in nomine Christi ex Dei priuilegio, & dispẽsatione formam Baptismi seruarunt, quia implicitè idem significabat illa forma, ac ea, qua nunc vtimur, & solum ab ea differt per implicitam, & explicitam significationem,

nem,

nem, quam formam non seruassent fine tali dispensatione: nam ad vnitatem formalem illius vtrumque requiritur, nempè implicita significatio Personarum diuinarum, & Dei dispensatio, quæ dispensatio, quia cessante causa cessauit, qui modo baptizaret in nomine Christi, non seruaret formam Baptismi, etiamsi tota Trinitas implicitè intelligatur in nomine Christi.

Ad tertium respondetur negando maiorem: nam cum forma instituta sit à Christo nominibus tres diuinasPersonas expressè significantibus, non erit forma sufficiens, quæ solo vno nomine implicitè illas significat, nisi adsit diuina dispensatio, qualis fuit in primitiua Ecclesia tempore Apostolorum. Ad probationem dico, nomina illa Pater, & Filius ex accommodatione vsus non solum Christi fidelium, sed etiam ipsius Christi per antonomasiam significare diuinas Personas in forma Baptismi, cum semper ad eas significandas illis Christus sit vsus.



ARTICVLVS VII.

Vtrum immersio sit de necessitate Baptismi.

Conclusio est negans.

AD Baptismum necessaria est ablutio: quia tamen hæc fieri potest non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis, vel effusionis, immersio non est de necessitate Baptismi. Tutius tamen, inquit D Thom. esse baptizare per modum immersionis, quia hoc habet communior vsus. Quod intelligendum est absolutè, & vbi non est determinatus consuetudine, aut constitutione Synodali alius modus baptizandi, in praxi enim seruandus est modus in quacumque Diœcesi pro tempore vsitatus; quem modo communiorem esse puto per modum effusionis, licet tempore S Thom. commūnior fuerit per modum immersionis.

An vero sufficiat, quamlibet partem corporis aqua perfundi, explicat D Thom. hic ad 3. dicens: *Principalis pars corporis præcipuè quantum ad exteriora membra est caput, in quo vigent omnes sensus, & interiores, & exteriores. Et ideo si totum corpus aqua non possit perfundi propter aquæ paucitatem, vel propter aliam causam, oportet caput perfundere, in quo manifestatur principium animalis vitæ.*

Mag.

Mag. Soto in 4.d.5.q.vnica art.7. existimat verbum illud *Oportet*, solum demonstrare, peccatum esse, absque causa prætermittere caput intingere; non tamen non esse integrum sacramentum: nam si capite nō perfuso pectus, vel scapulæ aqua infunderentur, certus esset Baptismus, & nec etiam sub conditione iterari deberet. Sed hoc non videtur D. Thomæ certum, cum infra q.68. ar.11.ad 4. dicat: *Quia in nulla exteriorum partium integritas vitæ, ita cōsistit sicut in capite, videtur quibusdam, quod propter dubium quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam natiuitatem sit baptizandus sub hac forma, si non es baptizatus, ego te baptizo.* Quam opinionem S. Doctor non reprobat, immo in 4. d 6.q 1. artic 1. quæstiuncula prima, eam approbare videtur, nam ait: *Non est baptizandus secundum quosdam: sed nihil periculi accidit, si ad maiorem cautelam baptizetur sub hac forma, si nō es baptizatus, ego te baptizo.* Qua propter hoc tutius esse existimo: nam licet demerso capite certum sit hominem mergi, ac proinde ablui, & baptizari, vt colligitur ex Can. *Postquam*, De consecrat. d.4. demerso tamen brachio, aut alia parte etiam principali, dubium esse potest, an sit homo mersus, vel ablutus.

Si autem partibus principalibus intinctis hoc dubium esse potest, quanto magis erit, si solum aqua perfundantur aliæ partes minus præcipuæ. Affirmant quidem multi, ad baptismum sufficere, vt

ablutio fiat in digito, aut vna gutta aquæ. Sentit Mag. Soto vbi supra, baptismum esse, si soli capilli aqua perfundantur, quia sunt partes corporis. Asserit Syluester verbo *Baptismus* 4. q. 1. si puer in pelle secundina inuolutus baptizetur, validum esse baptismum, quia hæc pellis est quædam pars corporis. Sed hæ opiniones ad hoc valent, vt si aliter nequimus, in necessitate sic possimus baptizare: non tamen, vt qui sic baptizantur, non debeant rebaptizari saltem sub conditione.

Si aqua non pertingeret aliquam partẽ corporis, sed solum ad vestes, vel aliud in quo baptizatus est inclusus, certissimum est, nullum esse baptismum, iterandumque esse absolutè, & sine conditione. Cui non obstat, quando tot millia hominum baptizati sunt vna die. Act. 2. & 4. aspersione vtique, verosimile esse aquam solas vestes multorum attigisse. Respondetur namque, non esse credendũ ita temerè fuisse aspersos, vt vnus solus aspergeret, sed plures designatos fuisse ministros, qui coram eis trãseuntes baptizandos, ita aspergerent, vt aqua capita eorum intingeret.

In casu quo quis proijceret infantem in puteum animo illum baptizandi, & suffocandi simul, Mag. Soto in 4. d. 3. q. vnica, ar. 8. Syluester verbo *Baptismus* 4. q. 10. & alij existimimant, puerum non manere baptizatum. Alij cum Panormitano citato à Syluestro, verè baptizatum manere dicunt, sicut etsi cum prædicto animo bapti-

ptizaretur aqua bullienti, & nimis calida. Omnes tamen conueniunt; si superuiueret rebaptizandum esse puerum sub conditione. Asserunt etiam sic baptizantem tanquam homicidam manere irregularem. Et idem dicunt, si, quamuis non animo occidendi, quis puerum baptizaret infirmum, & suo baptismo eius mortem acceleraret; nisi forte minima esset acceleratio, quia iam nulla spes esset vitæ pueri; de quo vide Mag. Soto vbi supra.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum trina immersio sit de necessitate Baptismi.

Conclusio est negans.

PElagius Papa Can. *Multi*, De consecrat. d.4. significare videtur, trinam immersionem à Christo præceptam esse, nam ait: *Euangelicum præceptum, ipso Deo, & Domino nostro Iesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trina etiam mersione sanctum Baptisma vnicuiq; tribuere.* Sed respondet D Thom. hic ad 2. *Quod Pelagius Papa intellegit, trinam immersionem esse de mandato Christi in suo simili.* Cuius solutionis sensus est, trinam immersionem esse de mandato Christi, non quidem tanquam præceptum, sed tanquam deductum

ab illo, vt à simili. Præceptum enim Euangelicum traditum à Christo, quod nos admonet præcipiendo, vt baptizemus in nomine Trinitatis, etiam nos admonet, vt trina immersione baptismum tribuamus: non tamen eodem modo, scilicet præcipiendo, sed quasi simile, & exemplum proponendo Trinitatis Personarum. Quo simili, & exêmplo permoti in primitiua Ecclesia Apostoli trinam immersionem præceperunt; vt colligitur ex verbis Canonum Apostolorum hic relatis à D. Tho. Postea tamen in Conc. Tolet 4. Cap. 5. in detestationem erroris quorundam hæreticorum statutum fuit, vt vna sola fieret immersio. *Sed cessante causa* (inquit D. T.) *communiter obseruatur trina immersio. Et ideo grauiter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ non obseruans.* Quod dixit S. Doct. (vt Mag. Soto vbi supra notauit) quia suo tempore vsus semper celebrabatur trinæ immersionis, qui quidem iam rarissimus est. Et ideo modo ritus vsitatus in qualibet Diœcesi obseruandus est, saltem sub veniali: mortale enim esset, illum non obseruare, si esset scandalum, aut speciale præceptum, maximè sub pœna excommunicationis.

Circa solutionem tertij, dubitat Caiet. an trina immersione intenta à ministro, si aliqua omittatur, sit vèrus baptismus? Cuius resolutio est: si ita intenderet minister, trinam immersionem, vt absolutè intenderet, non baptizare sine tribus immersionibus,

bus, & ante tertiam formam absolueret, inualidè baptizaret. Si tamen trinam immersionem intenderet, ficut eam intendit Ecclesia, non quidem, vt aliquid substantiale sacramenti, sed vt ceremoniale, etiã si ex obliuione aliquam omitteret, verum conficeret sacramentum. Immo si formã absolueret in prima immersione, statim perficeretur baptismus, & reliquæ immersiones superfluæ essent.

ARTICVLVS IX.

Vtrum Baptismus possit iterari.

Conclusio est negans.

QVæ certa est secundum fidem, vt cõstat ex Conc. Trident. Sess. 7. Can. 12. Florentino in Decreto vnionis, Later. cap. *Firmiter* & Carthag. 4. vt refertur Can *Non licet*, de consecrat. dist. 4. & ex illis verbis Leonis Papæ relatis Can. *Cum itaque*, De consecrat. d 4 *Scimus inexpiabile esse facinus, quoties iuxta hæreticorum dogmata, contra SS. Patrum instituta cogitur aliquis lauacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, Apostolica reclamante sententia, quæ nobis vnum prædicat in Trinitate Deitatẽ, vnam in fide confessionem, vnum in baptisma e sacramentum.* Ex quo patet, quam rectè

D.Thom suam conclusiouem probauerit ex illo ad Ephes 4. v.5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma*. Rationes etiam optimè defendit Caiet. ab impugnationibus Scoti.

Si est dubium de aliquo, an verè baptizatus sit, iternm baptizandum esse dicit D.Thom. ad 4. & probat ex decretali Alexandri III. quæ refertur cap. *De quibus*, De Baptismo, vbi dicitur. *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis, si baptizatus es non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Vbi aduertendum est, si dubium sit iuris; quia scilicet quamuis certum sit aliquē esse baptizatum, incertum est an Baptismus fuerit validus cum hac, vel illa forma, aut materia, aut applicatione ad talem partem corporis, absque dubio sic baptizatum rebaptizandum esse, propter periculum damni spiritualis, quod incurreret, si non esset baptizatus. Si verò dubium sit facti, quia dubitatur, an aliquo modo aliquis sit baptizatus, vel an minister vsus fuerit debita forma, vel materia, aut debitam habuerit intentionem, diligenter hoc inuestigandum est. Vnde in Can. *Cum itaque*, De consecrat.d.4. de eo qui dubitat an sit baptizatus ait Leo Papa. *Quoties persona talis inciderit, solita primum examinatione discutite, & longo tempore (nisi forte supremus finis immineat) indigate, vtrum nemo penitus sit, qui testimonio iuuare possit ignorantiam nescientis.* Ex quibus vltimis verbis colligitur, quod di-

diximus 2.2.q.70.art.2.dubio vnico, vt quis non rebaptizetur, sufficere testimonium vnius dicentis, baptizatum esse. Quod & colligitur ex Can. *Paruulus*, De consecrat. d.4. vt Glossa notauit, Nec obstat quod in Can *Placuit* sequente dicitur: *Placuit de infantibus, quoties non inueniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque vllo scrupulo eos esse baptizandos*. Nam illud *certissimi testes*; exponendum est respectiuè pro diuersis testimonijs, & temporibus, non quod pro baptismo cuiuslibet infantis plures testes requirantur, sicut nec illud, *De traditis sibi sacramentis*, denotat vnicuique infanti tradita fuisse plura sacramenta.

Si autem facta sufficienti diligentia adhuc dubium manet de prædictis, & non sola inanis suspicio, aut leuis scrupulus, baptizandus est is, de cuius baptismo est dubium, sub conditione, seruandaque est forma præscripta ab Alexandro Tertio. Quod nonnulli intelligendum esse dicunt, quando est publicè baptizandus: nam in priuato baptismo sufficeret conditionem illã, *Si baptizatus es, &c.* in intentione retinere, quamuis ob reuerentiam baptismi melius esset semper eam exprimere.

Quando certum est omnino, aliquem esse baptizatum, illum scienter rebaptizando non solum incurritur peccatum mortale, sed etiam pœna irregularitatis, tam à rebaptizante, quam à rebaptizato. De

rebaptizato constat ex Can. *Qui his*, & Can. *Eos quos*, De consecrat. d. 4. & Can. *Confirmandum*, d. 50. vbi dicitur. *Neque vnquam permittendum est, vt rebaptizati ad clericatus gradum promoueantur:* vbi Glossa: *Rebaptizati scienter*. De rebaptizante colligitur ex cap. *Ex litterarum*, De apostatis, vbi de acolito quodam, qui ministerium præstitit scienter presbytero rebaptizanti dicitur: *Ad superiores Ordines promoueri (si publicum est quod proponitur) non valebit*. Si enim propter ministerium, & cooperationem ad rebaptizationem condemnatur acolitus irregularitatis, multo magis irregularis erit ipse rebaptizans: sicut si irregularis decerneretur, qui ad homicidium cooperatus fuisset, dando occissori arma, quibus occideret, etiam decerneretur occisorem ipsũ irregularem esse. Vnde in Codice Ne sanctum baptisma iteretur. L. 1. irregularem esse supponitur Antistitem rebaptizantem, cum de illo dicatur: *Sacerdotio indignum esse censemus*.

Dicunt tamen nonnulli recentiores probabile esse, non incurrere irregularitatem eum, qui rebaptizat, aut rebaptizatur sub conditione: quia odia sunt restringenda; sicque lex imponens pœnam irregularitatis propter rebaptizationem ad absolutam, quæ simpliciter rebaptizatio est restringi debet, & nõ ampliari ad rebaptizationem conditionalem. Addunt etiam, qui exterius fingit se rebaptizare, vel rebaptizari, & tamen interius non habet talem intentio-

tionem, non incurrere irregularitatem : ſicut & qui ſolum exterius negat fidem, nõ incurrit excommunicationem latam contra hæreticos. Vnde ſi quis cogeretur ab hæreticis Anabatiſtis rebaptizari, aut aliũ rebaptizare, quamuis mortaliter peccaret id faciendo; ſi tamen non haberet intentionem rebaptizandi, aut conditionem apponeret, vel interius retineret, ſi non ſum, aut ſi nõ es baptizatus, nõ maneret irregularis. De ignorantia excuſante ab hac irregularitate & alijs, vide quæ diximus 1. 2. q.76. ar.3. dubio 2.

ARTICVLVS X.

Vtrum ritus, quo Eccleſia in baptizando vtitur, ſit conueniens.

Concluſio eſt affirmans.

PAtet ex Concil. Trid. Seſſ 7. Can. 13. de Sacram. in genere, vbi diffinitur. *Si quis dixerit receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni ſacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris prohibito omitti, aut nouos alios per quamcumque Eccleſiarum paſtorem mutari poſſe; anathema ſit.*

Quando ſine huiuſmodi ritibus, & ſolemnibus cæremonijs baptiſmus valide

fuit collatus puero in casu necessitatis ab obstetrice, aut alio, certum est, tales cæremonias supplendas esse, vt ex vsu Ecclesiæ constat. Si tamen fuisset collatus cum debita solemnitate, sed secundum substantialia inualidè ob defectum intentionis, aut formæ, vel materiæ debitæ, difficultas est, an repeti debeant cæremoniæ simul cum substantialibus? in qua recentiores quidã negantem partem tenent, scilicet non esse repetendas cæremonias semel adhibitas. Sed S. Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 13. § 12. affirmantem partem docet, ait namque: *Si constat aliquid de substantialibus defuisse, tunc omnia substantialia, quæ simul oportet concurrere, sunt iteranda, quæ iam fuerant adhibita, & etiam alia, quæ sunt de solemnitate secũdum Theologos*. Has tamen duas sententias in concordiam reuocari posse existimo; & primam, quam Iuristas tenere refert S. Anton. vbi supra, veram esse, quando baptismus non est solemniter, & publicè reiterandus, sed solum in secreto, quia defectus illius substantialis non est publicus. Secundam vero, quando baptismus in Ecclesia publicè, & solemniter reiterandus est, quia defectus substantialis est publicus: nam generaliter ait Conc. Trid. vbi supra, in solemni administratione sacramentorum non posse omitti ritus receptos, & approbatos Ecclesiæ, & adhiberi consuetos.

AR-

ARTICVLVS XI.

Vtrum conuenienter describat ur tria baptismata.

Conclusio est affirmans:

Assertio trium baptismatum, scilicet aquæ, sanguinis, & fluminis solemnis est inter Doctores præsertim Scolasticos. Illam explicat D.Thom in quarto d.4.quæst.3 ar.3 & hic, vbi ad 2. dicit, alia baptismata non esse sacramenta, sed solum Baptismum aquæ. Ex cuius doctrina in vtroque loco constat, assertionem hanc non pugnare cum vnitate baptismatis, quam in symbolo Niceno confitemur, & docet Paulus ad Ephes.4.ver.5.



ARTICVLVS XII.

Vtrum Baptismus sanguinis sit potissimus inter alia Baptismata.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An baptismus sanguinis conferat gratiam, & faciat ex attrito contritum.

PArs negans probatur 1. ex illo 1. ad Corinth. 13. ver. 3. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero: nihil mihi prodest*. At multum prodesset, si baptismus sanguinis conferret gratiam, & faceret ex attrito contritum, nam præstaret attritio non habenti charitatem; ergo &c.

Secundò, causare gratiam, & facere ex attrito contritum, est proprium sacramentorum nouæ legis: sed baptismus sanguinis non est sacramentum, vt docet D.Thom. hic, & artic. praeced. ad 2. & patet; nam alias plura, quam septem essent Ecclesiæ sacramenta, quod est contra Conc. Trident. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere; ergo, &c.

Tertiò, Baptismus sanguinis susceptus ex inani gloria non confert gratiam, aut

eius

eius augmentum; ergo quando confert, non habet illam conferre, nisi vt opus operantis, & per modum meriti. Consequentia patet, quia effectus eorum, quæ aliter habent conferre gratiam, non impeditur per peccatum veniale, vt patet in sacramentis, qui enim ex inani gloria reciperet baptismum aquæ cum attritione, vel contritione, aut primam gratiã, aut eius augmentum reciperet. Antecedens probatur ex S. Hieron. ad Galatas 5. circa finem dicente: *Martyrium ipsum, si ideo fiat, vt admirationi, & laudi habeatur à fratribus; frustra sanguis effusus est.*

Quartò, nullus actus virtutis moralis habet conferre gratiam, & facere ex attrito contritum, nec est meritorius gloriæ, aut augmenti gratiæ, nisi sit informatus charitate: sed martyrium (quod est baptismus sanguinis) est actus cuiusdam virtutis moralis, scilicet fortitudinis; ergo, &c.

Quintò, quia alias, qui ducitur ad martyrium, si non esset baptizatus baptismo aquæ, nõ teneretur baptizari, etiam si posset: si vero esset baptizatus, etiam si conscientiam peccati mortalis haberet, non teneretur illud confiteri coram Sãcerdote, quamuis illius copiam haberet, sufficeret enim illi baptismus sanguinis: sed hæc falsa sunt; ergo, &c.

Dicendum tamen est: baptismum sanguinis, vt est imitatio Passionis Christi, gratiam conferre, & facere ex attrito contritum. Probatur 1. ex D.Thom. hic enim

ait

ait baptismata sanguinis, & flaminis efficere effectum baptismi aquæ, nempè gratiam; non tamen eodem modo; nam baptismus aquæ illum efficit, vt quædam figuralis repræsentatio passionis Christi sicque, vt signum quoddam à Deo institutũ, & vt instrumentum, quod eleuatum diuina virtute, quam habet latentem; baptismus verò flaminis, vt quædam affectio, & cordis commotio, sicque vt opus operantis: baptismus autem sanguinis, vt quædã imitatio operis, scilicet passionis Christi, quæ fuit excellentissimę charitatis opus, & summæ dilectionis affectus. Ex quo infert infra q.87.art.1.ad 2. *Passio pro Christo suscepta (sicut supradictum est) obtinet vim baptismi, Et ideo purgat ab omni culpa, & veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhærentem*. Sed hoc est conferre gratiam, sine qua peccatum mortale remitti non potest, & facere ex attrito contritum, cum attritio non excludat culpam mortalem, facit tamen, vt voluntas non inhæreat actualiter peccato per complacentiam; ergo &c. Confirmatur ex eodem S.Doctore in 4. d.4. q.3.a 3. quæstiunc. 3. vbi sic habet: *Sicut in baptismo aqua liberatur homo ab omni culpa præcedente, & pœna, ita in baptismo sanguinis*. Et ad 1. *Baptismus sanguinis non habet hoc tantum ex opere operãte. Sed hoc habet ex imitatione passionis Christi. Et ideo pueri quamuis liberum arbitrium non habeant, si occidantur pro Christo, in suo sãguine baptizati saluantur*. Et quæstiunc. 4.

Quod

Quod quidam dicunt, quod in baptiſmo ſanguinis gratia non confertur, apparet falſum eſſe in pueris, qui pro Chriſto occiduntur, & etiam in adultis, quibus poteſt in ipſo actu paſſionis gratia dari, ſicut in baptiſmo aquæ, ſi ſe ad eam diſpoſuerint, & obicem non imponant Spiritui Sancto.

Secundò probatur ex S. Auguſt. lib. 13. de Ciuit. cap. 8. vbi ſic ſcribit: *Quicumque, etiam non præcepto regenerationis lauacro, pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte baptiſmatis. Qui enim dixit, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum; alia ſententia iſtos facit exceptos, vbi non minus generaliter dixit, Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt: & alio loco, Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Quibus verbis non ſolum noſtram concluſioné docet, ſed etiam optimis ſcripturę teſtimonijs confirmat ſumptis ex Matth. 10. v. 32. & 39. in quibus aliquid ſpeciale promittit Chriſtus pro ſe morientibus, quod commune non eſt, quodcumque aliud bonum opus ex charitate operantibus: hoc autem nihil aliud eſt, quam maior gratia, & gloria ſupra eorum meritum, quam baptiſmus ſanguinis illis confert; ergo &c.

Tertiò. Baptiſmus ſanguinis paruulis vſum rationis adhuc non habentibus confert gratiam, ſi eam antea non habebant, aut gratiæ augmentum, ſi erant iam in gra-

gratia; ergo & adultis, si se ad eam dispo-
suerint, & obicem nõ ponant Spiritui San-
cto. Antecedens patet in paruulis ab He-
rode propter Christum occissis: nam vt di-
citur Matth. 2 v. 16. *Herodes occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius à bimatu & infra.* Inter quos quidam erant circumcisi, sicque iam in gratia, & his baptismus sanguinis contulit augmentum gratiæ: alij verò circumcisi adhuc non erant, quia nondum peruenerant ad diem octauum, & his contulit primam gratiam. Quod enim afferunt Armachanus lib. 8 cap. 37. & Adrianus q. 3. de baptismo ad 3. infantes ab Herode pro Christo occisos virtute effusi sanguinis nullam recepisse gratiam, & eos, qui non fuerant circumcisi, perijsse, plusquam falsum esse dicit Mag. Soto in 4. d. 3. q. vnica, art. 11. Alij verò temerarium, & errori proximum esse affirmant, cum Ecclesia omnes absque illo discrimine pro sanctis ducat, & vt Martyres colat, omniumque martyrium celebret in die Sanctorum Innocentiũ. Quod etiam dicunt alij, Innocentes ab Herode occisos gratiam, & salutem fuisse omnes consequutos speciali priuilegio, quod ad alios non licet extendere; falsum esse docent communiter Theologi: vnde enim cõstat tale priuilegium distinctum a martyrio? Consequentia vero probatur, quia nulla est maior ratio de paruulis, quam de adultis; si tamen ij gratiæ, quam confert baptismus sanguinis, obicem nõ posuerint, sed

sed ad illam se disposuerint, vt ait D. Thom. vbi supra. Et quidem si sint in gratia, hoc absque alia dispositione actuali sufficit, vt per baptismum sanguinis augmentum gratiæ consequantur: si enim iustus, qui nihil cogitauit de martyrio, dormiens occideretur in odium fidei, verè martyr esset, & effectum martyrij, vel baptismi sanguinis consequeretur. Si verò, fiat in peccato mortali, vt per baptismum sanguinis primam gratiam consequantur, non sufficit actu non peccare sine detestatione præcedentis peccati, vnde si hæreticus occideretur, quia non vult negare Christum, non esset verè martyr, nisi hæresis peccatum detestaretur, & idem est de alijs peccatoribus, alias enim sine pœnitentia iustificarentur, quod est contra Conc. Trid. sess. 14. c. 2 sufficit tamen detestatio peccati præteriti per attritionem; nam hæc facit, vt non habeant voluntatem inhærentem peccato, sicque sufficienter disponit, vt gratiam consequantur, & baptismus sanguinis eos purget à culpa mortali, iuxta doctrinam D. Thom. infra qu. 87. artic. 1. ad 2. à nobis in prima probatione conclusionis adductam.

Hinc sequitur, si Turca in odium Christi castrum aliquod incenderet, omnes ibi concreinatos in Dei gratia decedere, & verè martyres esse, etiam si adulti peccatores solum attritionem suorum peccatorum haberent, & paruuli non essent baptizati: *Immo & fortasse existentes in maternis vteris*,

vt

vt ait Mag. Soto vbi ſupra. Quod ſic quaſi dubitando dixit, quia aliqui negant martyrem eſſe puerum in matris vtero occiſum, ſi qui occidit matrem propter Chriſtum, neſcit eſſe grauidam. Sed communior ſententia eſt, martyrem eſſe, quia verè occiditur propter Chriſtum, eiuſque mors in odium fidei ſaltem virtualiter, aut concomitanter intenta eſt. Vnde in caſu poſito abſolutè aſſerendum eſſe exiſtimo, paruulos in maternis vteris exiſtétes martyres eſſe; alias nec martyres eſſent, aliqui, quos ſi Turca in prędicto caſtro adeſſe nouiſſet, forſan abſtinuiſſet ab incendio caſtri in odium Chriſti.

Neque his obſtat, quod dicitur in Concil. Trid ſeſſ. 6. cap. 4. de iuſtificatione impij: *Sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt*. Nam ibi eſt ſermo de adultis, qui ſi non ſint baptizati, iuſtificari non poſſunt ſine voto baptiſmi, ſaltem virtuali, incluſo in actu contritionis, vel attritionis, etiamſi pro Chriſto occidantur. Vel ſi ad paruulos etiam extendatur, loquitur Concilium de iuſtificatione, quæ fit per media ordinaria, ſicque non excludit medium extraordinarium, quale eſt martyrium in his, qui nec baptiſmum aquæ, nec eius votum habere poſſunt, quales ſunt paruuli.

Si quæras, quando conferatur baptiſmi ſanguinis gratia, & effectus? Reſpondetur, de hac re varias eſſe ſententias. Quibus omiſſis dico: talem gratiam, & effectum conferri inſtanti, in quo, quamuis phyſicè

non

non sit actu subsequuta mors, cursus tamen vitæ, ac certaminis, seu agonis iam moraliter consummatus intelligitur, quia parum distat à mortis instanti. Sicut enim Christus ante mortis instans dixit *Consummatum est*, nam hoc dicto caput inclinauit, & inclinato capite, tradidit spiritum: ita & de quolibet martyre verificari potest ante mortis instans breuissimo tempore mediante, consummatum esse cursum vitæ certaminis: & agonis eius: quia quamuis physicè non sit consummatus; moraliter tamen consummatus intelligitur.

Ad 1. autem factum in principio respõdetur, testimonium illud esse intelligendũ, quando nec in principio, nec in termino illius traditionis corporis habet homo charitatem: talis autem traditio non est baptismus sanguinis, nam vt hic ad 2. ait D. Thom. *Effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine charitate*. Vnde non sequitur illam traditionem corporis, de qua loquitur Apostolus, multum prodesse, si baptismus sanguinis conferret gratiam, & faceret ex attrito contritum.

Ad 2. Maior in 4.d.4. q.3. respondet negando minorum: existimat enim martyrium, seu baptismum sanguinis verè esse sacramentum, quia confert gratiã ex opere operato. Ad impugnationem dicit, martyrium connumerari baptismo, sicque nõ esse plura, quam septem Ecclesiæ sacramẽta, sicut nec plura sunt, quamuis sint plures ordines. Hanc solutionem latè impugnãt

Ma-

Mag. Soto vbi supra, & alij recentiores, qui & dicunt sententiam Maioris temerariam esse, ac proximam errori. Contra illam est: Tũ quia quãuis baptismus sanguinis aliquo modo includatur in baptismo aquæ, vt docet D.Thom. art.præced. ad 1. tamen, vt idem S.Doct ait in 4.d.4.q.3.a.3.quæstiuncula 1. *Propriè loquendo vnum est tantum baptisma, quod in aqua celebratur*. Alia autem baptismata sunt solum secundum proportionem ad eundem effectum; ergo cum baptismus sanguinis non sit propriè baptisma, non potest vnum sacramentum cum baptismo aquæ efficere, sicut vnum sacramentum Ordinis efficiunt omnes Ordines, quia verè, & propriè sunt Ordines. Tum etiam, quia martyrium eiusdem rationis erat, & eodem modo conferebat gratiam in lege veteri, ac modo in lege noua: sed tunc non erat sacramentum; ergo neque modo. Vnde hic solutione omissa respondetur ad 2. proprium esse sacramentorum nouæ legis causare gratiam, tanquam signa practica illius à Deo instituta, & instrumenta diuinæ virtutis, quam participant, & per eam ad talem effectum producendum eleuantur. Nihil autem horum conuenit baptismo sanguinis: nam vt art.præced. ad 2. docet D.Thom. baptismus sanguinis non conuenit cum baptismo aquæ, quantum ad rationem signi, quia reuera non est signum gratiæ, aut rei sacræ sanctificantis nos: nec est à Deo institutus ad nostram sanctificationem significandam, aut cau-

causandam; sed solum dicitur conferre gratiam, tanquam imitatio passionis Christi: quia hanc imitantibus vult Deus, & promisit gloriam, ac proinde gratiam cõferre, vt patet ex locis adductis in secunde probatione conclusionis: sicque non vt sacramentum, aut instrumentum diuinę virtutis, sed vt conditio, qua posita, Deus causat gratiam, habet gratiam conferre, & facere ex attrito contritum.

Ad 3. respondetur negando antecedens, si inanis gloria solum sit peccatum veniale: nam sic effundens sanguinem pro Christo, non habet voluntatem peccato mortali inhærentem, si absque illo fit, aut eius, in quo est, attritionem habeat; sicque passio pro Christo suscepta illi gratiam confert, aut primam, aut eius augmentum, iuxta doctrinam D.Thom. infra q. 87 art. 1. ad 2. vbi & Caiet.ait: *Si quis iuisset dormitum cum proposito dicendi mane mendacium officiosum, & interim dormiens occideretur pro Christo: crediderim ego ex diuina largitate etiam illius peccatum plenissimam remissionem per martyrium consequi, quamuis per baptismum illius remissionem non consequeretur.* Quod licet Mag. Soto in quarto d.15 q.2.art.1.ad finem, & alij non credant: hinc tamen constat, peccatum veniale non magis impedire effectum baptismi sanguinis, quam baptismi aquæ. Ad probationem dico: S. Hieronym. loqui de martyrio, vt est actus quidam fortitudinis: & frustra sangui-

guinem effusum esse dicit, quantum ad rationem meriti spectat; quantum enim attinet ad impletionem præcepti, quod forte tunc instat, non frustra sanguis effusus est, cum illo actu, etiam facto ex inani gloria, tale præceptum impleatur, sicut & collatione eleemosynæ ex inani gloria impleatur præceptum dandi eleemosynam. Si verò consideretur martyrium, vt quædam passio pro Christo suscepta, & imitatio passionis Christi, non frustra sanguis effusus est: nam sic absque merito suscipientis habet conferre gratiam modo iam dicto, non solum paruulis, sed etiam adultis peccatoribus attritionem solam habentibus. Vnde quantum ad hoc idem dicendum est de baptismo sanguinis, ac de baptismo aquæ.

Ad quartum respondetur probare, quod diximus, prædictum effectum non conferri à martyrio, vt est actus fortitudinis. Confertur tamen ab illo modo explicato, vt est quędam pasio pro Christo suscepta, & realis imitatio passionis Christi.

Ad quintum respōdetur negando sequelam: nam vt ait D. Thom in 4 d 4. q. 3. a. 3. quæstiunc. 1. ad 1. *Baptismus sanguinis non valet ad regenerationem, nisi ei, qui habet baptismum aquæ in proposito. scilicet quando articulus necessitatis, non contemptus religionis, sacracramentum excludit.* Vnde si ille, qui ducitur ad martyrium non est baptizatus, tenetur baptizari, si potest. Si verò est ba-

baptizatus, & conscientiam habet peccati mortalis, illud confiteri tenetur; si copiam habet sacerdotis. Nam per martyrium non deobligatur à præcepto baptismi, & confessionis, quod tunc instante morte per se obligat.

QVÆSTIO LXVII.

De Ministris, per quos traditur Baptismi Sacramentum.

ARTICVLVS I.

Vtrum ad officium Diaconi pertineat baptizare.

Conclusio est negans.


QVamuis in Diaconorum ordinatione dicatur: Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare; non inde fit, ad officium Diaconi pertinere baptizare: nam vt hic ait Caiet. hoc intelligendum est diuersimodè; ita vt ad Diaconum pertineat ex proprio officio ministrare ad Altare; baptizare verò, & prædicare solum ex commissione Episcopi, vel Presbyteri. Habet autem Diaconus

ex sua ordinatione posse ex commissione baptizare, non solum absque solemnitate, sed etiam solemniter. Quod Mag. Soto in 4. dist.4. quæst.vnica, art.2. intelligendum esse dicit, vbi est raritas magna Sacerdotũ, vt erat in primitiua Ecclesia; si enim magna sit copia Sacerdotum, Diaconis committi non licet, vt solemniter baptizent. Quidam ex recentioribus existimant, licet grauis necessitas, qualis est penuria Sacerdotum, adhuc non compellat, posse baptismum committi Diacono ex iusta, & rationabili causa. Sed non video ad hoc posse esse huiusmodi causam, si est sufficiens copia Sacerdotum. Nisi forte dicas, affectum baptizandi, aut parentum eius erga Diaconum esse ad hoc iustam, & rationabilem causam. Quod falsum videtur, alias enim similis affectus rationabilis esset causa, vt præsente Sacerdote Diaconus, & præsente Diacono inferior clericus, & præsente clerico laicus, & præsente viro mulier baptizaret non solemniter in mortis periculo: cuius oppositum colligitur ex D.Th. hic art.4.

Alij clerici inferiores Diacono in nullo casu possunt solemniter baptizare; si verò baptizent, irregularitatem incurrunt, vt patet ex cap. *Si quis*, de clerico non ordinato ministrante. Purè laicum solemniter baptizantem non fieri irregularem dicunt multi, quia caput citatum solum loquitur de clerico. Alij cum Nauarro c.27.n.242. oppositum docent; nam licet titulus sit de cle-

clerico, tamen caput citatum de non ordinato generaliter loquitur, sic enim habet. *Si quis baptizauerit, aut aliquod diuinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abijciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur*. Sed quia odia, & pœnæ non ampliari, sed restringi debent, mihi primum probabilius videtur, cum quod dicitur in prædicto capite, ex titulo non sine fundamento ad clericum restringi possit.

An vero Sum. Pontifex possit dispensare, vt Subdiaconus, vel alius inferior solemniter baptizet, non est concors omnium sententia. Quidam posse affirmant: quia cũ solemnitas sit iure Ecclesiastico introducta, nulla videtur esse ratio, cur Papa non possit concedere facultatem inferioribus clericis, vt solemniter baptizent. Alij posse negant: quia hoc nunquam factum est in Ecclesia, & pertinere videtur ad potestatem Ordinis Sacerdotis, & Diaconi, & iure diuino ipsis solis competere solemniter baptizare, quãuis hæc, vel illa solemnitas sit de iure Ecclesiastico.



Vtrum baptizare pertineat ad officium Presbyterorum.

Conclusio est affirmans.

PAtet ex diffinitione Conc. Florent. in Decreto vnionis, *Minister huius Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Quod eodem modo intelligendum est, quo dicimus, Sacerdotem esse ministrum Sacramenti Pœnitentiæ, cui ex officio competit absoluere à peccatis, nempe quantum ad potestatem ordinis; licet ei quantum ad potestatem iurisdictionis hoc non competat ex officio, nisi curam animarum habeat, sed solum ex commissione Episcopi, vel alterius superioris, quando ei ad hoc conceditur facultas. In quo maximè differt Sacerdos à Diacono; huic enim nec quantũ ad potestatem iurisdictionis, nec quantũ ad potestatem ordinis competit baptizare ex officio, sed solum ex commissione: nam ex potestate Ordinis solum habet posse baptizare, vt minister Episcopi, vel Presbyteri, ac per consequens ex eius commissione. Sacerdos autem sicut ex potestate Ordinis habet consecrare, non vt minister superioris Prælati: ita & baptizare (sicut & à pec-

catis absoluere) ac per consequens hoc non habet ex commissione superioris, sed ex officio proprio. Vt tamen actu licitè baptizet, quia non habet iurisdictionem, necesse est, vt hoc sibi committatur ab habente iurisdictionem, sicque vt minister illius agat, sicut & Diaconus: nam vt ait S.Hieronym. contra Luciferanos, *Sine Episcopi iussione neque Presbyteri, neque Diaconi ius habent baptizandi*; ob defectum scilicet iurisdictionis. Adhuc verò quantum ad hoc est differentia inter Sacerdotem, & Diaconum: quia Sacerdoti simplici sine aliqua causa, sed sola voluntate proprij Sacerdotis committi potest, vt baptizet; Diacono autem non nisi magna vrgente causa.

ARTICVLVS III.

Vtrum laicus possit baptizare?

Conclusio est affirmans.

IDem dicit D. Thom. art.4. de muliere, & art.5. de non baptizato. Quorum trium articulorum conclusiones definitæ sunt in Concil. Floren. in decreto vnionis, vbi post verba relata artic.2. subdit Concilium: *In causa autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, & mulier, immo, & paganus, & hæreticus bapti-*

zare potest, dummodo seruet formam Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia.

Aduertit tamen D. Thom. artic. 4. *Non debet mulier baptizare, si adsit copia viri: sicut nec laicus præsente clerico, nec clericus præsente Sacerdote, qui tamen potest baptizare præsente Episcopo, eo quod hoc pertinet ad officium Sacerdotis.* Qui ordo si peruertatur, non est sine peccato. Ait tamen Mag. Soto in 4. d.4. q.vnica, art.2. mulierem in præsentia viri laici baptizare, nunquam esse mortale, sed solum esse quandam indecentiam venialem, & leuissimam, immo aliquando nullam, vt si obstetrix peritior sit baptizãdi, quam rusticus, qui forte adest, nam tunc viri competentis copiam non haberi censendum est. Pari etiam ratione non esse mortale, sed veniale solum, si laicus præsente clerico etiam Diacono baptizet: si tamen in præsentia Sacerdotis, saltem illo renuente, alius non Sacerdos baptizaret, mortale peccatum esse. Alij etiam mortale esse existimant, si in præsentia Diaconi alij inferiores baptizent: quia quamuis Diacono non incumbat ex officio baptizare, sicut incumbit Sacerdoti, ex sua tamen ordinatione habet, posse ex commissione baptizare, sicque illum prætermittendo grauis irreuerentia fit, & ordini, & Sacramento. Si relicto fideli baptizato, assumeretur infidelis, aut non baptizatus, aliqui dicunt non esse mortale per se loquendo, quia hæc indecentia non videtur ita grauis; sed solum per accidens ratione

scan-

ſcandali, aut periculi, ne infidelis malè baptizet. Sed communior ſententia eſt, etiã per ſe loquendo mortale eſſe, quia videtur grauis irreuerentia in ipſum ſacramentum committi.

ARTICVLVS VI.

Vtrum plures poſſint ſimul vnum baptizare.

Concluſio eſt negans.

Dubium. An hæc concluſio vera ſit.

FAlſam eſſe probatur 1. Si plures vnum abluerent dicendo, Nos te baptizamus, validum eſſet ſacramentum; ergo validè plures poſſunt ſimul vnum baptizare. Antecedens probatur: Tum quia ſi plures mulieres eidem viro ſimul nuberent, Deo in pluralitate vxorum diſpenſante, ſicut in antiqua lege, & dicerent, Nos te accipimus in virum, validum eſſet ſacramentum; ergo idem erit in Baptiſmo, ſi plures dicãt, Nos te baptizamus. Tum etiam, quia ad Baptiſmum non requiritur, vt reuera ſit vnicus miniſter, nam vt hic ait D. Thom. duo poſſunt concurrere ad vnum Baptiſmum; nec vt quilibet ſingulariter ſe ex-

vt ait Mag. Soto vbi supra. Quod sic quasi dubitando dixit, quia aliqui negant martyrem esse puerum in matris vtero occisum, si qui occidit matrem propter Christum, nescit esse grauidam. Sed communior sententia est, martyrem esse, quia verè occiditur propter Christum, eiusque mors in odium fidei saltem virtualiter, aut concomitanter intenta est. Vnde in casu posito absolutè asserendum esse existimo, paruulos in maternis vteris existētes martyres esse; alias nec martyres essent aliqui, quos si Turca in prędicto castro adesse nouisset, forsan abstinuisset ab incendio castri in odium Christi.

Neque his obstat, quod dicitur in Concil. Trid sess. 6. cap. 4. de iustificatione impij: *Sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest*. Nam ibi est sermo de adultis, qui si non sint baptizati, iustificari non possunt sine voto baptismi, saltem virtuali, incluso in actu contritionis, vel attritionis, etiamsi pro Christo occidantur. Vel si ad paruulos etiam extendatur, loquitur Concilium de iustificatione, quæ fit per media ordinaria, sicque non excludit medium extraordinarium, quale est martyrium in his, qui nec baptismum aquæ, nec eius votum habere possunt, quales sunt paruuli.

Si quæras, quando conferatur baptismi sanguinis gratia, & effectus? Respondetur, de hac re varias esse sententias. Quibus omissis dico: talem gratiam, & effectum conferri instanti, in quo, quamuis physicè

non

non sit actu subsequuta mors, cursus tamen vitæ, ac certaminis, seu agonis iam moraliter consummatus intelligitur, quia parum distat à mortis instanti. Sicut enim Christus ante mortis instans dixit *Consummatum est*, nam hoc dicto caput inclinauit, & inclinato capite, tradidit spiritum: ita & de quolibet martyre verificari potest ante mortis instans breuissimo tempore mediante, consummatum esse cursum vitæ certaminis: & agonis eius: quia quamuis physicè non sit consummatus; moraliter tamen consummatus intelligitur.

Ad 1. autem factum in principio respondetur, testimonium illud esse intelligendũ, quando nec in principio, nec in termino illius traditionis corporis habet homo charitatem: talis autem traditio non est baptismus sanguinis, nam vt hic ad 2. ait D. Thom. *Effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine charitate*. Vnde non sequitur illam traditionem corporis, de qua loquitur Apostolus, multum prodesse, si baptismus sanguinis conferret gratiam, & faceret ex attrito contritum.

Ad 2. Maior in 4.d.4. q.3. respondet negando minorum: existimat enim martyrium, seu baptismum sanguinis verè esse sacramentum, quia confert gratiã ex opere operato. Ad impugnationem dicit, martyrium connumerari baptismo, sicque nõ esse plura, quam septem Ecclesiæ sacramẽta, sicut nec plura sunt, quamuis sint plures ordines. Hanc solutionem latè impugnat

Mag. Soto vbi supra, & alij recentiores, qui & dicunt sententiam Maioris temerariam esse, ac proximam errori. Contra illam est: Tū quia quāuis baptismus sanguinis aliquo modo includatur in baptismo aquæ, vt docet D. Thom. art. præced. ad 1. tamen vt idem S. Doct. ait in 4. d. 4. q. 3. a. 3. quæstiuncula 1. *Propriè loquendo vnum est tantum baptisma, quod in aqua celebratur*. Alia autem baptismata sunt solum secundum proportionem ad eundem effectum; ergo cum baptismus sanguinis non sit propriè baptisma, non potest vnum sacramentum cum baptismo aquæ efficere, sicut vnum sacramentum Ordinis efficiunt omnes Ordines, quia verè, & propriè sunt Ordines. Tum etiam, quia martyrium eiusdem rationis erat, & eodem modo conferebat gratiam in lege veteri, ac modo in lege noua: sed tunc non erat sacramentum; ergo neque modo. Vnde hic solutione omissa respondetur ad 2. proprium esse sacramentorum nouæ legis causare gratiam, tanquam signa practica illius à Deo instituta, & instrumenta diuinæ virtutis, quam participant, & per eam ad talem effectum producendum eleuantur. Nihil autem horum conuenit baptismo sanguinis: nam vt art. præced. ad 2. docet D. Thom. baptismus sanguinis non conuenit cum baptismo aquæ, quantum ad rationem signi, quia reuera non est signum gratiæ, aut rei sacræ sanctificantis nos: nec est à Deo institutus ad nostram sanctificationem significandam, aut cau-

causandam; sed solum dicitur conferre gratiam, tanquam imitatio passionis Christi: quia hanc imitantibus vult Deus, & promisit gloriam, ac proinde gratiam cõferre, vt patet ex locis adductis in secunda probatione conclusionis: sicque non vt sacramentum, aut instrumentum diuinę virtutis, sed vt conditio, qua posita, Deus causat gratiam, habet gratiam conferre, & facere ex attrito contritum.

Ad 3. respondetur negando antecedens, si inanis gloria solum sit peccatum veniale: nam sic effundens sanguinem pro Christo, non habet voluntatem peccato mortali inhærentem, si absque illo sit, aut eius, in quo est, attritionem habeat; sicque passio pro Christo suscepta illi gratiam confert, aut primam, aut eius augmentum, iuxta doctrinam D.Thom. infra q. 87 art. 1. ad 2. vbi & Caiet. ait: *Si quis iuisset dormitum cum proposito dicendi mane mendacium officiosum, & interim dormiens occideretur pro Christo: crediderim ego ex diuina largitate etiam illius peccatum plenissimam remissionem per martyrium consequi, quamuis per baptismum illius remissionem non consequeretur*. Quod licet Mag. Soto in quarto d. 15 q. 2. art. 1. ad finem, & alij non credant: hinc tamen constat, peccatum veniale non magis impedire effectum baptismi sanguinis, quam baptismi aquæ. Ad probationem dico, S. Hieronym. loqui de martyrio, vt est actus quidam fortitudinis: & frustra sangui-

guinem effusum esse dicit, quantum ad rationem meriti spectat; quantum enim attinet ad impletionem præcepti, quod forte tunc instat, non frustra sanguis effusus est, cum illo actu, etiam facto ex inani gloria, tale præceptum impleatur, sicut & collatione eleemosynæ ex inani gloria impleatur præceptum dandi eleemosynam. Si verò consideretur martyrium, vt quædam passio pro Christo suscepta, & imitatio passionis Christi, non frustra sanguis effusus est: nam sic absque merito suscipientis habet conferre gratiam modo iam dicto, non solum paruulis, sed etiam adultis peccatoribus attritionem solam habentibus. Vnde quantum ad hoc idem dicendum est de baptismo sanguinis, ac de baptismo aquæ.

Ad quartum respondetur probare, quod diximus, prædictum effectum non conferri à martyrio, vt est actus fortitudinis. Confertur tamen ab illo modo explicato, vt est quędam pasśio pro Christo suscepta, & realis imitatio pasśionis Christi.

Ad quintum respõdetur negando sequelam: nam vt ait D. Thom in 4 d 4.q.3.a.3. quæstiunc.1. ad 1. *Baptismus sanguinis non valet ad regenerationem, nisi ei, qui habet baptismum aquæ in proposito, scil cet quando articulus necessitatis, non contemptus religionis, sacracramentum excludit.* Vnde si ille, qui ducitur ad martyrium non est baptizatus, tenetur baptizari, si potest. Si verò est ba-

baptizatus, & conſcientiam habet peccati mortalis, illud confiteri tenetur; ſi copiam habet ſacerdotis. Nam per martyrium non deobligatur à præcepto baptiſmi, & confeſsionis, quod tunc inſtante morte per ſe obligat.

QVÆSTIO LXVII.

De Miniſtris, per quos traditur Baptiſmi Sacramentum.

ARTICVLVS I.

Vtrum ad officium Diaconi pertineat baptizare.

Concluſio eſt negans.

QVamuis in Diaconorum ordinatione dicatur: Diaconum oportet miniſtrare ad Altare, baptizare, & prædicare; non inde fit, ad officium Diaconi pertinere baptizare: nam vt hic ait Caiet. hoc intelligendum eſt diuerſimodè; ita vt ad Diaconum pertineat ex proprio officio miniſtrare ad Altare; baptizare verò, & prædicare ſolum ex commiſsione Epiſcopi, vel Presbyteri. Habet autem Diaconus

ex sua ordinatione posse ex commissione baptizare, non solum absque solemnitate, sed etiam solemniter. Quod Mag. Soto in 4. dist.4. quæst. vnica, art.2. intelligendum esse dicit, vbi est raritas magna Sacerdotũ, vt erat in primitiua Ecclesia; si enim magna sit copia Sacerdotum, Diaconis committi non licet, vt solemniter baptizent. Quidam ex recentioribus existimant, licet grauis necessitas, qualis est penuria Sacerdotum, adhuc non compellat, posse baptismum committi Diacono ex iusta, & rationabili causa. Sed non video ad hoc posse esse huiusmodi causam, si est sufficiens copia Sacerdotum. Nisi forte dicas, affectum baptizandi, aut parentum eius erga Diaconum esse ad hoc iustam, & rationabilem causam. Quod falsum videtur, alias enim similis affectus rationabilis esset causa, vt præsente Sacerdote Diaconus, & præsente Diacono inferior clericus, & præsente clerico laicus, & præsente viro mulier baptizaret non solemniter in mortis periculo: cuius oppositum colligitur ex D.Th. hic art.4.

Alij clerici inferiores Diacono in nullo casu possunt solemniter baptizare; si verò baptizent, irregularitatem incurrunt, vt patet ex cap. *Si quis*, de clerico non ordinato ministrante. Purè laicum solemniter baptizantem non fieri irregularem dicunt multi, quia caput citatum solum loquitur de clerico. Alij cum Nauarro c.27.n.242. oppositum docent: nam licet titulus sit de cle-

clerico, tamen caput citatum de non ordinato generaliter loquitur, ſic enim habet: *Si quis baptizauerit, aut aliquod diuinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abijciatur de Eccleſia, & nunquam ordinetur*. Sed quia odia, & pœnæ non ampliari, ſed reſtringi debent, mihi primum probabilius videtur, cum quod dicitur in prædicto capite, ex titulo non ſine fundamento ad clericum reſtringi poſſit.

An vero Sum. Pontifex poſſit diſpenſare, vt Subdiaconus, vel alius inferior ſolemniter baptizet, non eſt concors omnium ſententia. Quidam poſſe affirmant: quia cũ ſolemnitas ſit iure Eccleſiaſtico introducta, nulla videtur eſſe ratio, cur Papa non poſſit concedere facultatem inferioribus clericis, vt ſolemniter baptizent. Alij poſſe negant: quia hoc nunquam factum eſt in Eccleſia, & pertinere videtur ad poteſtatem Ordinis Sacerdotis, & Diaconi, & iure diuino ipſis ſolis competere ſolemniter baptizare, quãuis hæc, vel illa ſolemnitas ſit de iure Eccleſiaſtico.



ARTICVLVS II.

Vtrum baptizare pertineat ad officium Presbyterorum.

Conclusio est affirmans.

PAtet ex diffinitione Conc. Florent. in Decreto vnionis, *Minister huius Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare*. Quod eodem modo intelligendum est, quo dicimus, Sacerdotem esse ministrum Sacramenti Pœnitentiæ, cui ex officio competit absoluere à peccatis, nempe quantum ad potestatem ordinis; licet ei quantum ad potestatem iurisdictionis hoc non competat ex officio, nisi curam animarum habeat, sed solum ex commissione Episcopi, vel alterius superioris, quando ei ad hoc conceditur facultas. In quo maximè differt Sacerdos à Diacono; huic enim nec quantũ ad potestatem iurisdictionis, nec quantũ ad potestatem ordinis competit baptizare ex officio, sed solum ex commissione: nam ex potestate Ordinis solum habet posse baptizare, vt minister Episcopi, vel Presbyteri, ac per consequens ex eius commissione. Sacerdos autem sicut ex potestate Ordinis habet consecrare, non vt minister superioris Prælati: ita & baptizare (sicut & à pec-

catis

catis absoluere) ac per consequens hoc non habet ex commissione superioris, sed ex officio proprio. Vt tamen actu licitè baptizet, quia non habet iurisdictionem, necesse est, vt hoc sibi committatur ab habente iurisdictionem, sicque vt minister illius agat, sicut & Diaconus: nam vt ait S.Hieronym. contra Luciferanos, *Sine Episcopi iussione neque Presbyteri, neque Diaconi ius habent baptizandi*; ob defectum scilicet iurisdictionis. Adhuc verò quantum ad hoc est differentia inter Sacerdotem, & Diaconum: quia Sacerdoti simplici sine aliqua causa, sed sola voluntate proprij Sacerdotis committi potest, vt baptizet; Diacono autem non nisi magna vrgente causa.

ARTICVLVS III.

Vtrum laicus possit baptizare?

Conclusio est affirmans.

IDem dicit D. Thom. art.4. de muliere, & art.5. de non baptizato. Quorum trium articulorum conclusiones definitæ sunt in Concil. Floren. in decreto vnionis, vbi post verba relata artic.2. subdit Concilium: *In causa autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, & mulier, immo, & paganus, & hæreticus bapti-*

ſcandali, aut periculi, ne infidelis malè baptizet. Sed communior ſententia eſt, etiã per ſe loquendo mortale eſſe, quia videtur grauis irreuerentia in ipſum ſacramentum committi.

ARTICVLVS VI.

Vtrum plures poſſint ſimul vnum baptizare.

Concluſio eſt negans.

Dubium. An hæc concluſio vera ſit.

FAlſam eſſe probatur 1. Si plures vnum abluerent dicendo, Nos te baptizamus, validum eſſet ſacramentum; ergo validè plures poſſunt ſimul vnum baptizare. Antecedens probatur: Tum quia ſi plures mulieres eidem viro ſimul nuberent, Deo in pluralitate vxorum diſpenſante, ſicut in antiqua lege, & dicerent, Nos te accipimus in virum, validum eſſet ſacramentum; ergo idem erit in Baptiſmo, ſi plures dicãt, Nos te baptizamus. Tum etiam, quia ad Baptiſmum non requiritur, vt reuera ſit vnicus miniſter, nam vt hic ait D. Thom. duo poſſunt concurrere ad vnum Baptiſmum; nec vt quilibet ſingulariter ſe ex-

plicet, cum Græci dicentes, Baptizetur seruus Christi, non exprimant ministrum; ergo etiam si plures dicant, Nos te baptizamus, verum conficiunt sacramentum.

Secundò, si esset paruulus in articulo mortis, & adessent duo, quorum alter esset mutus, & alter sine brachijs, & carens brachijs verba proferret, & mutus ablueret, verè, ac validè baptizarent; ergo plures possunt simul vnum baptizare. Antecedens probatur: Tum quia licet proferés verba non apponat materiam, potest forma esse conueniens, sicut in sacramento Pœnitentiæ etiam si proferens verba non apponat materiam, est forma conueniens: potest etiam verificari in hoc sensu, Ego tibi impendo sacramentum ablutionis, vel Ego te abluo spiritualiter; ergo & potest Baptismus esse validus. Tum etiam, quia in can. *Quorundam*, dist. 23 insinuatur validum fuisse Sacramentum Ordinis collatū ab Episcopo oculorum dolore laborante super ponente manus, & Presbytero benedictionem legente, sicque verba proferente, cum ibi dicatur de ordinatis, *Gradum, quem peruersè adepti sunt, amittant*; ergo validum etiam erit Sacramentum Baptismi collatum ab vno proferente verba, & alio abluente.

Dicendum tamen est 1. Baptismum collatum alicui à pluribus simul abluentibus, & dicentibus, Nos te baptizamus nullum esse. Oppositum huius docet Durandus in 4. dist. 3. quæst. 3. num. 16. & Paludanus

ibi-

ibidem q.2.a.1. Sed noſtra concluſio probatur 1. ex D.Thom. hic enim ait: *Ex tali forma. Nos te baptizamus, exprimitur talis intentio; quod plures conueniant ad Baptiſmum conferendum. Quod quidem videtur eſſe contra rationem miniſterij, &c. Et ideo contraria intentio videtur excludere Baptiſmi Sacramentum*. Et ſupra quæſt.66. art.5. ad 4. dicit, vnum poſſe ſimul baptizare plures dicendo, Ego baptizo vos: non tamen plures vnum dicendo, Nos te baptizamus: nam in primo caſu nulla eſset mutatio formæ: *Quia vos nihil aliud eſt, quam te, & te. Quod autem dicitur nos, non eſt idem dicere, quod ego; & ego, ſed ego & tu: & ſic iam mutatur forma*.

Secundò probatur ratione ſumpta ex prædictis verbis D. Thom. Vt baptiſmus ſit validus, debet apponi forma legitima, & non exprimi intentio contraria intentioni Chriſti. & Eccleſiæ: ſed quando plures ſimul abluunt, & dicunt, Nos te baptizamus, non apponitur legitima forma, & exprimitur intentio contraria intentioni Chriſti, & Eccleſiæ; ergo non eſt validus Baptiſmus, ſed nullus. Minor probatur, forma legitima, & intentio Chriſti, & Eccleſiæ excludit pluralitatem miniſtrorum conuenientium ad baptiſmum conferendum; ſicut enim vnus eſt Chriſtus, tam ipſe, quam Eccleſia vult, ac intẽdit, vt miniſter vicem gerens Chriſti, & ipſum repræſentans ſit vnus, forma etiam legitima, aut nullum exprimit miniſtrum, vt patet

in forma Græcorum, aut vnum solum exprimit, vt patet in forma nostra: sed ex hac forma, Nos te baptizamus, & ex vi verborum illius exprimitur pluralitas ministrorum conuenientium ad baptismum conferendum, & intentio talis pluralitatis; ergo qui illa vtuntur, intentionem contrariam intentioni Christi, & Ecclesiæ exprimunt, & non apponunt formam legitimam, forma enim, in qua exprimitur pluralitas ministrorum, non est synonima, & eiusdem rationis cum forma legitima, sed alia, & diuersa ab ea, sicque illa apposita mutatur forma, & legitima non apponitur.

Dicendum est 2. Si quando plures aliquem baptizant, seu abluunt, quilibet eorum dicit, Ego te baptizo, quamuis hoc illicitè agant, & puniendi sint; qui tamen prius verba profert, verum Baptismi Sacramentum conficit; si vero omnino simul verba proferunt, & abluunt, omnes verè baptizant, & vnum tantum sacramentum efficiunt. Omnes huius conclusionis partes docet D.Thom. hic, Primam illis verbis, *Essent puniendi de inordinato modo baptizandi*. Quæ etiam probatur, baptizant contra modum baptizandi ordinatum ab Ecclesia, quæ ordinauit, vt vnus solus baptizet; ergo inordinatè, & illicitè agunt, sicque puniendi sunt.

Secundam illis verbis: *Ille, qui prius verba proferret, daret Baptismum Sacramentum*. Quæ etiam probatur, qui prius verba profert, legitimam formam, & materiam appo-

ponit, ergo si intentionem baptizandi habet, verum baptismi sacramentum conficit, & alter, qui postea verba pronuntiare præsumeret, nihil faceret, & tanquam rebaptizator puniendus esset.

Tertiam verbis illis: *Si autem omnino simul ambo verba proferrent, & hominem immergerent, aut aspergerent, &c. Vterque, quantum in se est, baptizaret.* Quæ etiam probatur. omnes sufficienter omnia requisita ponunt: ergo sicut recenter ordinati Sacerdotes omnes simul cum Episcopo vere consecrant, si simul verba consecrationis proferunt, ita & in nostro casu omnes vere baptizant.

Quartam illis verbis: *Nec traderent aliud, & aliud sacramentum, sed Christus, qui est vnus interius baptizans, vnum sacramentum per vtrumque conferret.* Quæ etiam probatur contra quosdam recentiores illam negantes. Tum quia ideo dicitur vnum baptisma, quia vnus homo non potest nisi vnum suscipere. Tum etiam, quia tunc vna est ablutio ob vnitatem subiecti, etiã si vnus vnam partem baptizati abluat, & alter aliam, non secus, ac quando vnus solus baptizat, etiam si duas distinctas partes ablueret non contiguas, media non abluta, vna esset ablutio; ergo vnum Baptismi sacramentum, hoc enim pro ablutione supponit. Tum deinde, quia si qui à pluribus prædicto modo baptizaretur plura reciperet Baptismi sacramenta, maiorem gratiam reciperet, quam si solum baptiza-

retur ab vno, plura enim sacramenta maiorem gratiam conferunt, quam vnum solum. Sed hoc est falsum; ergo &c. Tum denique, quia sicut quando plures Sacerdotes eandem Hostiam consecrant, vnum solum Eucharistię Sacramentū efficiunt ita quando plures eundē hominem baptizant, vnum Sacram Baptismi debent efficere.

Neque huic obstat pluralitas numerica verborum, formarum, & actionum. Respondetur namque, sicut quando vnus baptizat plures dicendo, Ego vos baptizo, sunt plura baptismata, quamuis forma, & actio ministri sit vna numero: ita quando plures vnum baptizant prædicto modo, est vnus baptismus, licet formæ, & actiones ministrorum sint plures: propter hoc enim plures baptizantes sunt plures causæ totales instrumentariæ eiusdem Sacramenti Baptismi, sicut plures Sacerdotes simul cōsecrantes eandem Hostiam, sunt plures causæ instrumentariæ totales eiusdem Sacramenti Eucharistiæ.

Dicendum est 3. Si vnus ablueret, & alter proferret verba formæ Baptismi, nullū conficeretur Sacramentum. Oppositum huius tenet Marsilius in 4.q.4. a.4. dub.11. cui & fauet Caiet. hic circa solutionem tertij. Nostra tamen conclusio communis est inter Theologos.

Probatur 1 ex D.Thom. nam supra q.66. a.5. ad 4. ait: *Si conuenirent duo, quorum vnus esset mutus, qui nō posset proferre verba, & alius carens manibus, qui non posset exercere actum,*

non

non possent ambo simul baptizare, vno dicente verba, & alio exercente actum. Et hic ad 3. dicit: *Nec ille, qui tantum verba profert, baptizat, nec ille qui immergit*.

Secundò probatur ratione D. Thom. Si vnus verba proferat, & alius immergat, nulla forma poterit esse conueniens; ergo nec poterit esse validus baptismus. Antecedens probat S. Doct. *Nec enim poterit dici, Ego te baptizo, cum ipse non immergat, & per consequens non baptizet: nec etiam poterit dici, Nos te baptizamus, cum neuter baptizet*. Respondet Caietanus, posse dici, Nos te baptizamus, non quidem, vt baptizare sumitur pro abluere, nam qui profert verba non abluit, sed vt sumitur pro integro sacramento. Nam quamuis neuter per se seorsum baptizet, hoc est integrum sacramentum conferat: de vtroque tamen simul coniunctim verificatur, quod conferunt sacramentum Baptismi. Sicut iudices, quorum neuter sine altero posset iudicare, proferendo sententiam verè dicerent, Nos iudicamus. Hanc tamen solutionem optimè impugnat Mag. Soto in 4. d. 4. q. vnica, a 4. quia sequeretur, valere baptismum, quem plures sic celebrarent, vt vnus mergeret, alius diceret, Nos te baptizamus, alius, In nomine Patris, alius, In nomine Filij, & alius, In nomine Spiritus Sancti: nam nō minus de omnibus his simul coniunctim verificaretur conferre Sacramentum Baptismi, quàm de illis, quorum vnus proferret formam, & alter ablueret: sed

hoc

hoc concedi non potest ; ergo &c.

Ad 1. autem factum in principio respondetur negando antecedens. Ad 1. probationem neganda est consequentia cum Mag. Soto vbi supra: *Tum quod matrimonio non est certa verborum forma necessaria: tum quod verbum illic diuisiue vsurpant hoc est, ego te accipio, & ista te accipit, ob quod vtraque verum dicit*. In Baptismo verò dicentes, baptizamus, verbum hoc complexim accipiunt: nam intendunt baptizare, vt ministri partiales, quorum vnus ab alio pendet, quod falsum est. Si vterque per se intendat baptizare totaliter, tunc, inquit Mag. Soto, *Per verbum plurale vterque vnam copulatiuam profert, scilicet ego te baptizo, & iste baptizat. Quare licet prima pars sit legitima forma, adiungitur tamen altera impertinens: ac si dixisset. Ego te baptizo, & iste tenet librũ. Quare si illud tanquam necessarium adiungeret, vitiaretur forma, si autem adiungeretur tanquam impertinens, verus esset Baptismus*. Sed hoc non videtur conforme D. Thomæ locis citatis in 1. con. huius dubij nam ait, cum dicitur, Ego & tu, mutari formam, & ex tali forma, & ex vi verbi, baptizamus exprimi, plures conuenire, & concurrere ad baptismum conferendum, & non magis vnum, quam alterum. Vnde absolutè asserendum esse existimo, etiam si vterque intenderet per se totaliter baptizare, nullũ esse baptismum cum hac forma, Nos te baptizamus: nam ex tali forma, & ex vi verborum exprimitur pluralitas ministro-

rum

rum conuenientium ad baptismum conferendum, & intentio talis pluralitatis, quod & intentioni Christi, & rationi formæ legitimæ contrariatur, vt ostendimus in ratione facta pro prima conclusione. Nec est eadem ratio in matrimonio: nam ibi expressio pluralitatis contrahentium cum aliquo non contrariatur formæ legitimæ Matrimonij, sicut expressio pluralitatis ministrorum aduersatur formæ legitimæ baptismi: & ibi contrahentes non solum vicem gerunt Christi ipsum repræsentantes, sicut hic minister; cum enim ibi fit ratio contractus, quilibet contrahens personam propriam repræsentat, & vt talis se ipsum tradit alteri.

Ad 2. probationem dico, quamuis non requiratur ad baptismum vnius expressio ministri; requiri tamen, vt non exprimantur ex vi formæ, & verborum plures ministri: cumque ex vi huius formæ, Nos te baptizamus, plures ministri exprimantur, vt diximus cum D. Thom. non erit legitima talis forma, nec validus baptismus.

Ad 2. respondetur negando antecedens. Ad 1. probationem dico, non esse eandem rationem de Sacramento Pœnitétiæ: quia verba absolutionis non significant, absoluentem apponere materiam, sed potius supponere illam iam appositam: verba autem formæ baptismi expresse significat, proferentem illa materiá apponere nempe aquam, & ablutionem. Ad 2. probationem Glossa ibi explicans verbum illud, *Amit-*

Amittant, inquit: *Et tamen numquam eum receperunt: & ita aliquis dicitur amittere, quod nunquam habuit*. Vnde negandum est antecedens, & dicendum, illud potius cõfirmare sententiam D.Thom. sed Mag. Soto vbi supra concedit antecedens, & negat consequentiam: quia illic non refertur, in ipsa actione, qua imprimitur character concurrisse Presbyterum cum Episcopo, alias nullum fuisset Sacramentum, sed in impositione manuum, per quam non imprimitur caracter, sed per traditionem materiæ, & potestatis. Vnde non est eadem ratio, ac de baptismo in nostro casu.

ARTICVLVS VII.

Vtrum in Baptismo requiratur aliquis, qui baptizatum leuet de sacro fonte.

Conclusio est affirmans.

NOtandum hic est, non quemcumque posse baptizatum leuare de sacro fonte, susceptoremque, seu patrinum esse. Primo enim, talis esse non potest, *Qui nõ est baptizatus*, vt dicitur in can. *In baptismate*, De consecrat. d. 4. Ex quo patet Cathecumenum, quamuis fidelis sit, non posse esse susceptorem, quia non est baptizatus. Hęreticum vero baptizatum, quamuis textus

non

non excludat; ait tamen Mag. Soto in 4. d.4. q.vnica, art.5. non debere in susceptorem admitti. Si tamen admittatur, cognationem spiritualem contrahere dicit Glossa in can *Peruenit*, 30 q.1.


Secundò, *Non licet Abbati, vel Monacho de baptismo suscipere filios*, vt dicitur in can. *Non licet*, De consecrat. dist.4. & idem dicitur can.seq. & can.*Placuit*, 16.qu.1. & can. *Peruenit*, 18. q.2. existimatque Mag. Soto vbi supra, forte peccatum mortale esse oppositum facere. An vero contrahat Monachus cognationem spiritualem, non conueniunt omnes. Quidam negant, quia nō est legitimus susceptor, sicut nec non baptizatus. Alij affirmant, quia verus susceptor est, nam quamuis factum prohibeatur, non tamen irritatur Monachorum autem nomine quidam dicunt non comprehendi Religiosos mendicantes, qui etiā alijs erudiendis vacant. Sed puto nec his etiam permitti susceptores esse, nisi forte in sæcularium defectum, & de licentia suorum Prælatorum.

Tertiò, parentes nequeunt esse susceptores, seu patrini, vt colligitur ex can. *Peruenit*, 30. q.1. Quod intelligendum est iuxta doctrinam D.Thom. art. seq. *Nisi necessitas contrarium exigat*. Vnde in necessitate vbi alius non potest haberi, parentes susceptores esse possunt. In quo casu non impedirentur à petendo debito, sicut impediuntur, quando sine necessitate id faciunt, vt constat ex dicto can *Peruenit*. Vxorem simul

simul cum marito filium alterius in baptismate suscipere, *Nulla auctoritate reperitur prohibitum*, vt dicitur in can. *Quod autem*, 30.q.4. Subditur tamen ibi: *Sed dignum esse decernimus, vt vtrique in simul ad hoc aspirare minimè præsumant*. Quod præterea quidam veniale peccatum esse existimant. Alij nullũ peccatum esse dicunt, sed solum minus decens.

Notandum est etiam, quod statuit Conc. Trid. sess. 24. c. 2. De reformat. Matrimonij: *Vt vnus tantum siue vir, siue mulier, iuxta Sacrorum Canonum instituta, vel ad summũ vnus & vna baptizatum de baptismo suscipient, &c. Si Parochi culpa, vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio ordinarij puniantur*. Ex quo rectè colligunt aliqui, duos viros etiam solos, aut duas mulieres etiam solas non posse esse susceptores. Alij colligunt, Parochum contra hoc decretum facientem peccare mortaliter. Nonnulli tamen solum venialiter peccare existimant.

Circa art. 8. nihil se offert dicendum.



QVAE-

QVÆSTIO LXVIII.

De suscipientibus Baptismum.

ARTICVLVS I.

Vtrum omnes teneantur ad susceptionem baptismi.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An de baptismi susceptione sit diuinum præceptum obligans omnes.

PArtem negantem tenuerunt Manichei qui vt refert S August.lib.de hæresibus cap.46.*Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis afferre, nec quamquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant.* Eandem etiam tenuit Vviclef, vt refert Vvaldensis tom.2. de Sacram. cap.101. Probat, si tale præceptum esset, maximè colligeretur ex verbis illis Ioan.3. v.5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei.* Sed ex his non colligitur, alias enim ex tunc omnes ad baptismum

su-

suscipiendum obligarentur, quod est falsũ; ergo &c.

Dicendum tamen est: de baptismi susceptione esse diuinum præceptum obligans omnes. Docet hoc D.Thom. hic concludens: *Vnde manifestum est, quod omnes ad baptismum tenentur.* Quod nonnulli non solũ de omnibus adultis, sed etiam de paruulis intelligendum esse putant: nam quamuis paruuli ob defectum ætatis excusentur, vera tamen lege, ac præcepto baptismi obligari dicunt, eodem modo, quo inuincibiliter ignorantes legem illa obligantur, licet ab eius trasgressione excusentur. Sed Mag. Soto in 4.d.5.q.vnica, ar.1. parum post initium oppositum docet, de paruulo enim ait: *Sine Sacramento gratiam non consequitur, licet illi ante vsum rationis non sit in præcepto.* Non videtur enim esse capax obligationis præcepti huius sicut nec aliorum.

Secundò probatur cum D.Thom. hic in argum. *Sed contra*, ex verbis Christi Ioan. 3.vers.5. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* In illis enim legitimam formam præcepti contineri, colligitur: nam sub simili forma multa præcepta ponuntur Leuit.20.v. namque 8. dicitur, *Custodite præcepta mea*, & v.9. primum ponitur sub hac forma, *Qui maledixerit patri, aut matri, morte moriatur.* Similis autem forma seruetur in prædictis verbis Christi: nam idem est, ac si diceretur, Qui non fuerit renatus, &c. excludetur à regno Dei: Vide quæ diximus 1.2.q.96. ar 4.dub. 2. con 2. Et quamuis in prædictis verbis nulla

nulla esset forma præcepti, sed solum simplex assertio necessitatis baptismi, adhuc ex illis colligeretur præceptum de susceptione illius, vt patebit ratione sequenti.

Tertiò probatur ratione D. Tho. in corp. art. At illud homines tenentur, sine quo salutem consequi non possunt: sed sine baptismo non potest esse salus hominibus; ergo, &c. Maior intelligẽda est de illo, quod est in hominum potestate: quod enim tale non est, etiam si absque illo homines consequi nõ possint salutem, qualis est passio Christi, ad illud homines non tenentur, sed solum est necessarium necessitate medij, & finis: nam præcepta dantur de actibus virtutum, qui sunt in nostra potestate. Minor vero probatur: Tum ex verbis Christi, nam vt dicitur in Conc. Florent. in litteris vnionis: *Nisi ex aqua, & spiritu renascamur non possumus (inquit veritas) in regnum cœlorum introire*. Tum etiam ex Conc. Trident. sess. 7. can. 5. de baptismo, vbi diffinitur: *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit*. Tum denique ratione D. Thom. nullus potest salutem consequi nisi per Christum: Sed per baptismum homines regenerati incorporantur Christo, & fiunt membra ipsius; ergo sine ipso, non potest esse salus hominibus, saltem in voto suscepto. Et hoc sufficit, vt ad realem susceptionem illius homines teneantur: nam ad hanc tale votum ordinatur, & ideo est necessarium, quia

quia realis susceptio, si haberi potest, est necessaria ad salutem. Vnde hic ad 3. ait D.Thom. *Si aliqui nunc sanctificarentur in vtero, necesse esset eos baptizari, vt per susceptionem characteris alijs membris Christi conformarentur.*

Ad argumentum autem hæreticorum respondetur, colligi etiam tale præceptum ex alijs locis, vt ostendit Mag. Soto vbi supra; maximè tamen ex loco citato in argumento, vnde neganda est minor. Ad probationem negandum est, ex tunc præceptum illud obligasse: nam præcepta non obligant ante sufficientem promulgationem. Quæ promulgatio, licet prædicatione Christi fuerit facta, non tamen fuit completa, & sufficiens ante mortem Christi, in qua dicente Domino, *Consummatum est*, lex vetus cessauit, & noua obligare cepit, vt diximus 1.2. q. 103. art.3. Ex quo inferas ex tunc solo baptismo à peccato originali fuisse mundatos, ac iustificatos infantes; respondemus ibi art.4. quosdam id concedere; alijs verò hoc nimis rigidum videri. Contra quos non obstat, quod ait Concil. Trident. sess. 6. cap.4. loquens de translatione impij ad gratiam: *Quæ translatio post promulgatum Euangelium sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest.* Nam ibi non loquitur Concilium de promulgatione, quæ requirebatur, vt lex Euangelica obligaret, & lex vetus mortua esset, sed de ea, quæ sufficeret, vt in omnium

no-

notitiam lex Euangelica veniret per prædicationem Apostolorum, & lex vetus mortifera esset.

ARTICVLVS II.

Vtrum sine Baptismo aliquis possit saluari.

Conclusio est affirmans.

SErmo hic est de baptismo actuali, & in re suscepto; sine illo enim posse aliquem saluari cũ solo voto, ac desiderio illius procedente ex fide per dilectionẽ operante constat. Si vero loquamur de baptismo suscepto, aut in re, aut in voto certum est, nullum adultum vsum rationis habentem posse sine illo saluari. An verò ad salutem sufficiat votum implicitum baptismi, constabit ex his, quæ diximus 2. 2. q. 2. art. 7. de fide Christi explicita. Vide ibi.

De paruulis dictum est q. præd. artic. 12 saluare posse per martyrium, etiam si baptismum, aut eius votum habere nequeũt. An vero saluari possint per Sacramentum Baptismi non in re, nec in voto proprio, sed in voto parentum suscepto cum aliqua benedictione prolis, seu oblatione ipsius ad eum cum inuocatione Trinitatis, difficultas est. In qua Caietanus hic de paruulis

lis iam natis, & art. 11. de paruulis in maternis vteris existentibus, & periclitantibus, partem affirmantem tenet, & probat: quia rationabile est, vt diuina misericordia prouiderit homini in quocumque naturali statu de aliquo remedio salutis: & cum Christus dicat Ioan.10.v.10 *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant*: & constat in lege veteri ita fuisse datam circumcisionem in remedium necessarium paruulorum, vt si casu aliquo eis applicari non posset, per Sacramentum, seu remedium legis naturæ, applicando scilicet eis fidem Christi aliquo signo externo, aut oblatione ipsorum ad Deum illis subueniri posset; id ipsum sufficere in lege gratiæ credendum est.

Hanc tamen sententiam latè impugnant Mag.Soto in 4. d.5. q.vnica, art.2. & alij, illamque vt minimum temerariam, & errori proximam esse dicunt, proptereaque merito iussu Pij V. fuisse expunctam à Cõmentarijs D.Thom. in Romana impressione. Vnde illam defendere non auderem; quamuis viderim nonnullos eam probabilem esse affirmantes: tum ob rationem factam, quæ magni erat ponderis apud illos: tum etiam, quia loca Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quæ contra illam afferri solent, explicari possiunt de baptismo suscepto in re, vel in voto, aut proprio in his, qui illud habere possunt, quales sunt adulti, aut parentum in his, qui proprium habere nequeunt, quales sunt paruuli. Sed quidquid

sit

fit de censura, hæc opinio est contra Diu. Thom. infra quæst. 73 artic 3. & in quarto, distinctione 4. quæst. 3. art. 3. quæstiuncula 2. ad 3. & quodlib. 6. art. 4. vbi sic habet: *In pueris nondum habentibus vsum rationis non potest esse motus fidei, & dilectionis, aut propositum suscipiendi baptismum: & ideò non possunt saluari nisi per baptismum aquæ, vel per baptismum sanguinis, si propter Christum occidantur.* Et hoc nobis sufficit: alia enim videri poterunt apud Magist. Soto vbi supra.

Ad argumentum autem factum pro sententia Caietan. respondetur, illud iam fuisse propositum, & solutum à Diu. Thom. quodlibet. 6. artic. quarto, citat. quamuis enim in lege veteri paruulis, qui circumcidi non poterant, subueniri posset per remedium legis naturę; si tamen hoc remedium consistebat in aliqua protestatione exteriori fidei per aliquod sensibile signum, inquit Sanctus Doctor, *Nihil differebat id, quod tunc requirabatur, ab eo, quod nunc requiritur ad salutem*, quantum scilicet ad facilitatem applicandi illud paruulis: nam baptismus, tam facilè applicari potest illis, quam quodcumque aliud signum sensibile, quod requirebatur in lege naturæ: vnde casus, in quo paruulus baptizari non potest, rarisimus est, & tunc etiam accidere poterat casus, in quo applicari non posset signum sensibile, quod ad salutem requirebatur, quantum-

uis esset indeterminatum. Et quamuis quantum ad hoc aliqua esset differentia; quia tamen, inquit Diu. Thom. *Qui nunc saluantur per Christum, statim introducuntur in regnum cœlorum, quod tunc non erat, non est inconueniens, si ad hoc amplius requiratur, scilicet Baptismus.* Cum enim per apertionem ianuæ vitæ æternæ augmentetur gradus salutis, & homines vitam abundantius habeant, non mirum si nunc requiratur aliquid, quod est aliquantulum difficilius applicari. Quod attinet verò ad paruulos in maternis vteris existentes, non est singulare legis nouæ, non posse saluari, si ibi moriantur: quia sanctificatio, quæ interdum facta est in aliquibus, semper existimata est fieri ex priuilegio speciali, ex quo etiam nunc fieri potest, vt ait D. Tho. hic a. 11. ad 1.



A R-

ARTICVLVS III.

Vtrum Baptismus sit differendus.

Conclusio est negans.

Dubium. An differre Baptismum sit peccatum mortale.

MAg. Soto in 4. dist. 5. q. vnica, art 3. dicit mortaliter peccare parentes, qui baptismum filiorum recenter natorum differunt vltra octauum, aut ad summum duodecimũ diem: quia mandatum ipsum baptismo adiuncto iure naturæ, quo vnusquisque suos liberos, & eos, quos sub cura sua alit, educare, instituereque tenetur, & in viam salutis dirigere, vniuersos mortales constringit, vt eosdem, qui sub sua tutela degunt, illo Sacramento intingant, sine quo salus esse non potest, hocque cito, & non vltra prædictum tempus; alias enim exponerent illos periculo damnationis, quã incurrerent, si absque Baptismo morerentur.

De adultis verò non baptizatis, subdit, peccare etiam mortaliter contra ius diuinum, si postquam nacti fuerint opportunitatem, baptismum nõ susceperint, sed absque vlla causa diutius distulerint illum su-

ſcipere. Probat: Tum quia S. Chryſoſt. hom. 1. ſuper Acta Apoſt. grauiter reprehendit eos, qui baptizari vſque ad finem vitæ differebant. Tum etiam, quia ſine baptiſmo alia Sacramenta ſuſcipere non poſſumus; ergo ne illorum beneficio fruſtremur, in primæua ætate charactere chriſtiano inſigniri debemus.

Dicendum tamen eſt 1. Laudabilius eſſe pueros baptizare ante adultam ætatem; non tamen eſſe peccatum mortale contra ius diuinum illorum batiſmum differre vſque ad talem ætatem, ſed ſolum contra ius Eccleſiaſticum, vbi eſt conſuetudo illos recenter natos baptizare.

Primam partem docet D. Thom. in 4. diſt. 4. quæſt. 3. art. 1. quæſtiunc. 2. dicens: *Magis laudabile eſt, quod pueri, quam citius poterint, baptizentur, commodè, non expectata perfecta ætate.* Quod probat tribus rationibus, quarum prima eſt: Quia propter imbecillitatem naturæ de facili mori poſſunt, & damnari: vnde vt damnationis periculum euitetur, debent baptiſmo præueniri.

Secundam partem docent, quam plures ex recentioribus, & probant: nam extra caſum neceſſitatis, in quo infans ſit in probabili mortis periculo, nullum extat diuinum præceptum, quod obliget ad baptizandos infantes ante vſum rationis: neque enim ſcriptura, vel traditione oſtendi poteſt de hac re tale præceptum: quotidiana autem neceſſitas, & periculum, quod eſt in

illa

illa tenera ætate, conuincit quidem, rem esse valde conuenientem, & magis laudabilem, vt patet ex ratione D.Thom. pro prima parte conclusionis à nobis adducta: non tamen esse simpliciter necessariam, cũ illud periculum sit satis remotum, & ei ob facilitatem baptismi facile posśit occurri.

Secundò probatur, nam D.Thom. quãuis hic dicat, non esse differendum baptismum paruulorum, nullibi tamen dixit, illum differre esse peccatum mortale, quin potius, vbi supra afferens esse magis laudabile non differre, significare videtur, differre solum esse minus laudabile, & non peccatum mortale attento solo iure diuino.

Tertiò, quia alias condemnare deberemus multos, vt transgressores diuini præcepti, qui olim filios suos non statim baptizabant: quamuis enim falsissimum sit, quod dixit Ludouic. Viues in c.27. lib.1. de Ciuit. Dei, olim neminem consueuisse baptizari, nisi adulta ętate, & qui per se peteret baptismum, negari tamen non potest, aliquos non nisi ea ætate fuisse baptizatos, vt patet in S. Ambr. cuius parentes fideles erant, & eos condemnare durũ videtur.

Tertiam partem docent prædicti recentiores, & probant: nam quamuis de hac re nullum sit ius canonicum scriptum; tamen recepta Ecclesiæ consuetudo sufficiẽs videtur ad hoc ius introducendum. An verò hæc consuetudo sit totius Ecclesiæ mihi non constat, sed si verum est, quod fama sparsit, Ludouicum XIII. Galliæ Re-

gem morti proximum pręcepiſſe baptizari Delphinum filium ſuum ſucceſſorem, qui tunc iam ſeptem, vel octo annos compleuerat, ſuſpicor in Gallia talem conſuetudinem non extare; propter quod dixi in concluſ. vbi eſt conſuetudo. Olim non fuiſſe talem conſuetudinem ſufficientem ad conſtituendum ius canonicum omnes fideles obligans, videtur; alias multos tanquam reos peccati mortalis condemnare deberemus, contra ea, quæ diximus in 2. parte con. Nam quamuis S. Auguſt. lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 23. dicat: *Conſuetudo matris Eccleſiæ in baptizandis paruulis nequaquam ſpernenda eſt, neque vllo modo ſuperflua deputanda, nec omnia credenda, niſi apoſtolica eſſet traditio.* Illa tamen conſuetudo non fuit inducta in vi præcepti, & cũ intentione obligandi (quod requiri, vt cõſuetudo vim legis habeat, diximus 1. 2. q. 97. art. 3. dubio vnico, con. 2.) ſed in modum conſilij. Modo verò, ſi non in tota Eccleſia; in pluribus tamen eius partibus ita inualuit, vt vix ſit aliquis, qui audeat negare præceptum, & ſi non obſeruetur ab aliquo fideles ſcandalizantur. Et vbi talis conſuetudo eſt in Hiſpania, veram eſſe exiſtimo ſententiam Mag. Soto relatam in principio dubij, qui & addit: *Triam quatuor ve dierum dilatio* (vltra conſuetus ſcilicet dies) *delictum non affert.* Quod intelligendum eſt, niſi forte lege aliqua pręcipiatur maximè ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, conſuetudinem octo, vel duodecim

eim dierum strictè obseruari, & vltra hos dies baptismum paruulorum non differri.

Dicendum est secundò. Adultis non baptizatis etiam sufficienter instructis,& idoneis, nisi periculum mortis immineat, nõ esse iure diuino determinatum tempus, vltra quod, si baptismum different, peccent mortaliter: teneri tamen sub mortali baptismum non differre vsque ad mortem, & a te illam non differre, eum per multum tempus voluntarie, & absque sufficienti ratione. Primam partem docet D. Thom. in 4 d. 17 q. 3. art. 1. quæstiuncula 4. vbi sic habet: *Ad baptismum percipiendum non tenetur aliquis statim, postquam habet propositum baptismi, ita quod peccet mortaliter, nisi statim baptizetur: nec est aliquod tempus determinatum, vltra quod, si baptismum differat, peccatum mortale incurrat, &c. Si periculum mortis immineat etiam per se loquendo obligatur aliquis ad baptismum suscipiendum.*

Secundò probatur, nam quod est huiusmodi tempus? Si dicas esse primam opportunitatem, & occasionem, qua possunt commodè baptismum recipere. Contra hoc est, quod loco proximè citato: ait D. Thom. *Præcepta affirmatiua non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum, non quidẽ ex hoc, quod tunc commodè impleri possunt, quia sic, si nõ daret aliquis eleemosynam de superfluo, quandocumque pauper offertur, peccaret mortaliter, quod falsum est; sed ex hoc, quod tempus necessitatem vrgentem adducit.* Ergo cum præceptum suscipiendi baptismum sit af-

firmatiuum, non obligat quam primum commodè recipi potest (sicut nec præceptum diuinum confessionis sacramentalis, de quo ibi agit D. Thom. obligat statim oblata oportunitate) sed quando tempus necessitatem vrgentem adducit, quale est de quo loquitur 2. & 3. pars con.

Secundam partem probant argumenta Mag. Soto in principio huius dubij adducta, præsertim auctoritas S. Chrysost. qui hom. 1. in Act. Apost. circa finem sic habet: *Nec tempus expectemus, ne quando fiat, vt dum cunctamur, & recrastinamus, discedamus hinc inanes vacuique tantis bonis*. Et hom. 13 ad Hebreos in morali, & refertur can. *Quando quis*, De consecrat d. 4. ait: *Multos noui, qui hoc passi sunt, qui spe baptismatis multa peccabant: circa diem autem mortis discesserunt vacui*.

Secundò, nolle regenerari in Christo, & fieri membrum Ecclesiæ, & capacem aliorum sacramentorum toto vitæ tempore vsque ad mortem, peccatum mortale est, cum sit contra propriam charitatem, qua tenetur homo consulere suæ saluti, & tam magna bona non respuere, & non expectare tempus, in quo incertum est, an illa cōsequatur, quale est tempus mortis; ergo cum baptismus hæc bona præstet tempus vitæ ante mortis articulum vrgentem eius necessitatem adducit, sicque ad illum suscipiendum hoc tempore præceptum eius obligat.

Tertiam partem asserit Caiet. hic dicēs: Si

Si sine rectæ rationis arbitrio dilatio voluntaria sit, peccatum incurritur. Probatur eodem modo quo secunda pars: Longum enim tempus necessitatem vrgentem baptismi adducit. Est tamen differentia inter longum tempus, & tempus totius vitæ vsque ad mortem: nam dilatio baptismi toto hoc vitæ tempore rectè rationis arbitrium non admittit: dilationis vero per aliquod tempus etiam longum sufficiens ratio esse potest, cum constet Sanct. Martinum, & Ambrosium, longo tempore baptizari distulisse, & credendum non sit hoc absque sufficiente causa, & ratione fecisse. Vnde rectè infert Caietan. hic: *Potest ergo tandiu differre quis proprium baptismum, quandiu rationabiliter ad differendum mouetur.*

Dicendum est tertiò. Peccatum esse in eo, qui sufficienter instructus, & idoneus est, vltra tempus institutum ab Ecclesia differre susceptionem baptismi, nisi ex causa necessaria, & licentia Prælatorum Ecclesiæ. Docet hoc D. Thom. hic dicens: *Peccat autem si vltra tempus institutum ab Ecclesia differat accipere baptismum, nisi ex causa necessaria, & licentia Prælatorum Ecclesiæ.* Caietanus hic dicit se non inuenire in iure positiuo scripto tempus aliquod præfixum esse, gestaque Sanctorum præfixum non esse testari. Sed D. Thom. præfixum esse videtur supponere tempore Leonis Papæ, qui edidit can. *Duo tempora*, De consecrat. dist. 4. Sancti verò Martinus, & Ambrosius

Leonem multis annis præcesserunt, post quos potuit lex institui, præcipiens, vt petentes baptismum non differant illum vltra illa duo tempora, si essent plenè instructi, & idonei.

Quomodo autem his, qui baptismum petebant id præcipi potuerit, difficultate non caret, *Cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsum per baptismi ianuam fuerit ingressus*, vt dicitur in Conc. Trident. Sess. 14. cap. 2. Sed explicari potest: nam vt ait D. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. quæstiuncula 1. *Aliquis per hoc quod baptismum petit, se ministris Ecclesiæ subijcit, ad quos pertinet dispensatio sacramenti*. Habet ergo Ecclesia potestatem illi præcipiendi, vt certo tempore baptismum recipiat, sicut, & vt seruet alios ritus, & cæremonias ab ea institutos: non secus, ac iudex arbiter potestatem habet in eos, qui se ipsos illi subiecerunt, iudicium exercendi, eisque præcipiendi, quæ ad sententiã ferendam necessaria sunt, de quo vide, quę diximus 2. 2. quæst. 67. art. 1. dubio vnico. Vnde Mag. Sotò in 4. dist. 5. quæst. vnica, art. 3. ait: *Ex pacto quod petentes Baptismum cum Ecclesia ineunt, iure ipso naturæ, & gentium perstringuntur stato tempore Ecclesiæ Sacramentum suscipere, nisi iudicio eiusdem Ecclesiæ tempus illud præuenire, vel dilatare expedierit*. Ex quo si inferas, posse Ecclesiam punire Cathecumenum à fide retrocedentem, illumque ad baptismum cogere. Respondetur id negando, nam sicut iudex

ar-

arbiter, si reuocetur ab his, qui se illi subiecerunt, non potest eos punire, nec cogere, vt sententiæ, quam tulerit, pareant: ita nec Ecclesia punire potest prædictum cathecumenum, nec ad baptismum cogere; eo enim ipso, ac retrocedit à fide, desinit petere baptismum, sicque se Ecclesiæ subijcere. Dum tamen baptismum petit, in Ecclesiæ subiectione perseuerat, sicque Ecclesia potest illi præcipere, vt stato tempore baptismum suscipiat.

Aduertit autem Mag. Soto vbi supra, illorum Temporum obseruationem, iam exoleuisse. At tamen si in nouo orbe, vel alibi, vbi fides nunc primo diuulgaretur, ritus duorum temporum obseruaretur, eadem lex rigorem obtineret; vt eorum transgressio peccatum esset mortale. *Nunc autem, qui baptismum peteret, seruare teneretur tempus, quod Ecclesia illi constitueret.*

Circa articulum 4. 5. & 6. nihil se offert dicendum.



ARTICVLVS VII.

Vtrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi Sacramentum Baptismi.

Conclusio est affirmans.

Dubium. *An ex parte baptizati ita necessaria sit intentio recipiendi Baptismum, vt si illa desit, baptismus sit nullus.*

DE hac re Cietan. hic tres refert sententias. Prima est, tam in adultis, quàm in paruulis requiri consensum, voluntatem, ac intentionem recipiendi baptismum. Secunda est, nec in paruulis, nec in adultis exigi per se loquendo, sed solum per accidens in adultis, in quibus fuit contraria voluntas. Tertia est, in paruulis non requiri, in adultis verò exigi.

Prima sententia, quæ est Durandi, non loquitur de voluntate propria, sed de aliena, scilicet parentum, quæ fit interpretatiua voluntatis paruulorum, contra quam agemus art. 10.

Secundam sententiam eligit Caietan. illamque D.Thom. esse dicit in 4. dist 6.q.1. art.2. quæstiuncula 3. & probat 1. ex cap.

Maio-

Maiores, De Baptiſmo; in cuius fine ait Innocentius: *Tunc ergo characterem ſacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit obſiſtentem*. Ergo ſi in adulto non inuenit voluntatem contrariã, etiam ſi non inueniat intentionem recipiendi ſacramentum, quia neuter, & merè negatiuè ſe habens baptizatur, characterem in eo imprimit, ſicque verus eſt baptiſmus.

Secundò, quod non eſt de ratione Sacramenti in vno, non eſt de ratione ſacramenti in alio: ſed in paruulis intentio, & voluntas ſuſcipiendi baptiſmum non eſt de ratione Sacramenti; ergo nec in adultis.

Tertiam ſententiam eligit Mag. Soto in 4. d.5. q.vnica, art. 7. illamque dicit eſſe D.Thom. hic, & probat 1. ex can. *Cum pro paruulis*, De conſecrat d.4 vbi dicitur: *Cum pro paruulis alij reſpondent, vt impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet vtique ad eorum conſecrationem: quia ipſi pro ſe reſpondere non poſſunt. At ſi pro eo, qui poteſt reſpondere, alius reſpondeat, non itidem valet*. Sed hoc non eſt, niſi quia non conſtat de illius voluntate; ergo voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum ad eius valorem in adultis requiritur.

Secundò, ſi ille, qui nec aſſentiens, nec diſſentiens baptizaretur, verum ſacramentum ſuſciperet, ſequeretur, illum abſque eius conſenſu poſſe ab Eccleſia compelli

ad

ad christianam fidem seruandam: sed hoc est falsum; ergo, &c.

Dicendum tamen est: Vtramque opinionem esse probabilem. Iuxta opinionem Caietani conclusio huius articuli intelligenda est, talem intentionem requiri per accidens, ad remouendum scilicet contrariam voluntatem baptismum prohibētem, quæ in adultis esse potest. Si tamen nulla fuerit voluntas contraria, non suscipiendi scilicet baptismum, hoc sufficit, vt sacramentalis operatio imprimat characterem. Quod etiam dicitur ad 1. *In iustificatione, quæ fit per baptismum non est passio coacta, sed voluntaria*, ostendit requiri voluntatem, & intentionem, vt adultus per baptismum iustificetur, non tamen vt præcisè recipiat characterem. Quod denique dicitur ad 2. *Si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus*, intelligendum est, si deesset talis intentio per contrariam voluntatem.

Ad can. *Cum pro paruulis*, responderi potest intelligendum esse, vt ibi Glossa exponit: *Quo ad præsumptionem*: quia præsumi potest contrariam habere voluntatem. Vel non valere, quo ad cæremonialia; ritus enim ille interrogandi, & respondendi ad cæremoniam pertinet.

Ad rationem Mag. Soto dici potest, non esse inconueniens asserere, illum cogi posse ab Ecclesia ad fidem seruandum: quia licet ad hoc cogi non possit, qui contrariam volun-

luntatem habens baptizatur, vt colligitur ex cap. *Maiores*, de baptismo; bene tamen qui baptizatur non habens contrariam voluntatem, vt patet in his, qui baptizantur in pueritia, qui licet tunc non habuerint intentionem suscipiendi baptismum; quia tamen nec habuerunt contrariam voluntatem cogi possunt ad seruandam fidem, cum perueniunt ad adultam ætatem, & habent vsum rationis Caiet. tamen ait illum non esse cogendum ad christitnitatem, quia nunquam consensit.

Iuxta secundam sententiam, Mag. Soto, quæ communior est, dici potest D. Thom. loco cit. ex 4. sentent. nequaquam opinionem Caiet. docuisse. Solum enim ait intentionem ex parte recipientis non requiri, vt aliquid causans, hoc est concurrens actiuè ad sacramentum, sed tantum, vt impedimentum remouens contrariam scilicet voluntatem: non quidem necessario, quæ fuit, sed quæ potuit esse; ex sua enim natura habet talis intentio remouere contrariā voluntatem impedientem baptismi susceptionem. Vnde quia in adultis potest esse contraria voluntas, in paruulis verò nequaquam, subdit S. D. in paruulis non requiri intentionem suscipiendi sacramentum, vt illud suscipiant; in adultis tamen requiri, quod per se intelligendum est, cum posse habere contrariam voluntatem per se conueniat adultis.

Ad auctoritatem Innocentij III respon-deri potest, sensum illius ex præcedentibus

col.

colligi diuersum esse ab eo, in quo illum intelligit Caiet. nam Pontifex præmiserat, dormientes, & amentes, quando baptizātur, characterem suscipere, *Si prius habuissent propositum baptizandi*. Vnde cum subdit verba prædicta, nota illationis *Ergo*, indicat sensum esse, sacramentalem operationem imprimere characterem, cum non inuenit obsistentem obicem voluntatis cōtrariæ ratione propositi præcedentis, quo virtualiter permanente talis obex aufertur. idemque proinde est, ac si diceret, cum inuenit obicem remotum per propositum recipiendi baptismum, quod saltem in virtute remanet.

Ad rationem Caiet. responderi potest negando minorem: nam cum susceptio baptismi sit nouæ vitæ inceptio, requirit, vt vbi esse potest sit, si non actus humanus, saltem passio voluntaria. Et quia in adultis potest esse huiusmodi, nam etiā si dormientes baptizentur, susceptio baptismi, licet non sit actus humanus, potest esse passio voluntaria ob propositum præcedēs; ideo in illis intentio suscipiendi baptismū est de necessitate Sacramenti per se loquēdo: in paruulis verò non est de ratione Sacramenti, quia in illis susceptio baptismi, nec actus humanus, nec passio voluntaria esse potest.

Circa art. 8. nihil se offert dicendum.

AR.

ARTICVLVS IX.

Vtrum pueri sint baptizandi.

Conclusio est affirmans.

OPpositum huius multi docuerunt hæretici, nostro sæculo Anabatistæ, tẽpore S. Bernardi alij, de quibus ipse ait ser. 66. in cant. *Irrident nos, quia baptizamus infantes*, & tempore S August. alij, contra quos diffinitum est in Conc. Milleuit. 2. can. 2. *Placuit, vt quicumque paruulos recentes ab vteris matrum batizandos negat, anathema sit*. Idem contra hęreticos nostri temporis diffinitur in Conc. Trid. sess. 7. can. 13. & sess 5. in Decreto de peccato originali. Vnde rectè ait D. Thom. in 4. d. 4. quæst 3. art. 1. quæstiuncula 1. *Diuinę misericordia contradicit, qui negat baptismum paruulis posse exhiberi, & propter hoc hæreticum est hoc dicere.*



ARTICVLVS X.

Vtrum pueri Iudæorum, vel aliorum infidelium ſint inuitis parentibus baptizandi.

Concluſio eſt negans.

Dubium. An ſit licitum pueros infidelium inuitis parentibus baptizare.

PArs affirmans probatur 1. Licitum eſt voluntatem ſuperioris facere inuito inferiore, vt voluntatem Regis inuito Prætore: ſed voluntas Dei Regis Regum eſt, vt infantes omnes baptizentur; ergo inuitis eorum parentibus poſſunt licitè baptizari.

Secundò, parentes nolentes baptizari filios ſuos abutuntur iure ſuo, & contra ius diuinum faciunt, non minus quam ſi vellent eos occidere, aut idolis immolare, filijſque ſuis maximam iniuriam irrogant, & maximum inferunt nocumentum; ergo poſſunt ſaltem per publicam poteſtatem priuari iure ſuo.

Tertiò, multi ex infidelibus ſunt ſerui chriſtianorum; ergo poſſunt ipſis inuitis eorum filij auferri, & ab eorum cura ſemoueri, ſicque ſeparati baptizari. Probatur

con-

consequentia,quia filij seruorum sunt serui, & in potestate dominorum, à quibus possunt vendi, & cui voluerint donari, sicque à cura parentum semoueri, ita autem separati cur non poterunt baptizari?

Dicendum tamen est 1 Pueros baptizatos contra voluntatem quorumcumque parentum verè, ac validè baptizatos esse. Oppositum huius tenent Durandus in 4. d.4. q.7. num.9. & sequentib. & alij. Sed nostram conclusionem, vt notat Caietan. supponit D. Thom. hic dicens, periculosum esse filios infidelium taliter baptizare: *Quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem effectum ad parentes*. Nisi enim verè baptismum susciperent, & cum illo fidem, quomodo ad infidelitatem, quam nunquam dimiserunt, redirent? Nec obstat quod præmiserat S. Doctor: *Contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri inuitis parentibus baptizarentur, sicut etiam si aliquis habens vsum rationis baptizaretur inuitus*. Responderur enim, hinc non rectè inferri, baptismum paruuli baptizati inuitis parentibus nullum esse, sicut nullus est baptismus habentis vsum rationis, si baptizatur inuitus: nam quamuis in vtroque casu fiat iniustitia, in primo quidem paruuli parentibus, in secundo ipsi baptizato inuito; iniustitia tamen non tollit valorem baptismi, sed solum obex voluntatis contrariæ, qui non in primo, sed solum in secundo casu inuenitur in taliter baptizatis. Non obstat etiam, quod ait idem D.Thom. art. præced-

ad 1. etiam in paruulis requiri intentionem suscipiendi baptismum, non quidem per actum proprium, *Sed per actum eorum à quibus offeruntur*. Respondetur namque, illos, à quibus offeruntur, posse non esse parentes. Et quamuis pueri baptizantur inuitis parentibus infidelibus, possit nullus esse qui offerat eos baptismo: vt tamen ibi ait Caiet. oblatio eorum, qui pro paruulis dicunt velle baptizari, sicut & qui dicunt credere, solum requiritur ad solemnitatem baptismi, sicque sine illa baptismus factus valet.

Probatur deinde conclusio, ex parte baptizati nõ magis requiritur intentio ad recipiendum baptismum, quam fides ad recipiendum effectum baptismi: sed si parentes infideles vellent quidem puerum baptizari, nollent tamen, vt crederet, quod credit Ecclesia, sed quod credit aliqua hæreticorum secta, hoc non obesset paruulo ad accipiendum effectum baptismi; ergo etiam si nollent puerum baptizari, hoc nõ obesset puero ad recipiendum verum baptismum: vtrumque enim est, quid extrinsecum, & nolitio aliena. quæ paruulo obesse nequit. Confirmatur, nam vt optimè ait: Caiet. hic ar. 7. §. *His excursis* voluntas parentum solum se habet, vt approximans passum ad agens, baptizandum scilicet ad baptizantem; ergo non est necessaria, cum possit aliunde suppleri nempe ex approximatione agentis ad patiens, baptizantis scilicet ad baptizandum.

Di-

Dicendum est 2. Non esse licitum, pueros infidelium nondum habentes vsum liberi arbitrij inuitis parentibus baptizare, etiam si filij sint seruorum infidelium. Primam partem negat Scotus in 4. d. 4. quæst. vltima: illam tamen docet D. Thom. hic, & 2. 2. q. 10. artic. 12. vbi eam probat 1. ex Ecclesiæ vsu, & consuetudine: *Hoc Ecclesiæ vsus numquam habuit, quod Iudæorum filij inuitis parentibus baptizentur.*

Secundò probat duabus rationibus, quibus hic vtitur. *Vna quidem propter periculũ fidei. Si enim pueri nondum vsum rationis habentes baptismum susciperent, postmodum cum ad perfectam ætatem peruenirent, de facili possent à parentibus induci, vt relinquerent, quod ignorantes susceperunt, quod vergeret in fidei detrimentum. Alia vero ratio est, quia repugnat iustitiæ naturali. Filius enim naturaliter est aliquid patris, &c. Vnde contra iustitiam naturalem esset, si puer antequam habeat vsum rationis à cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur inuitis parentibus.* Respondet Scotus suam sententiam intelligẽdam esse, dum tamen pueri separentur a parentibus, & curetur, vt nutriantur religiosè. Sed hoc non euacuat vim rationum D. Th. nam eodem modo esset licitum pueros infidelium non habentes vsum rationis baptizare inuitis parentibus, quo & filios eorundem infidelium, iam habentes vsum rationis, & petentes baptismum, cum hos etiam oporteat separare à parentibus, vt constat ex decreto Concil. Toletani 4. quod re-

refertur can. *Iudaeorum*, 28. q. 1. *Iudaeorum filios, vel filias, ne parentum vltra inuoluantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus*. Praeterea cum filius naturaliter sit aliquid patris, naturalique iure sit sub patris cura, dum vsu rationis caret (postea enim vsum rationis habens iam incipit esse suus,) sicut non licet alia bona patri auferre, ita nec filios ab eis separare. Et sicut contra iustitiam naturalem esset, patrem inuitum baptizare, etiam separando illum à consortio aliorum infidelium: ita & baptizare filiú contra voluntatem patris, etiā si ab eo separaretur: quia sicut adultus naturaliter suae curae commissus est, ita & puer naturaliter commissus est curae parentum.

Aduertendum tamen est 1. quod in cap. *Ex literis*, De conuersione infidelium, decreuit Greg. IX. Si ex parentibus infidelibus vir ad fidem conuertatur, & vxor in infidelitate parmaneat, filium patre consentiente baptizandum esse, etiam si mater infidelis renuat, ait namque Pontifex: *In fauorem maximè fidei Christianae respondemus patri eundem puerum assignandum*. Si è contra vxor ad fidem conuertatur, viro in infidelitate relicto, baptizandus quoque est filius matre consentiente, etiam si pater infidelis renuat: nam vt dicitur in Conc. Tolet. 4. & refertur in cap. *Iudaei*, 28. q. 1. *Filij, qui ex talibus nati sunt, fidem atque conditionem matris sequuntur*.

Secundò aduertendum est, quod ait Caietan 2. 2. quaest. decima, artic. 12. ad finem:

finem: *Pueri infidedelium, qui ad partes fidelium deferuntur, & venduntur christianis, quãuis non constet de iusta ablatione eorundem à cura parentum: quia tamen sine parentum cura, conuersatione, & cognitione etiam in spe secundum humanũ cursum sunt, absque parentibus censentur: & propterea Ecclesia consueuit eos baptizare.* Sic videmus in Hispania baptizari pueros,qui ab Aetyopia adducũtur.

Tertiò aduertendum est, quod ait Mag. Soto in 4. dist. 5. q. vnica, ar. 10. ad finem: *Si Christianus quempiam infidelium infantulũ iam moriturum, de quo nulla esset spes salutis, inueniret, eumque tunc baptizaret, &c. non auderem in tali casu factum condemnare. immo laudarem forte, & facerem, saltem si furtim, & clanculo parentibus insciis baptizari posset. Immo etiam si illi scirent, nisi sic obsisterent, vt sine scandalo id fieri non posset.* Quod, licet oppositum nonnulli teneant, valde pium, & probabile esse existimo: tum quia nulla fidei irrogatur iniuria, cum nullum sit periculum relinquendi illam: tum etiam, quia talis puer sic morti proximus videtur quasi à cura parentum absolutus: tum denique, quia in casu tantæ necessitatis videtur ius paternum cessare.

Secundam partem conclusionis negat Durandus in 4. d. 4. q. 6. num. 11. Sed illam probo ex D. Thom. hic ad 2. dicente de seruitute ciuili. *Non excludit ordinem iuris naturalis, vel diuini.* Quod eisdem verbis asserit 2. 2. q. 10. artic. 12. ad 3. ergo cum hic ordo, vt ibidem ait Sanctus Doctor, sit

vt filius, antequam habeat vsum rationis, sit sub cura patris tanquam aliquid patris, sicut patri nō potest auferri cura sui ipsius, & propter hoc non potest licitè baptizari inuitus: ita nec potest ei auferri cura filij; sicque nec eo inuito filius baptizari, quantumcumq; dominus illum alteri vendat, aut donet; per talem enim donationem, aut venditionem non aufertur à patre seruo ius paternum, ac proinde nec cura filij eius. nec ille, cui donatur, aut venditur puer, acquirit aliud ius in puerum, quam quod habebat ille, qui donauit, aut vendidit.

Si puer per venditionem, aut donationem, ita separaretur à patre, vt in longinquam regionem deferretur, ibique tanquā sine parentibus censeretur, licitum esset illum ibi baptizare: hoc tamen non esset, quia filius serui infidelis, sed quia, vt parētibus destitutus haberetur, qua etiam ratione licitum est, filios aliorum infidelium non seruorum, quales sunt filij Aetyopum, qui hac deferuntur, baptizare, vt diximus cum Caietano. Licitum quoque esse existimo domino per donationem, aut venditionem separare puerum à patre prædicto modo cum intentione, vt longinqua regione baptizetur. Nec huius oppositum docet Caietan. hic: nam quamuis dicat dominum non posse ea ratione auferre filium à seruo, vt baptizet illum; hoc tamen intelligendum est, relinquendo illum vbi in notitiam patris possit venire, & non tan-

quam

quam sine parentibus habeatur, & sit.

Ad 1. verò factum in principio respondetur distinguendo maiorem, si voluntas superioris sit, vt id, quod præcipit, absolutè impleatur, non obstante contraria voluntate inferioris, concedo maiorem: si solum sit, vt impleatur, nisi inferior contradicat, nego maiorem: & talis est voluntas Dei, qua vult, vt omnes baptizentur, adulti quidem ipsis non inuitis, infantes vero non inuitis eorum parentibus. Cũ enim Deus omnia suauiter disponat, & eius gratia non destruat, sed perficiat naturam, noluit vt contra naturalem ordinem, quo adultus suę curæ commissus est, & puer curæ parentum, illi, quibus Deus præcipit baptizare, adultos, aut paruulos baptizent.

Ad 2. respondetur simili argumento probari possę adultos inuitos baptizari posse, nam etiam abutuntur iure suo, & contra ius diuinum peccant nolentes baptizari. Asserendum est ergo, neminem posse priuari iure suo potestate aliqua humana etiam publica, nisi tali iure abutatur contra legem aliquam, ad quam seruandam talis potestas illum cogere potest: & quia infidelis non potest cogi ad seruandam legem baptismi, ita vt ipsum suscipiat, aut permittat filium suum baptizari, etiam si contra illam peccet pater infidelis, & iure suo abutatur, non potest licitè illo priuari. Potest tamen in alijs casibus memoratis in argumento puniri priuatione iuris

sui, quia illo abutitur, & peccat contra legem naturæ, ad quam seruandam cogi potest.


Ad 3. respondetur negando consequentiam. Ad probationem patet ex dictis in secunda parte nostræ secundæ concl. quid sit respondendum: per donationem enim, aut venditionem prædictorum puerorum non aufertur à parentibus seruis infidelibus ius paternum, nec cura filiorum.

Circa articulum 11. & 12. nihil se offert scribendum.

QVÆSTIO LXIX.

De effectibus Baptismi.

Circa articulum 1. 2. 3. 4. 5, 6. 7. & 8. nihil se offert dicendum.



AR-

ARTICVLVS IX.

Vtrum fictio impediat effectum Baptismi.

Conclusio est affirmans.

***Dubium.** Quanam dispositio requiratur, vt quis non accedat fictè ad baptismum, sed eius effectum recipiat.*

NOn est hic sermo de effectu baptismi, qui est character, nam de hoc diximus q.68.art 7 dubio vnico, ad illum suscipiendum sufficere voluntatem, ac intentionem recipiendi baptismum, immo & secundam sententiam Caietani negationem contrariæ voluntatis: sed de effectu præcipuo, qui est gratia.

De quo est quorundam sententia, pro qua etiam referunt Scotum in 4. distin.14. quæst.4. artic.3. & Caietanum infra q. 86. ar.1. ad finem Coment. ad recipiendum hunc effectum nempe gratiam, ac proinde, vt quis non fictè accedat ad baptismum, non necessariò requiri aliquam formalem detestationem peccatorũ, quæ sit contritio, vel attritio, sed sufficere voluntaté recipiendi baptismum in remissionem peccatorũ, in qua virtualiter continetur attritio.

Probant primò, 1 Ad effectum Baptismi minor dispositio requiritur, quam ad effectum Pœnitentiæ, nam quamuis vtrumque sit Sacramentum mortuorum; tamen baptismus, quia est regeneratio quædam spiritualis, ex sua ratione minorem dispositionem requirit, & in eo facilior est iustificatio, quam in Pœnitentia, vt colligitur ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 14. sicut facilior est generatio hominis, quam eius resurrectio: sed ad effectum Pœnitentiæ sufficit attritio cognita, ergo ad effectum baptismi minor dispositio requiritur, quæ non est alia quã prædicta voluntas.

Secundò. Quia & si ad remissionem peccati necessaria sit pœnitentia, sufficit tamen virtualis; vt patet, cum quis iustificatur per actum charitatis, qui non est formalis, sed solum virtualis pœnitentia: sed prædicta voluntas virtute continet pœnitentiam, & attritionem, qui enim vult baptizari in remissionem peccatorum, virtualiter illa detestatur; ergo illa sufficit ad iustificationem, non quidem extra Sacramentum, & sine illius susceptione, sed cum Sacramento suscepto.

Dicendum tamen est 1. Ad prædictum effectum recipiendum non sufficere attritionem naturalem, etiam si quis probabiliter existimet se habere supernaturalem. Prima pars patet ex Concil. Trident. sess. 6. can. 3. vbi diffinitur: *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem pœnitere posse sicut oportet,*

tet, vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit. At si attritio naturalis sufficeret ad prædictum effectum, posset homo sine tali inspiratione, & adiutorio pœnitere sicut oportet, vt ei iustificationis gratia per baptismum conferretur, nam talis attritio sine huiusmodi inspiratione, & adiutorio haberi potest; ergo, &c. Si talis attritio naturalis quidem esset secundum substantiã, nempè de peccato propter eius naturalem turpitudinem; supernaturalis tamen secũdum modum propter coniunctionem cũ alijs actibus supernaturalibus, spei scilicet, ac timoris Dei, & propter motionem Dei, & auxilium speciale ad illam, nonnulli existimant sufficere ad prædictum effectum. Sed probabilius est non sufficere, sed debere esse supernaturalem ex parte obiecti, & secundum substantiam: nam cum peccatum mortale sit contra Deum auctorem gratiæ, detestatio illius, vt sit sufficiens dispositio ad eius remissionem, propter motiuum supernaturale, & propter Deum auctorem gratiæ debet esse.

Secunda pars etiam manifesta est: nam quamuis quis probabiliter existimet se habere supernaturalem attritionem, non propterea illam habet; ergo cum hæc requiratur, illa non sufficit ad iustificationem etiam cum Sacramento. Vnde licet cum illa accedens ad Sacramentum excusetur à peccato propter ignorãtiam inuincibilem; non tamen recipit effectum Sacramenti, sicque fictè ad illud accedit, non quidem

contrariè, sed negatiuè. Et non est eadem ratio de eo, qui accedit ad aliquod Sacramentum viuorum cum attritione existimata contritione: nam hic iam habet dispositionem supranaturalem; ille vero non.

Dicendum est 2. Sufficere ad prædictũ effectum attritionem supernaturalem etiã cognitam. Docent hoc cõmuniter Theologi afferentes hanc attritionem sufficere ad Sacramenta mortuorum, & eorum effectum suscipiendum. Probatur etiam, Sacramentum Baptismi directè, & per se institutum est, ad conferendam primam gratiam, & remissionem peccatorum; ergo licitè, & cum fructu potest, quis ad illud accedere cum ea intentione, vt hunc effectum consequatur, per hoc enim conformatur institutioni Christi: at solum potest accedere cum hac intentione, quando accedit cum attritione cognita, sciens adhuc non esse sibi remissum peccatum, nec habere primam gratiam, nam quando accedit existimans se habere contritionem, non intendit consequi primam gratiam, sed eius augmentum, cum nemo intendat absolutè consequi per aliquod medium, quod credit se iam habere, & qui existimat probabiliter se habere contritionem, iam credit se habere primam gratiam; ergo, &c.

Dicendum est tertiò, vt adultus, qui peccauit mortaliter, non fictè accedat ad baptismum, sed gratiam consequatur, non suf-

sufficere voluntatem recipiendi baptismũ in remissionem peccatorum. Si per voluntatem prædictam intelligatur quæcumque, certissima est nostra conclusio: nam talis voluntas naturalis esse potest; ad recipiendum autem effectum baptismi supernaturalis dispositio requiritur. Si verò per prædictam voluntatem intelligatur nō quæcumque, sed quę procedit ex actu spei, probabilem esse dicunt nonnulli sententiã in principio dubij relatam; dum tamen ei, qui accedit ad baptismũ, non occurrat se peccasse: nam si memor sit suorum peccatorum, formalem pœnitentiam illorum habere debet saltem necessitate pręcepti, & non sufficit virtualis; etiam, quæ habetur per actum charitatis: quia volenti admitti in amicitiam diuinam omnino conuenit formalem pœnitentiam habere suorum peccatorum, quorum memoria efficaciter impellit ad eorum detestationem.

Sed nostra conclusio probatur 1. ex illo Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorũ.* Ibi enim præter voluntatem recipiendi baptismum in remissionem peccatorum, illiusque receptionem, expressè requirit S. Petrus pœnitentiam, estque ibi sermo de voluntate, & receptione baptismi procedente ex actu spei.

Secundò, ex Conc. Trid. Sess. 6. c. 6. vbi inter actus requisitos, vt peccatores disponãtur ad iustificationé, nō solũ ponuntur actus

spei illis verbi, *In spem eriguntur, &c.* Et voluntas recipiendi baptismum in remissionem peccatorum, illis verbis: *Proponunt suscipere baptismum, inchoare nouam vitam, &c.* Sed etiam actus Pœnitentiæ illis verbis, *Mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet.* Ergo ad consequendam iustificationem per Sacramentum Baptismi non sufficit actus spei, nec voluntas recipiendi baptismum in remissionem peccatorum procedens ab actu spei, sed præterea requiritur, vt necessaria dispositio actus pœnitentiæ, qui sit saltem attritio.

Tertiò, voluntas recipiendi baptismum in remissionem peccatorum, etiam si procedat ab actu spei, non continet virtute actum pœnitentiæ etiam imperfectæ, qualis est attritio; ergo non sufficit ad effectum baptismi, qui est gratia consequendum, ad hoc enim saltem requiritur pœnitentia virtualis. Antecedens probatur actus spei, à quo talis voluntas procedit nõ continet virtute actum prædictæ pœnitẽtiæ, seu attritionis, alias ficut attritio non potest esse cum proposito peccandi mortaliter, neque cum illo esse posset actus spei, sicut cum illo esse non potest actus charitatis virtute continens actum contritionis, quod tamen falsum esse constat in peccatore fideli, qui quamuis proponat peccare, nõ propterea amittit spem nec facultatem eliciendi actum illius; ergo

go nec illum continet virtute voluntas procedens à tali actu, cum sit illo imperfectior.

Quartò, maior dispositio requiritur ad recipiendum effectum baptismi in adulto, qui peccauit mortaliter, quam in adulto, qui solum haberet peccatum originale (quamuis hoc in sententia D. Thom. non sit possibile, vt patet ex dictis 1. 2. quæst. 89. artic. 6.) sed in hoc adminus requiritur voluntas recipiendi baptismum in remissionem peccati originalis procedens ab actu spei; ergo in illo maior dispositio requiritur nempè pœnitentia formalis, quę sit saltem attritio. Vnde D. Thom. infra quæst. 86. art. 2. ad 1, ait: *Adulto, in quo sunt actualia peccata, quæ consistunt in deordinatione voluntatis, non remittuntur peccata etiam in baptismo sine actuali immutatione voluntatis, quæ fit per pœnitentiam.* Ex quo fit, qui immemor suorum peccatorum, quę commisit, accederet ad baptismum cum sola voluntate recipiendi illum in remissionem peccatorum, sine illorum saltem attritione, gratiam non consequeretur.

Ad 1. verò oppositæ sententiæ respondetur ex loco Concilij Tridentini citato in eo colligi quo modo minor sit dispositio, quæ requiritur ad baptismum, quam quæ requiritur ad pœnitentiam, quia scilicet licet ad vtrumque Sacramentum requiratur cessatio à peccatis, & eorum detestatio saltem per attritionem; ad Pœniten-

tiam tamen requiritur deteſtatio peccatorum cum propoſito, & voluntate confitendi ea, & pro ipſis ſatisfaciendi per ieiunia, orationes, &c. quod non requiritur ad baptiſmum: nam peccata ante illum cōmiſſa non oportet confiteri, nec pro illis debent imponi opera ſatisfactoria, vt docet D. Thom. quæſtione præcedente, articulo 5.

Ad 2. reſpondetur maiorem intelligendam eſſe in caſu, in quo poteſt haberi pœnitentia virtualis ſine formali, quod non contingit, quando peccator accedit ad baptiſmum cum conſcientia, & memoria peccatorum, quæ commiſit, nam tunc tenetur habere formalem pœnitentiam illorum, hæcque proinde tunc ſaltem requiritur, vt dicunt auctores citati in principio con. 3. Sed cum in ea nos generalius locuti fuerimus, neganda eſt minor; oſtendimus enim ratione tertia eiuſdem 3. con. prædictam voluntatem recipiendi baptiſmum nō continere virtualiter actum pœnitentiæ etiam imperfectæ, qualis eſt attritio. Nec eſt verum, qui talem voluntatem habet, peccata virtualiter deteſtari, cum conſtet eum, qui actualem complacentiam habet de peccato, in quo eſt, poſſe habere voluntatem recipiendi baptiſmum in remiſſionem illius, non ſecus ac, qui actualiter peccat, poteſt habere voluntatem cōfitendi poſtea tale peccatum. Immo ruſticus nouiter ad fidem conuer-

ſus,

ſus, cui Theologus diceret, affectum ad peccatum non impedire effectum baptiſmi, poſſet velle, & actualiter baptiſmum ſuſcipere in remiſſionem peccatorum ſine deteſtatione vlla, ſed potius cum affectu illorum, qui licet propter ignorantiam excuſaretur à peccato, non tamen iuſtificaretur.

Circa articulum 10. vide quæ diximus ſupra quæſt.62.artic.1.dubio 2. ad 3. & dubio 3. & 4.

Circa Quæſt. 70. nihil ſe offert dicendum.

QVÆSTIO LXXI.

De præparatorijs, quæ ſimul concurrunt cum Baptiſmo.

Circa articulum primum, & ſecundum, nihil ſe offert dicendum.



ARTICVLVS III.

Vtrum ea, quæ aguntur in exorcismo, aliquid efficiant.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An id quod efficiunt ea, quæ aguntur in exorcismo, ex opere operato efficiant.

PArtem negantem tenent quidam, & probant 1. Quæ ex opere operato suũ conferunt effectum, illum omnino infallibiliter conferunt: sed ea, quæ aguntur in exorcismo non infallibiliter conferunt id, quod efficiunt; ergo non efficiunt ex opere operato. Minor probatur, nam experimur per exorcismos non semper pelli, aut impediri præstigias dæmonis: nec est ratio, cur magis dicamus alios effectus prædictorum sacramentalium esse omnino infallibiles, quam hos.

Secundò. Quia solus Deus potest immediatè nobis infundere gratiam, solus ipse potest instituere Sacramenta eam ex opere operato conferentia; ergo similiter cùm ipse solus possit nobis inspirare pios motus, quos conferunt ea, quæ aguntur in exorcismo, quibus aperiuntur sensus, & cõseruatur gratia baptismalis, solus ipse poterit

terit instituere cæremonias ex opere operato tales motus conferentes. At ea, quæ aguntur in exorcismo instituta sunt ab Ecclesia; ergo nõ conferunt baptizandis eiusmodi motus ex opere operato, sed tantum per modum impetrationis, quæ non habet omnino infallibilem effectum.

Tertiò. Ecclesia in his, quæ aguntur in exorcismo non vtitur verbis assertiuis, quibus absolutè effectum futurum significet, sed depræcatorijs, vt ostendat se id, quod efficiunt, tantum à diuina misericordia sperare, sicut alia quæ à Deo petit; quæ depræcatio, & si multum apud Deum valeat, & aliquod communiter impetret, non semper obtinet totum, quod petit, sed prout diuinæ prouidentiæ pro loco, & tẽpore fuerit visum: sed in his, quæ ex opere operato cõferunt suum effectum verbis assertiuis vtitur, vt patet in Sacramentis; ergo, &c.

Dicendum tamen est: Ea quæ aguntur in exorcismo, quæ sunt quædam baptismi cæremoniæ, & sacramentalia quædam, si aliquid efficiunt (vestem enim candidam, qua induitur baptizatus, nihil efficere, sed solum significare docet D. Tho. hic ad 3.) illud tanquam instrumenta Dei per eius virtutem eleuata efficere ex opere operato. Docent hoc Mag. Soto in 4. d. 6. q. 1. a. 3. & alij discip. D. Thom.

Probatur 1. Nam D. Thom. hic docet, ea, quę aguntur in exorcismo aliquem effectum habere, non tamen producere gratiam,

tiam, nam hanc solus baptismus efficit, sed excludere impedimentum gratiæ percipiendæ. Ex quo ad 2. respondens colligit: *Et ideo non sunt sacramenta, sed sacramentalia quædam*: quia vt prædixerat, *De ratione Sacramenti est, quod perficiat principalem effectum, qui est gratia*. Sentit ergo, id quod efficiunt, ex opere operato efficere, sicut baptismus gratiam efficit, alias etiam si causarent gratiam, eo modo, quo suos effectus producunt, non essent Sacramenta, cum de ratione Sacramenti nouæ legis sit gratiam causare ex opere operato, & non solum per modum impetrationis.

Secundò. Nam idem D.Thom. hic tres effectus commemorat eorum, quæ aguntur in baptismo: nempè expulsionem dęmonis, quę efficitur per exorcismos, & exuflationes, apertionem sensuum, quæ efficitur per saliuam typicam, & Sacerdotis tactum, & conseruationem gratiæ baptismalis, quam operatur vnctio, quæ fit in vertice: sed ij effectus ex opere operato efficiuntur; ergo, &c. Minor probatur, nam fiunt infallibiliter, vt indicant verba Cęlestini Papæ à S. Doctore in argument. *Sed contra*, art. præced. relata: fiunt etiam ab illis diuina virtute, qua vt Dei instrumenta eleuantur, vt indicant verba Rabani hic à D.Thom. relata: & denique ab illis fiunt non mediante aliquo opere, aut actu baptizandi, nihil enim ipse agit, cum in vertice in vngitur; ergo fiunt ex opere operato; ideo enim Sacramenta cōferunt gratiam

tiam ex opere operato, quia illam infallibiliter, vt instrumenta diuinæ virtutis ab ea eleuata, & non mediante fide, quam excitant, conferunt, vt patet ex dictis supra q.62.ar.1.dub.1.

Non caret autem difficultate, quid sit intelligendum per hos tres effectus commemoratos à D. Thom. Per expulsionem dæmonis quidam intelligunt eam, quâ à corporibus hominum, in quibus est, arcetur dęmon virtute naturali exorcismorũ. Sed hoc delirium esse ait Mag. Soto vbi supra, & ex dictis à nobis 1 p.q.115.ar.5. eius falsitas conuinci potest. Immo nec hanc expulsionem virtute etiam supernaturali exorcismi efficiunt infallibiliter; nam ad illam per se non ordinantur: vnde quamuis arreptitius baptizaretur, non infallibiliter liberaretur à dæmone. Intelligenda est ergo per expulsionem dæmonis liberatio baptizandi ab eius potestate, & subiectione, à qua per exorcismos præcedentes baptismum liberantur baptizandi non totaliter, sed aliqualiter, vt scilicet, *Ne tantũ possit in homine sicut ante*, vt docet D.T. in 4. d.6.q.2.ar.3. quæstiunc.2. Quam liberationem debilitando potestatem dæmonis infallibiliter efficiunt exorcismi.

Per apertionem sensuum Caiet. hic in principio quęst. dicit non esse intelligendam diminutionem interioris infectionis sensuum animæ, nam hæc sine gratia fieri non potest saltem in paruulis, sed cohibitionem potestatis dæmonis, ne scilicet ob in-

instituendi; posse tamen illam Ecclesiæ communicare, & de facto communicauit: nam vt ait Mag. Soto vbi supra: *Quamuis Ecclesiæ Christus non tradiderit potestatem instituendi Sacramenta collatiua gratiæ, nihilominus facultatem commisit instituendi sacramentalia ad aliquos supernaturales effectus*, Non solum impetrandos, nam ad hoc commissione non indigebat, sicut nec ad orandum, sed efficiendos, ita vt virtute talium sacramentalium Deus singularem ferret opem, vt pij motus, & alij effectus supernaturales nobis conferrentur.

Ad 3. Respondetur, in illis etiam vti verbis imperatiuis, qualia sunt illa, *Maledicte diabole exi ab eo*, & *Effeta*; quibus vt instrumento respondent effectus, vt ait Mag. Soto vbi supra, & indicat S. Ambros. lib. de Sacram. cap. 1. Et quamuis in aliquibus sacramentalibus solis verbis depræcatorijs vtatur; illa tamen, vel præcedunt, vel comitantur sacramentalia, sicut oratio Christi multa eius miracula: vel si ad sacramẽtalia pertinent, efficacia sunt ad eorum effectum, non solum per modum impetrationis, sed etiam efficientiæ, vt diuinæ virtutis instrumenta.

Circa art. 4. nihil se offert dicendum.

aliorum dicentium fuisse institutum ab Apostolis, iam tuto defendi non possunt, quamuis tempore D.Thom. vt probabiles haberentur.

Si quæras, quando hoc sacramentum fuerit à Christo institutum? Respondent quidam fuisse institutum ab illo post eius resurrectionem, cum Apostolis dixit Ioannis 20.v. 22 *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* Nam tunc fecit Episcopos Apostolos suos, atque ita dedit eis potestatem conficiendi hoc Sacramentum. Contra hoc tamen est, nā vt latè probat Turrecremata lib. 2. summę de Ecclesia cap 32 solus Petrus inter Apostolos fuit immediatè à Christo institutus Episcopus, cum ei dixit Ioann. 21. v. 18. *Pasce oues meas*; alij verò Apostoli à Petro mediatè, vel immediatè sunt Episcopi ordinati. Vnde asserendum est hoc Sacramentum fuisse à Christo institutum in die Cœnæ, nam vt ait S. Fabianus Papa epist. 2. cap. 1. tom. 1. Conciliorum: *In illa die Dominus Iesus postquam cœnauit cum Discipulis suis, & lauit eorum pedes (sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) Crisma conficere docuit.* Cum autem Chrisma sit materia Confirmationis, sicut aqua Baptismi; quemadmodum Baptismus fuit institutus, quando contactu suæ mundissimę carnis aquas in Iordane sanctificauit, vt diximus supra q. 66. ar. 2. dub. vnico, con 2. Ita Confirmationem instituit Christus, cum Chrisma conficere docuit, in die scilicet Cœnæ.

Quod

Quod communiter docent discipuli D. T. præsertim Mag. Soto in 4. dist. 7. q. vnica, ar. 1. & colligitur ex S. Doct. hic ad 1. dicente: *Christus instituit hoc Sacramentum non exhibendo, sed promittendo secundum illud Ioan. 16. Si non abiero paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos.* Cum enim hæc verba dixerit in die cœnę, apertè colligitur, tunc instituisse hoc Sacramentum.

ARTICVLVS II.

Vtrum Chrisma sit conueniens materia huius Sacramenti.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An sine Chrismate possit confici hoc Sacramentum.

Pars affirmans probatur primò. Quando Apostoli imponebant manus super baptizatos, & ij accipiebant Spiritum Sanctum Act. 8. v. 17. verè conficiebant Sacramentum Confirmationis; sed non vtebantur Chrismate, huius enim ibi nulla fit mentio; ergo sine Chrismate potest confici hoc Sacramentum.

Secundò. Chrisma conficitur ex oleo, & balsmo, vt hic supponit D. Thom. sed

fine

fine balfamo poteft confici hoc Sacramentum; ergo & fine Chrifmate. Minor probatur; Tum quia Innocentius III. cap *Paftoralis*, De Sacram. non iteran. confultus, *Si Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non Chrifmate, fed oleo delinitus*. Refpondit: *Non eft aliquid iterandum, fed caute fupplendum, quod incaute fuerat prætermiffum*. Tum etiam, quia balfamum non ita facile haberi poteft cum è remotis regionibus afferatur, & magni pretij fit, facilè etiam adulteratur, & difficillimè cognofcitur, quod nam verum, & purum fit; ergo non eft credibile, Chriftum voluiffe ipfum effentialiter ad hoc Sacramentum requiri.

Dicendum tamen eft: fine Chrifmate non poffe confici hoc Confirmationis facramentum. Oppofitum huius tenent Caiet. hic, Mag. Soto in 4.d.7.q. vnica, art. 2. Nauar. cap. 22. num. 8. & alij. Sed noftram cõclufionem fatetur Mag. Soto loco citato effe vniuerfalem ferè omnium fententiam. Effe etiam D. Thom. patet: nam hic in corp. artic. inquit: *Chrifma eft conueniens materia huius facramenti*. Et in folutionibus argumentorum fupponens, quod in primo argumento dicitur, *Materia eft de neceffitate Sacramenti*, refpondet omnibus, quę obftare poffunt cõfectioni huius Sacramenti cum Chrifmate, & negat exhibitũ fuiffe, aut exhiberi poffe fine hac materia, ficut nec baptifmus fine aqua.

Secundò probatur ex Conc. Florent. in

De-

Decret. Eugenij Papæ IV. vbi recensens materias essentiales, sine quibus confici nequeunt sacramenta, ait: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Chrisma confectum ex oleo, & balsamo per Episcopum benedicto*. Nec glossa Mag. Soto, *Quod intelligitur balsamum dumtaxat de præcepto*, videtur verbis Concilij congruere: nam eodem modo loquitur de oleo, & balsamo; ergo sicut non potest intelligi oleũ dumtaxat de precepto, ita nec balsamum. Si Concilium dixisset materiam Confirmationis esse oleum, cui balsamum admisceri debet, sicut de materia consecrationis calicis dixit esse vinum, cui aqua debet admisceri, posset hæc glossa adhiberi, asserens tamen esse Chrisma confectum ex oleo, & balsamo, illam videtur excludere.

Tertiò. Si quis sine chrismate cum solo oleo Confirmationem exhiberet, non verificaretur forma huius Sacramenti, *Confirmo te Chrismate salutis, &c.* ergo non verum conficeret Sacramentum. Nec satisfacit, quod hic ait Caiet. chrismatis nomen vnctionem significare, cui oleum sufficit. Contra hoc enim est, nam vnctioni non minus sufficit balsamum, cum sit vnguentum, quam oleum; ergo sicut si quis cum solo balsamo vngeret cõfirmandum, non verificaretur forma huius Sacramenti, ita nec si eundem vngeret solo oleo, chrismatis enim nomen non significat balsamum solum, nec oleum solum,

sed

ſed aliquid confectum ex oleo,& balſamo, vt ait Concilium Florent. vnctionemque illo factam.

Ad 1. vero factum in principio recentiores quam plures concedunt maiorem. Quorum nonnulli dicunt, Apoſtolos tunc Sacramentum Confirmationis contuliſſe ſub eadem materia, & forma, qua nunc confertur: vnde negant minorem; quamuis enim ibi nulla fiat mentio chriſmatis, non inde colligitur Apoſtolos illo non fuiſſe vſos: nam eſt argumentum ab auctoritate negatiuum, & ex communi modo loquendi Patrum conſtat impoſitionem manuum ſignificare Sacramentum, quo chriſmate inunguntur, qui confirmantur. Alij aſſerunt Apoſtolos, licet communiter vterentur chriſmatis vnctione; aliquando tamen, quando ſcilicet apparebat ſignum viſibile, ex Chriſti diſpenſatione confeciſſe Sacramentum Confirmationis ſola manuum impoſitione loco materiæ, & aliquibus verbis, quæ modo neſciuntur loco formæ, ſicut & ex Chriſti diſpenſatione aliquando baptizarunt in nomine Chriſti. Quæ ſententia, quam Paludanũ eſſe dicit, non diſplicet Mag. Soto in 4. d. 7. q. vnica, art. 2. ad finem. Sed D. Thom. ſententia longè diuerſa eſt ab his: nam hic ad 1. & art. 4. ad 1. docet Apoſtolos, quando tanquam miniſtri ſacramentorum, hoc Confirmationis Sacramentum prębebant, ſemper chriſmate fuiſſe vſos; quando tamen per miniſterium, ac manuum impo-

ſitio-

non distinguere ritum à ritu, sed modum loquendi, quia tunc communiter dicebatur hoc Sacramentum, impositio manus, nunc communiter Confirmatio. Contra hoc tamen est: nam paulò post verba citata Concilium ritum Confirmationis his verbis exponit: *In fronte confirmandus inungitur, signo Crucis signatur*. Hocque fit ab Episcopo summitate pollicis dextræ manus chrismate intincta, vt patet ex Pótificali Romano: sed hic ritus longè diuersus est ab illa impositione manus, per quã Apostoli Spiritum Sanctum dabant Act. 8. & 19. nam impositio non solum erat vnius manus, nec vnius digiti tactus in fronte, sed duarum manuum super capita fideliũ; ergo non solum nomen, & modum loquédi distinguit Concilium, sed etiam rem à re, & ritum à ritu. Neque huic obstat, à Patribus, & in multis Canonibus de consecrat. d 5. Sacramentum Confirmationis appellari manuum impositionem: nam non indicant, eam, quæ facta fuerat ab Apostolis locis citatis, fuisse, Sacramentum, sed solum in primitiua Ecclesia hoc Sacramẽtum sic fuisse appellatum. Quod esse potuit, quia confectioni huius Sacramenti Confirmationis adiuncta fuit, vt cæremonia accidentalis manuum impositio: quæ tamen, quia imitatio erat facti Apostolorũ, nomen præbere potuit ipsi Sacramento. Vide S August. tom. 7. lib. 3. de Baptismo, cap. 16. ait: *Manus impositio non sicut baptis-*

mus repeti non potest. Qid est enim aliud nisi oratio super hominem? Si autem esset Sacramentum Confirmationis, & non cæremonia illi adiuncta, repeti non posset. Iuxta hanc ergo sententiam Diu. Thom. neganda est maior argumenti primi, sicque ad illud facillime respondetur.

Ad 2 respondetur negando minorem. Ad 1. probationem dico, sensum verborũ Pontificis esse: non esse iterandum Sacramentum Confirmationis publicè, & cum solemnitate, quia hoc modo iam per actũ fuerat, quamuis inualidè, quo ad substantiam; sed supplendum esse, quod incautè fuerat prætermissum, quod est iterari priuatim, & sine solemnitate, quia quod fuerat prætermissum, nempè vnctio chrismatis, ac per consequens veritas formæ, est de essentia, & de necessitate Sacramenti. Ad 2. probationem respondetur cum D. Tho. hic ad 4. non opus esse materiam Confirmationis, tam facilè inueniri, & haberi posse, quam materiam baptismi, quia non est tantæ necessitatis Confirmatio, quam baptismus, & sufficere, vt quamuis è remotis regionibus ad omnia loca terrarum deferri possit. Et quamuis magni pretij sit, ad conficiendum chrisma non requiritur tanta quantitas eius, vt emi non potuerit balsamum, etiam quando Episcopi erunt pauperrimi, saltem ex eleemosynis fideliũ. Et licèt facilè adulterari possit, & difficilè cognosci, quodnam sit omnino purum,

non

non desunt tamen periti, qui deprehendere possint, an saltem balsami essentiam retineat.

ARTICVLVS III.

Vtrum sit de necessitate huius Sacramenti, quod Chrisma sit prius per Episcopum consecratum.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An hæc conclusio vera sit.

PArs negans probatur 1. nam in Conc. Tolet. 1. can. 1. sic dicitur: *Quamuis fere vbique custodiatur, vt absque Episcopo Chrisma nemo conficiat: tamen, quia in aliquibus locis, vel prouinciis Presbyteri dicuntur chrisma conficere; placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum conficere.* Ergo cum Concilium non irritet factum, sed solum prohibeat in posterum, censet chrisma posse confici, ac benedici à presbyteris, & non esse necessarium, vt ab Episcopo sit benedictum.

Secundò. Simplex Sacerdos ex commissione Papæ potest conferre Sacramen-

tum Confirmationis, vt patebit art 11. ergo etiam ex commissione Papæ poterit conficere, & consecrare chrisma, sicque non erit de necessitate huius Sacramenti, chrisma esse consecratum ab Episcopo.

Tertiò. Consecratio chrismatis non est instituta à Christo, sed ab Ecclesia, quæ illam potest variare: non enim est credibile, ritum, quo nunc vtitur Ecclesia in consecratione chrismatis cum tot orationibus, & solemnitatibus, seruatum fuisse ab initio; ergo non est de necessitate Sacramenti.

Dicendum tamen est, de necessitate huius Sacramenti Confirmationis esse, vt chrisma sit consecratum ab Episcopo. Docent hoc communiter Theologi cum D. Thom. hic. Probatur 1. Conc. Florent in Decreto Eugenij, vbi dicitur materiam huius Sacramenti esse, *Chrisma confectum ex oleo, & balsamo per Episcopum benedicto*. Sed materia est de necessitate Sacramenti; ergo &c.

Secundò: Quia, vt patet ex verbis S. Fabiani artic. 1. relatis, Christus in die cœnæ Apostolos docuit, chrisma conficere: & vt constat ex can. *Literis*, de consecrat. dist. 3. Consuetudo Ecclesiæ habet, vt illa die Episcopi quotannis chrisma consecrent; ergo consecratio chrismatis ab Episcopo est ex institutione Christi, sicque de necessitate huius Sacramenti.

Si quæras, an debeat chrisma esse benedictum eodem anno? Respondetur, id esse


se de necessitate præcepti. nam vt dicitur in prædicto canone: *Sancti chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouanda, & fidelibus est tradenda. Ista à sanctis Apostolis, & successoribus eorum accepimus, & vobis tenenda mandamus.* Non esse tamen de necessitate Sacramenti, communiter docent Theologi, quia Conc. Florent. solum requirit, vt chrisma sit ab Episcopo benedictum; esse verò benedictum hoc, vel alio anno accidentarium videtur.

Ad primum verò factum in principio respondetur negando consequentiam: Concilium enim non censet, illud ritè fuisse factum, sed quia perperam, & irritè factum fuerat, prohibet, ne in posterum fiat.

Ad 2. Caiet. hic concedit consequentiã: & ait. *Qui potest maius, potest, & minus: maius autem esse constat, quod presbyter conferat Confirmationis Sacramentum, quam conferat materiam Sacramenti, quanto maius est Sacramentum sua materia. Et propterea si Papa potest facere, quod simplex Sacerdos confirmet, potest etiam efficere, quod idem consecret materiam.* Sed communiter Theologi cõsequentiam negant: non enim semper, qui potest conficere maius, potest minus conficere, nam minus est consecrare Altare, quam consecrare Hostiam; & tamen Sacdos, qui potest hoc maius, non potest illud minus facere. Ratio autem cur Papa ex Christi voluntate possit conferre potestatem simplici sacerdoti confirmandi, & nõ

conficiendi chrisma, est: quia chrisma facile potest ad quæuis loca transferri; Episcopus verò non potest ita facile haberi: vnde primum legitur aliquando ob necessitatem fuisse concessum, secundum vero nunquam, sed semper prohibitum, vt patet ex can. *Presbyter*, 26. quæst. 6. *Presbyter chrisma nunquam conficiat*.

Ad tertium respondetur, Christum solũ instituisse in genere, vt chrisma consecraretur, & Ecclesiæ reliquisse, vt ritum consecrationis determinaret: sicut etiam instituit, vt matrimonium fieret inter legitimas personas, & Ecclesiæ reliquit, vt determinaret, quæ essent legitimæ personæ. Quidam existimant, si Episcopus aliquis consecraret chrisma alio modo, quam qui à Papa præscriptus est, peccaret quidem mortaliter, consecratio tamen valida esset. Alij id non admittunt: quia determinare formam consecrationis Chrismatis, non cuilibet Episcopo, sed soli Papæ, vel Conc. Generali videtur commissum, sicut & determinare, quæ sint personæ legitimæ ad contrahendum matrimonium.



A R

ARTICVLVS IV.

Vtrum hæc ſit conueniens forma huis Sacramenti Conſigno te ſigno Crucis, &c.

Concluſio eſt affirmans.

PAtet ex Conc. Florent. in Decreto Eugenij: *Forma autem eſt: Signo te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, Hac forma ex mandato Chriſti, à quo inſtituta eſt, vſos fuiſſe Apoſtolos, quando ſicut miniſtri ſacramentorum hoc Sacramentum præbebant, docet D. Thom. hic ad 1. Quod licet non contineatur in ſcriptura, per traditionem conſtare oſtendit S. Dionyſ auctoritate.

Tria in hac forma contineri, quæ pertinent ad ſpeciem Sacramenti, ad illudque neceſſaria ſunt, dicit S. Doctor in corpor. art. De neceſſitate enim huius Sacramenti, ſicut & Baptiſmi, eſt inuocatio Trinitatis, cuius fidei corroboratio eſt hoc Sacramentum: Confirmatio etiam cum Chriſmate ſalutis robur præbens ad audacter confitendum nomen Chriſti: & conſignatio Crucis ſigno ad non erubeſcendũ Chriſtum crucifixum.

Sicut autem pronomen, ego, non est de necessitate formæ Baptismi, quia intelligitur in verbo primæ personæ, non est etiam de necessitate formæ Confirmationis, propter quod in ea non apponitur, vt hic ad 3. notat D.Thom.

Si quis pro confirmo, diceret, corroboro, aut perficio, & loco chrismate diceret vnguento, & loco salutis, diceretur sanctificationis, licet aliqua esset culpa, validum tamen esset Sacramentum, vt ait Mag. Soto in 4. dist. 7. quæst. vnica, art. 4. & colligit ex D. Thom. hic ad 2. Et idem dicit: *Si fieret per tertiam personam; vt in Decreto Constantini ipse legitur confirmatus sub hac forma; Signet te Deus sigillo fidei suæ*. Subdit tamen, licet in illo decreto non adhibeantur alia verba formæ Confirmationis; dicta tamen fuisse colligitur ex præcedentibus: nam dicitur Syluestrum chrismatis vnctione vexillum crucis in eius fronte liniuisse. Aduertunt etiam alij, quamuis verum Sacramentum conficiatur dicendo, consignetur seruus Christi; non licere tamen modo, etiam Græcis, hoc modo confirmare: quia solùm concessum est illis in Concil Florent. baptizare sub hac fotma, baptizetur seruus Christi; non tamen confirmare sub simili forma.

Quamuis autem duo verba contenta in forma confirmationis non possent simul proferri, sed prius dicatur, signo, & postea, confirmo, tamen actiones, quas significant, simul fieri debent, consignatio scilicet

cet signo crucis, & Confirmatio, vel vnctio chrismate. Episcopus enim, vt habetur in Pontificali Romano, *Summitate pollicis dextra manus chrismate intincta dicit. Signo te Crucis; quod dum dicitur producit signum crucis in fronte*. Communiter vero asserunt Theologi, de necessitate Sacramenti esse, vt vnctio fiat in figura crucis, & crux formetur chrismatis vnctione. Quod autem hæc vnctio fiat immediatè manu ipsius Episcopi, & non medio aliquo instrumento, non est ità certum esse de necessitate Sacramenti: nam quamuis multi hoc satis probabile esse dicant; alij tamen oppositum docent. Non esse verò de necessitate Sacramenti, sed solum præcepti, vt vnctio fiat pollice manus dextræ, asserunt omnes; sicque licet fieret alio digito etiam manus sinistræ, verum esset Sacramentum.

(✠)

ARTICVLVS V.

Vtrum Sacramentum Confirmationis imprimat characterem.

Conclusio est affirmans.

DIffinita est in Conc. Trid. sess. 7. can. 9. de Sacram. in genere his verbis: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari nõ possunt; anathema sit.*

Aduerte tamen cum Mag. Soto in 4. d 7. q. vnica, ar. 5. licet sacrilegium committat, qui bis confirmatur, aut qui bis eundem confirmat: neutrum tamen incurrere irregularitatem, quia nullo iure id expressum est.



AR-

ARTICVLVS VI.

Vtrum character Confirmationis præsupponat characterem Baptismi.

Conclusio est affirmans.

Patet, nam Baptismus est ianua omniũ sacramentorum, & vt dicitur canone *Omnes*, & can. *Nouissimè*, de consecrat. d.5. Confirmatio debet accipi post Baptismum, sicque huius character ad illius characterem præsupponitur, nam character semper comitatur Sacramentum imprimens illum. Et quamuis effectus præcipuus Cõfirmationis, qui est plenitudo Spiritus Sancti, & robur spirituale ad confitendum publicè fidem Christi, aliquando sit à Deo collatus sine Sacramento, vt hic ad 1. & 3. dicit D. Tho. character tamen nunquam sine Sacramento confertur. Vnde de illis, qui Act. 10. v.47. acceperunt Spiritum Sãctum ante Baptismum, ait M. Soto in 4. d.7. q. vnica in fine, *Nihil vetabat, vt illi denuo post Baptismum Sacramento confirmarentur.*

Non caret tamen scrupulo, quod hic ad 1. dicit D. Tho. *Nullus consequitur effectum Confirmationis sine voto ipsius*. Quidam hoc intelligendum esse dicunt de voto explicito, quod, qui habet, recipit quendam modum firmitatis ad profitendam fidem, qui

est proprius effectus Confirmationis. Sed hæc explicatio non videtur conformis D. Thom. Tum quia non constat, illos, de quibus loquitur 1. arg. qui scilicet ante Baptismum sunt fidem Christi publicè confessi, & pro illa sanguinem fuderunt, habuisse omnes explicitam notitiam Cõfirmationis, atque adeo votum explicitum illius. Tum etiam, quia vt indicat D. Thom. in solutione illius arg effectus confirmationis sine Sacramento non confertur nisi miraculosè, & ex speciali gratia; ergo non infallibiliter omnibus habentibus votum explicitum Confirmationis. Vnde melior est expositio Mag. Soto vbi supra, hoc non esse intelligẽdum de voto speciali, sed sufficere votum Baptismi, in quo implicite includitur votum Confirmationis: nam quamuis hæc nõ sit in præcepto, in voto tamen baptismi nõ solum includitur voluntas adimplendi ea que sunt in præcepto, sed etiam faciendi ea, quæ communiter in Ecclesia fiunt à fidelibus, maximè vt prouecti sint, qualis est Cõfirmatio. Et quamuis nõ omnibus habentibus hoc votum implicitum Confirmationis detur effectus Confirmationis sine Sacramento, nullus tamen cõsequitur talem effectum sine tali voto implicito.

Circa art. 7. præter dicta supra q. 62. a. 1. nihil se offert dicendum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hoc Sacramentum sit omnibus exhibendum.

Conclusio est affirmans.

Dubium. *An omnes teneantur, saltem in aliquo casu, hoc Sacramentum suscipere.*

Pars affirmans probatur 1. nam in can. *Omnes*, De consecrat. d. 5. dicitur: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum, post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.* At verbum illud *debent*, significat preceptum: ergo, &c.

Secundò. Probatur saltem in casu persecutionis teneri fideles ad suscipiendam Confirmationem argumento Durandi in quarto, dist. 7. quæst. 1. numer. 6. Quando effectus est necessarius, & causa est necessaria: sed effectus Confirmationis scilicet confiteri fidem tempore persecutionis, est necessarius ad salutem cuilibet fideli; ergo, & Sacramentum Confirmationis est necessarium ad salutem in tali casu, si habeatur opportunitas conferentis.

Tertiò. Probatur ad id etiam teneri in casu, quo quis vult Ordines suscipere: nam in

in Conc. Trid. sess.23. cap.4. dicitur: *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperunt*. Ergo tenentur Sacramentum suscipere Confirmationis antequam ordinentur.

Dicendum tamen est 1. Episcopos teneri ad confirmandos suos subditos. Probatur, nam ad id eos obligat illorum officiū. Sunt etiam ministri quasi stipendiati decimis, quæ illis soluuntur; sicque tenentur inter alia, non solum ad confirmandos suos subditos, quando hoc Sacramentum ab eis petunt, sed etiam ad procurandum, vt omnes confirmentur, & ita in bonum spirituale promoueantur. Cui tamen obligationi satisfaciunt, si in suis visitationibus, ad hoc admoneant subditos, & accedentibus Sacramentum hoc ministrent.

An verò debeant illud paruulis nondum habentibus vsum rationis conferre, eorum prudentiæ relinquitur. Communiter id non expedit, vt docet Mag. Soto in 4. d.7. q. vnica, ar.8. con.2. & dicitur in Cathecismo Romano, p.2. cap.3. num.14. si tamen adsit rationabilis causa, vt si putant non tam citò habituros occasionem confirmādi pueros, hosque diu sine confirmatione permansuros, aut sine illa morituros, possent, immo conuenientius esset, illos ante vsum rationis confirmare.

De amentibus, si lucidis gaudent interuallis, idem asserendum est, ac de paruulis: si enim adsit causa rationabilis confirmandi sunt, etiam in amentia; si vero talis cau-

causa non adsit, expectandum est, vt lumine rationis fruantur. Si nati sunt perpetuo amentes, ait M. Soto vbi supra, non esse confirmandos, sicut nec infantes ante vsum rationis. Alij confirmandos esse dicunt, vt maiorem gratiam, & gloriam consequantur. Si aliquando habuerunt vsum rationis, nisi de eorum mala dispositione antequam inciderent in amentiam constet, confirmandi sunt,

De surdis, & mutis certum est confirmandos esse, cum possint fidem cognoscere, & profiteri saltem nutibus, & pro ea liberè fortiter pugnare, & vitam exponere.

Dicendum est secundo. Ad recipiendũ hoc Confirmationis Sacramentum neminem teneri sub præcepto per se, & directè adhoc obligante. Docent hoc communiter Theologi, præsertim Mag. Soto vbi supra post. 3 propo. vbi, & hoc colligit ex D. Thom. hic ad 4. glossat enim S. Doct. verbum Hugonis asserentis periculosum esse sine Confirmatione ab hac vita migrare, *Non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur*. Damnaretur autem, si sub præcepto teneretur.

Probatur secundò, auctoritate Melchiadis Papę, can. enim *Spiritus Sanctus*, De consecrat. d. 5. dicit: *Quamuis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia: victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia*. At si de Confirmatione esset præceptum, non

non sufficerent morituris regenerationis beneficia, nam tale præceptum maximè obligaret in articulo mortis; ergo,&c.

Tertiò. Ad recipiendam Confirmationem non tenentur fideles præcepto diuino, vnde enim constat, cum in Euangelio non sit expressam, nec de hoc tradito extet? aut vnde colligitur, cum Confirmatio non sit de necessitate salutis, vt Baptismus; & Pœnitentia, nec finis aliorum Sacramentorum, sicut Eucharistia? Nec præcepto Ecclesiastico, nam Ecclesia non cogit, nec determinat tempus ad Confirmationis susceptionem; ergo nullo.

Hinc sequitur, per se loquendo nullum esse peccatum etiam veniale nolle confirmari: nam vbi nullum est pręceptum, nullum potest esse peccatum. Per accidens tamen peccatum mortale esse potest, si talis nolitio esset ex contemptu, vt colligitur ex D. Thom. hic ad 4. Sed obserua verum non esse, quod cum Paludano ait Syluester verbo *Confirmatio*, quęst. 2. tunc esse aliquem contemptorem huius Sacramenti, *Quando, habita sufficienti oportunitate, sine rationabili causa illud non suscipit*. Nam si hoc esset verum, etiam esset contemptor Eucharistiæ, qui nollet eam suscipere extra tempus paschatis, præsertim in aliqua magna solemnitate, in qua alij communiter eam suscipiunt; quod tamen falsum est. Tunc ergo censetur quis Confirmationem contemnere, quando illam nihil ęstimat,& rem puerilem, & parui momenti es-

se iudicat, & propterea eam suscipere non dignatur.

Ad 1. autem factum in principio respõdet Mag. Soto vbi supra: *Canon citatus, omnes fideles. non habet formam praecepti, sed solum determinat ius diuinum, quod est, vt non sit simpliciter necessarium, sed vtile.* Et hoc significat verbum illud, *debent*, non praeceptum. Quod & colligitur ex illo, quod subiungitur, *vt pleni Christiani inueniantur;* quod non necessitatis, sed maioris perfectionis, & vtilitatis est, ad quam nullus tenetur.

Ad 2. respondetur, effectum Confirmationis esse non quomodocunque confiteri fidem tempore persecutionis, sed particulari modo, *vt videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen*, vt dicitur in Concil. Florent. in Decreto Eugenij. Quamuis autem non confirmatus nõ cum tanto robore, & audacia confiteatur fidem, ac si esset confirmatus: ad salutem tamen sufficit absolute confiteri, & non negari fidem tempore persecutionis. Si tamen quis omnino crederet sibi imminere periculum deficiendi à fide, nisi hoc Sacramentum susciperet; tunc per accidens ratione propriae conscientiae esset peccatum mortale illud non suscipere, si haberetur oportunitas conferentis.

Ad 3. nonnulli totum concedunt: existimant enim peccatum mortale esse, suscipere Ordines praesertim maiores ante Confirmationem, hocque certius esse, si

quis

quis ordinaretur Episcopus: quia Episcopus tenetur alios confirmare, peccatum autem mortale est, vt non confirmatus alios confirmet. Sed M. Soto in 4. dist. 7. quæst. vnica a. 6. inquit: *Licet, vbi commodè fieri potest, aliqua sit culpa aliud quippiam Sacramentum sine Confirmatione suscipere non tamen est mortalis, nisi ex contemptu fiat.* Et art. 8. ait: *Sacros Ordines conferre nullus debet Episcopus, nisi confirmatis. Quamquam si oppositum fieret, asseuerare non auderem, esse peccatum mortale.* Illum sequuntur Nauarrus cap. 22. num. 9. & alij recentiores, qui & dicunt Episcopum non peccare mortaliter ordinando non confirmatum, aut etiam antequam ipse confirmatus sit, Confirmationem, aut Ordines conferendo. Et ad verba Concil. Trid. respondent, ibi nihil præcipi initiandis, sed præscribi Episcopis, quid facere debeant; quamuis nec stricta aliqua obligatio imponatur, quia nullum est verbum, quo strictum præceptum indicetur.

Circa artic. 9. & 10. nihil se offert dicendum.



AR

ARTICVLVS XI.

Vtrum solus Episcopus hoc Sacramentum conferre possit.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An simplex Sacerdos possit aliquando hoc Sacramentum conferre.

PArs negans probatur 1. ex verbis Eusebij Papæ, quæ habentur can. *Manus*, De consecrat dist. 5. *Manus quoque impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est: quod ab alijs perfici non potest nisi à summis Sacerdotibus: nec tempore Apostolorum ab alijs quam ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur peractum esse: nec ab alijs, quam, qui eorum tenent locum, vnquam perfici potest, aut fieri debet: Nam si aliter præsumptum fuerit irritum habeatur, & vacuum, & inter Ecclesiastica nunquam reputabitur Sacramenta.* Sed summi Sacerdotes, & qui Apostolorum tenent locum, sunt Episcopi, ergo nunquam nisi ab his potest perfici hoc Sacramentum.

Secundò. Non minus est de integritate Sacramenti minister, quam materia, & forma: sed sine materia, & forma institutis à Christo non potest perfici Sacramē-

tum;

tum; ergo nec sine ministro instituto à Christo. At minister huius Sacramenti institutus à Christo est Episcopus; ergo non nisi ab ipso; & non à simplici Sacerdote potest aliquando hoc Sacramentum conferri.

Tertiò, Si aliquando posset simplex Sacerdos hoc Sacramentum conferre, id esset ex commissione Papæ: sed ex hac non potest, ergo nullo modo. Minor probatur: Tum quia ex eadem commissione Papæ posset Diachonus Sacramentum hoc conferre. Tum etiam, quia Papa non habet maiorem potestatem in collatione Confirmationis, quam quilibet Episcopus; sed ex commissione proprij Episcopi non potest simplex Sacerdos Confirmationem conferre; ergo neque ex commissione Papæ.

Dicendum tamen est 1. Nunquam posse simplicem Sacerdotem ordinaria potestate hoc Sacramentum conferre, sed solum Episcopum. Oppositum huius docuit Vviclef, quem sequuntur hæretici nostri temporis. Sed nostra conclusio probatur 1. Ex Conc. Trid. sess. 7. can. de Confirmatione vbi diffinitur: *Si quis dixerit, Sãctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

Secundò. Ex Concil. Florent. in Decreto Eugenij, vbi de Confirmationis ministro dicitur: *Ordinarius minister est Episcopus. Et cum cæteras vnctiones simplex Sacerdos*

dos valent exhibere; hanc non nisi Episcopus debet conferre.

Tertiò, Ex D. Thom. hic dicente: *Et ideo collatio huius Sacramenti Episcopis reseruatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia.* Idem dicunt vniuersi Patres, & Theologi.

Dicendum est secundò. Aliquando, scilicet ex commissione Papæ, & per eius dispensationem, posse simplicem Sacerdotem hoc Sacramentũ Confirmationis conferre. Probatur ex verbis S. Greg. Papæ hic relatis à Diu. Thom. quæ habentur can. *Peruenit*, dist. 95. *Peruenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros tangere Chrismate eos, qui baptizati sunt prohibuimus: Et nos quidem secundum veterem vsum Ecclesiæ nostræ facimus: sed si omnino de hac re aliqui contristantur: vbi Episcopi desunt, vt Presbyteri etiam infantibus babtizatos Chrismate tangere debent, concedimus.*

Durandus in 4. dist. 7. qu. 4. num. 9. insinuat S. Gregor. id concedendo errasse. Sed hoc dici non potest, quia eius factum approbat Concil. Florent. in Decreto Eugenij dicens: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili vrgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Ex quo sequitur, nec etiam posse dici Presbyteros illos, quibus illud concessum est, fuisse Episcopos constitutos, saltem quantùm ad illum actum: Nam Concilium simplicem

Sacerdotem hoc Sacramentum administraſſe, aſſerit. Sequitur etiam, vt Pontifex licitè concedat talem facultatem, requiri iuſtam cauſam; ideo enim Concilium eius meminit. Si tamen abſque illa diſpenſaret, factum teneret, & facultas, ſi abſoluta eſſet, non expiraret morte Pontificis: quia gratiæ, & priuilegia conceſſa à ſuperioribus permanent etiam poſt illorum mortem, niſi à ſucceſſoribus reuocentur.

Ad 1. autem factum in principio reſpōdetur probare noſtram primam concluſionem: ſolus enim Epiſcopus eſt ordinarius miniſter huius Sacramenti, ſicque ſi ſimplex Sacerdos ordinaria poteſtate vellet illud conferre, nihil efficeret.

Ad 2. reſpondetur, Epiſcopum ex Chriſti inſtitutione eſſe miniſtrum ordinarium huius Sacramenti; ex eadem tamen habere ſimplicem Sacerdotem, vt aptus miniſter illius effici poſſit per commiſſionem Papæ: ſicut, & per iuriſdictionem ab Epiſcopo acceptam, efficitur idoneus miniſter Sacramenti pœnitentiæ.

Ad 3. reſpondetur negando minorem. Ad 1. probationem negandum eſt antecedens: quia nullum eſt fundamentum illud aſſerendi, & nunquam eſt in hoc cum non Sacerdote diſpenſatum, quod ſignum eſt, traditione acceptum eſſe, poſſe Pontificem cum Sacerdote diſpenſare, ideoque de facto diſpenſaſſe; non tamen poſſe cum Diachono, aut alio non Sacerdote. Ad 2 proba-

bationem respondetur cum D. Thom. hic ad 1. *Quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quadam, quæ sunt superiorum Ordinum committere inferioribus: sicut quibusdam Presbyteris concedit conferre Ordines minores. quod pertinet ad potestatem Episcopalem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit B. Greg. Papa, quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quandiu scandalum tolleretur.* Hanc autem plenitudinem potestatis non habent alij Episcopi: & ideo ex commissione eorum non potest simplex Sacerdos hoc Sacramentum conferre. Si quæras, an Sum. Pontifex rite electus, non tamen sacerdos, possit hanc facultatem simplici sacerdoti committere? Respondetur posse: nam licet ipse non possit confirmare, quia confirmatio est actus ordinis; potest tamen potestatem confirmandi simplici sacerdoti committere: quia ista commissio est solum actus iurisdictionis. Sicut Episcopus electus, & confirmatus à Papa, nondum ordinatus sacerdos, potest sacerdoti dare facultatem audiendi confessiones, quas ipse audire nequit.

Circa artic. 12. nihil se offert scribendum.

QVAE.

est proprius effectus Confirmationis. Sed hæc explicatio non videtur conformis D. Thom. Tum quia non constat, illos, de quibus loquitur 1. arg. qui scilicet ante Baptismum sunt fidem Christi publicè confessi, & pro illa sanguinem fuderunt, habuisse omnes explicitam notitiam Cõfirmationis, atque adeo votum explicitum illius. Tum etiam, quia vt indicat D. Thom. in solutione illius arg effectus confirmationis sine Sacramento non confertur nisi miraculosè, & ex speciali gratia; ergo non infallibiliter omnibus habentibus votum explicitum Confirmationis. Vnde melior est expositio Mag. Soto vbi supra, hoc non esse intelligẽdum de voto speciali, sed sufficere votum Baptismi, in quo implicite includitur votum Confirmationis: nam quamuis hæc nõ sit in præcepto, in voto tamen baptismi nõ solum includitur voluntas adimplendi ea, que sunt in præcepto, sed etiam faciendi ea, quæ communiter in Ecclesia fiunt à fidelibus, maximè vt prouecti sint, qualis est Cõfirmatio. Et quamuis nõ omnibus habentibus hoc votum implicitum Confirmationis detur effectus Confirmationis sine Sacramento, nullus tamen cõsequitur talem effectum sine tali voto implicito.

Circa art. 7. præter dicta supra q. 62. a. 1. nihil se offert dicendum.

AR-

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hoc Sacramentum sit omnibus exhibendum.

Conclusio est affirmans.

Dubium. *An omnes teneantur, saltem in aliquo casu, hoc Sacramentum suscipere.*

PArs affirmans probatur 1. nam in can. *Omnes*, De consecrat. d. 5. dicitur: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum, post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.* At verbum illud *debent*, significat preceptum: ergo, &c.

Secundò. Probatur saltem in casu persecutionis teneri fideles ad suscipiendam Confirmationem argumento Durandi in quarto, dist. 7. quæst. 1. numer. 6. Quando effectus est necessarius, & causa est necessaria: sed effectus Confirmationis scilicet confiteri fidem tempore persecutionis, est necessarius ad salutem cuilibet fideli; ergo, & Sacramentum Confirmationis est necessarium ad salutem in tali casu, si habeatur opportunitas conferentis.

Tertiò. Probatur ad id etiam teneri in casu, quo quis vult Ordines suscipere: nam

in

in Conc. Trid. sess.23. cap.4. dicitur: *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperunt*. Ergo tenentur Sacramentum suscipere Confirmationis antequam ordinentur.

Dicendum tamen est 1. Episcopos teneri ad confirmandos suos subditos. Probatur, nam ad id eos obligat illorum officiũ. Sunt etiam ministri quasi stipendiati decimis, quæ illis soluuntur; sicque tenentur inter alia, non solum ad confirmandos suos subditos, quando hoc Sacramentum ab eis petunt, sed etiam ad procurandum, vt omnes confirmentur, & ita in bonum spirituale promoueantur. Cui tamen obligationi satisfaciunt, si in suis visitationibus, ad hoc admoneant subditos, & accedentibus Sacramentum hoc ministrent.

An verò debeant illud paruulis nondum habentibus vsum rationis conferre, eorum prudentiæ relinquitur. Communiter id non expedit, vt docet Mag. Soto in 4. d.7. q. vnica, ar.8. con.2. & dicitur in Cathecismo Romano, p.2. cap.3. num.14. si tamen adsit rationabilis causa, vt si putant non tam citò habituros occasionem confirmãdi pueros, hosque diu sine confirmatione permansuros, aut sine illa morituros, possent, immo conuenientius esset, illos ante vsum rationis confirmare.

De amentibus, si lucidis gaudent interuallis, idem asserendum est, ac de paruulis: si enim adsit causa rationabilis confirmandi sunt, etiam in amentia; si vero talis

cau-

causa non adsit, expectandum est, vt lumine rationis fruantur. Si nati sunt perpetuo amentes, ait M. Soto vbi supra, non esse confirmandos, sicut nec infantes ante vsum rationis. Alij confirmandos esse dicunt, vt maiorem gratiam, & gloriam consequantur. Si aliquando habuerunt vsum rationis, nisi de eorum mala dispositione antequam inciderent in amentiam constet, confirmandi sunt,

De surdis, & mutis certum est confirmandos esse, cum possint fidem cognoscere, & profiteri saltem nutibus, & pro ea liberè fortiter pugnare, & vitam exponere.

Dicendum est secundo. Ad recipiendũ hoc Confirmationis Sacramentum neminem teneri sub præcepto per se, & directè adhoc obligante. Docent hoc communiter Theologi, præsertim Mag. Soto vbi supra post. 3. propo. vbi, & hoc colligit ex D. Thom. hic ad 4. glossat enim S. Doct. verbum Hugonis asserentis periculosum esse sine Confirmatione ab hac vita migrare, *Non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur*. Damnaretur autem, si sub præcepto teneretur.

Probatur secundò, auctoritate Melchiadis Papę, can. enim *Spiritus Sanctus*, De consecrat. d. 5. dicit: *Quamuis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia: victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia.* At si de Confirmatione esset præceptum, non

non sufficerent morituris regenerationis beneficia, nam tale præceptum maximè obligaret in articulo mortis; ergo, &c.

Tertiò. Ad recipiendam Confirmationem non tenentur fideles præcepto diuino, vnde enim constat, cum in Euangelio non sit expressum, nec de hoc tradito extet? aut vnde colligitur, cum Confirmatio non sit de necessitate salutis, vt Baptismus, & Pœnitentia, nec finis aliorum Sacramentorum, sicut Eucharistia? Nec præcepto Ecclesiastico, nam Ecclesia non cogit, nec determinat tempus ad Confirmationis susceptionem; ergo nullo.

Hinc sequitur, per se loquendo nullum esse peccatum etiam veniale nolle confirmari: nam vbi nullum est præceptum, nullum potest esse peccatum. Per accidens tamen peccatum mortale esse potest, si talis nolitio esset ex contemptu, vt colligitur ex D. Thom. hic ad 4. Sed obserua verum non esse, quod cum Paludano ait Syluester verbo *Confirmatio*, quæst. 2. tunc esse aliquem contemptorem huius Sacramenti, *Quando, habita sufficienti oportunitate, sine rationabili causa illud non suscipit*. Nam si hoc esset verum, etiam esset contemptor Eucharistiæ, qui nollet eam suscipere extra tempus paschatis, præsertim in aliqua magna solemnitate, in qua alij communiter eam suscipiunt; quod tamen falsum est. Tunc ergo censetur quis Confirmationem contemnere, quando illam nihil æstimat, & rem puerilem, & parui momenti esse

se iudicat, & propterea eam suscipere non dignatur.

Ad 1. autem factum in principio respõdet Mag. Soto vbi supra: *Canon citatus, omnes fideles. non habet formam præcepti, sed solum determinat ius diuinum, quod est, vt non sit simpliciter necessarium, sed vtile.* Et hoc significat verbum illud, *debent*, non præceptum. Quod & colligitur ex illo, quod subiungitur, *vt pleni Christiani inueniantur;* quod non necessitatis, sed maioris perfectionis, & vtilitatis est, ad quam nullus tenetur.

Ad 2. respondetur, effectum Confirmationis esse non quomodocunque confiteri fidem tempore persecutionis, sed particulari modo, *vt videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen*, vt dicitur in Concil. Florent. in Decreto Eugenij. Quamuis autem non confirmatus nõ cum tanto robore, & audacia confiteatur fidem, ac si esset confirmatus: ad salutem tamen sufficit absolute confiteri, & non negari fidem tempore persecutionis. Si tamen quis omnino crederet sibi imminere periculum deficiendi à fide, nisi hoc Sacramentum susciperet; tunc per accidens ratione propriæ conscientiæ esset peccatum mortale illud non suscipere, si haberetur oportunitas conferentis.

Ad 3. nonnulli totum concedunt: existimant enim peccatum mortale esse, suscipere Ordines præsertim maiores ante Confirmationem; hocque certius esse, si

quis

quis ordinaretur Episcopus: quia Episcopus tenetur alios confirmare, peccatum autem mortale est, vt non confirmatus alios confirmet. Sed M. Soto in 4. dist. 7. quæst. vnica a. 6. inquit: *Licet, vbi commodè fieri potest, aliqua sit culpa aliud quippiam Sacramentum sine Confirmatione suscipere non tamen est mortalis, nisi ex contemptu fiat*. Et art. 8. ait: *Sacros Ordines conferre nullus debet Episcopus, nisi confirmatis. Quamquam si oppositum fieret, asseuerare non auderem, esse peccatum mortale*. Illum sequantur Nauarrus cap. 22. num. 9. & alij recentiores, qui & dicunt Episcopum non peccare mortaliter ordinando non confirmatum, aut etiam antequam ipse confirmatus sit, Confirmationem, aut Ordines conferendo. Et ad verba Concil. Trid. respondent, ibi nihil præcipi initiandis, sed præscribi Episcopis, quid facere debeant; quamuis nec stricta aliqua obligatio imponatur, quia nullum est verbum, quo strictum præceptum indicetur.

Circa artic. 9. & 10. nihil se offert dicendum.



ARTICVLVS XI.

Vtrum solus Episcopus hoc Sacramentum conferre possit.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An simplex Sacerdos possit aliquando hoc Sacramentum conferre.

PArs negans probatur 1. ex verbis Eusebij Papæ, quæ habentur can. *Manus*, De consecrat dist. 5. *Manus quoque impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est: quod ab alijs perfici non potest nisi à summis Sacerdotibus: nec tempore Apostolorum ab alijs quam ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur peractum esse: nec ab alijs, quam, qui eorum tenent locum, vnquam perfici potest, aut fieri debet: Nam si aliter præsumptum fuerit irritum habeatur, & vacuum, & inter Ecclesiastica nunquam reputabitur Sacramenta.* Sed summi Sacerdotes, & qui Apostolorum tenent locum, sunt Episcopi, ergo nunquam nisi ab his potest perfici hoc Sacramentum.

Secundò. Non minus est de integritate Sacramenti minister, quam materia, & forma: sed sine materia, & forma institutis à Christo non potest perfici Sacramé-

tum;

tum; ergo nec sine ministro instituto à Christo. At minister huius Sacramenti institutus à Christo est Episcopus; ergo non nisi ab ipso, & non à simplici Sacerdote potest aliquando hoc Sacramentum conferri.

Tertiò. Si aliquando posset simplex Sacerdos hoc Sacramentum conferre, id esset ex commissione Papæ: sed ex hac non potest, ergo nullo modo. Minor probatur: Tum quia ex eadem commissione Papæ posset Diachonus Sacramentum hoc conferre. Tum etiam, quia Papa non habet maiorem potestatem in collatione Confirmationis, quam quilibet Episcopus; sed ex commissione proprij Episcopi non potest simplex Sacerdos Confirmationem conferre; ergo neque ex commissione Papæ.

Dicendum tamen est 1. Nunquam posse simplicem Sacerdotem ordinaria potestate hoc Sacramentum conferre, sed solum Episcopum. Oppositum huius docuit Vvicles, quem sequuntur hæretici nostri temporis. Sed nostra conclusio probatur 1. Ex Conc. Trid. sess. 7. can. de Confirmatione vbi diffinitur: *Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

Secundò. Ex Concil. Florent. in Decreto Eugenij, vbi de Confirmationis ministro dicitur: *Ordinarius minister est Episcopus. Et cum cæteras vnctiones simplex Sacerdos*

dos valent exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre.

Tertiò. Ex D. Thom. hic dicente: *Et ideo collatio huius Sacramenti Episcopis reseruatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia.* Idem dicunt vniuersi Patres, & Theologi.

Dicendum est secundò. Aliquando, scilicet ex commissione Papæ, & per eius dispensationem, posse simplicem Sacerdotem hoc Sacramentũ Confirmationis conferre. Probatur ex verbis S. Greg. Papæ hic relatis à Diu. Thom. quæ habentur can. *Peruenit*, dist. 95. *Peruenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros tangere Chrismate eos, qui baptizati sunt prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem vsum Ecclesiæ nostræ facimus: sed si omnino de hac re aliqui contristantur: vbi Episcopi desunt, vt Presbyteri etiam infantibus babtizatos Chrismate tangere debent, concedimus.*

Durandus in 4. dist. 7. qu. 4. num. 9. insinuat S. Gregor. id concedendo errasse. Sed hoc dici non potest, quia eius factum approbat Concil. Florent. in Decreto Eugenij dicens: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili vrgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Ex quo sequitur, nec etiam posse dici Presbyteros illos, quibus illud concessum est, fuisse Episcopos constitutos, saltem quantum ad illum actum: Nam Concilium, simplicem

Sacerdotem hoc Sacramentum administrasse, asserit. Sequitur etiam, vt Pontifex licitè concedat talem facultatem, requiri iustam causam; ideo enim Concilium eius meminit. Si tamen absque illa dispensaret, factum teneret, & facultas, si absoluta esset, non expiraret morte Pontificis: quia gratiæ, & priuilegia concessa à superioribus permanent etiam post illorum mortem, nisi à successoribus reuocentur.

Ad 1. autem factum in principio respõdetur probare nostram primam conclusionem: solus enim Episcopus est ordinarius minister huius Sacramenti, sicque si simplex Sacerdos ordinaria potestate vellet illud conferre, nihil efficeret.

Ad 2. respondetur, Episcopum ex Christi institutione esse ministrum ordinarium huius Sacramenti; ex eadem tamen habere simplicem Sacerdotem, vt aptus minister illius effici possit per commissionem Papæ: sicut, & per iurisdictionem ab Episcopo acceptam, efficitur idoneus minister Sacramenti pœnitentiæ.

Ad 3. respondetur negando minorem. Ad 1. probationem negandum est antecedens: quia nullum est fundamentum illud asserendi, & nunquam est in hoc cum non Sacerdote dispensatum, quod signum est, traditione acceptum esse, posse Pontificem cum Sacerdote dispensare, ideoque de facto dispensasse; non tamen posse cum Diachono, aut alio non Sacerdote. Ad 2 proba-

bationem respondetur cum D. Thom. hic ad 1. *Quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quadam, qua sunt superiorum Ordinum committere inferioribus: sicut quibusdam Presbyteris concedit conferre Ordines minores. quod pertinet ad potestatem Episcopalem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit B. Greg. Papa, quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quandiu scandalum tolleretur.* Hanc autem plenitudinem potestatis non habent alij Episcopi: & ideo ex commissione eorum non potest simplex Sacerdos hoc Sacramentum conferre. Si quæras, an Sum. Pontifex rite electus, non tamen sacerdos, possit hanc facultatem simplici sacerdoti committere? Respondetur posse: nam licet ipse non possit confirmare, quia confirmatio est actus ordinis; potest tamen potestatem confirmandi simplici sacerdoti committere: quia ista commissio est solum actus iurisdictionis. Sicut Episcopus electus, & confirmatus à Papa, nondum ordinatus sacerdos, potest sacerdoti dare facultatem audiendi confessiones, quas ipse audire nequit.

Circa artic. 12. nihil se offert scribendum.

QVAE.

QVAESTIO LXXIII.

DE SACRAMENTO *Eucharistia secundum se.*

ARTICVLVS I.

Vtrum Eucharistiæ sit Sacramentum.

Conclusio est affirmans.

Dubium. Pro quo supponat, vel in quo essentialiter consistat Sacramentum Eucharistiæ.

QVidam existimant, hoc Sacramentum, non solum supponere pro speciebus consecratis, sed etiam pro corpore, & sanguine Christi, in hisque omnibus essentialiter consistere. Probant 1. ex D. Thom. in 4. dist. 8. quæst. 1. ar. 1. quæstiuncula 1 ad 2. vbi ait: *Ex speciebus, & corpore Christi fit vnum Sacramentum.*

Secundò. Hoc Sacramentum secundum se est adorandum vero cultu latriæ, vt docet Concil. Trident. sess. 13. cap 5. atqui species, etiam cum habitudine ad corpus Christi presens, considera tæ, prout distin-

ctæ à Christo, non debent adorari latria, quia, vt sepe docet 7. Synodus, hac nec imagines, nec crux Christi, nec res vlla distincta adorari potest, sed solus Deus: ergo species solę non sunt Sacramentum.

Tertiò. Hoc Sacramentum est verum conuiuium, & per modum refectionis causat in nobis gratiam: atqui hoc non possunt facere species, nisi quatenus includunt corpus Christi, quia scriptura omnem hunc effectum totaliter tribuit corpori, & sanguini Christi; ergo non constituunt hoc Sacramentum, nisi quatenus illud includunt.

Quartò. Hæc simul sumpta constituũt vnum perfectum signum causatiuum gratiæ; ergo vnum Sacramentum, quia hoc nihil aliud est, quam signum practicum gratiæ. Antecedens probatur, quia illa significant perfectè refectionem animæ, & vnionem cum Christo per gratiam, & realé ipsius corporis susceptionem, hæcque significant per modum vnius, quia pendét à se mutuo in essendo, & significando: nam nec species ibi ita à Deo conseruarentur, nec possent significare supradicta, nisi continerent corpus Christi: nec hoc ibi hoc modo potest perseuerare, esse, aut habere rationem signi sensibilis, statim, ac species corrumpuntur.

Quinto. Hoc Sacramentum conficitur per verba consecrationis, & ex pane tanquam ex materia: atqui neutrum conuenit solis speciebus, etiam ratione habitudi-

nis ad præsentiam Christi, nam ad relationem non datur actio, sed ipsa resultat posita præsentia Christi per consecrationem; ergo solæ species non constituunt hoc Sacramentum, sed vna cum corpore, & sanguine Christi.

Dicendum tamen est 1. Corpus, & sanguinem Christi neque esse Sacramentum Eucharistiæ, neque partem intrinsecam, & essentialem illud componentem. Probatur 1. ex Concil. Trid. sess. 13 can. 1 & seq. vbi dicitur corpus, & sanguinem Christi contineri in Eucharistiæ Sacramento: sed quod continetur in Sacramento, non est ipsum Sacramentum, nec pars intrinseca illius; ergo, &c. Ad hoc dupliciter respondent predicti auctores. Primo ibi accipi Sacramentum incompletè, & latiori modo, prout significat solum externum signũ rei sacrę distinctum à re significata. Secundo corpus, & sanguinem Christi contineri in hoc Sacramento, sicut partem in toto, vt continetur anima in homine. Sed vtraque solutio insufficiens, & falsa est. Prima quidem, nam vt ibidem c. 3 ait Conciliũ, *Cõmune hoc est sanctissimæ Eucharistiæ cũ cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ formam visibilem.* At cætera Sacramenta, & Sacramentum in communi, cum accipiuntur pro signo externo rei sacræ distincto à re significata, non accipiuntur incompletè, & latiori modo, sed completè, & strictè, ac propriè; ergo, & Sacramentum Eucharistię. Secunda etiam, quia

quia pars in toto non continetur sacramétaliter, hoc enim modo non continetur anima in homine, nec materia, & forma Sacramenti in Sacramento: sed corpus, & sanguis Christi in hoc Sacramentaliter continentur, vt colligitur ex eodem Concilio ibidem can. 8. ergo non continentur in eo, sicut pars in toto.

Secundò. Omnia Sacramenta secundum se tota, & omnes eorum partes intrinsecas sunt quædam Dei instrumenta separata; sed corpus, & sanguis Christi non sunt instrumenta separata, sed coniuncta diuinitati; ergo neque sunt Sacramentum Eucharistiæ, neque pars intrinseca illius.

Tertiò. Quia corpus, & sanguis Christi in Eucharistia sunt res, & Sacramentum simul, vt constat ex can. *Hoc est*, de consecratione dist. 2. & docet D Thom hic ad 3. & art 6. sed in aliis Sacramentis, quod est res, & Sacramentum simul, est quid distinctum ab eo, quod est Sacramentum tantum, & non est pars intrinseca illius, vt patet in caractere Baptismi, Confirmationis, & Ordinis; ergo, & in Eucharistia.

Dicendum est 2. Sacramentum Eucharistiæ supponere pro speciebus consecratis. Docent hoc communiter discipuli D. Tho. præsertim M. Soto in 4. d. 8. q. vnica, art. 1. ad cuius finem ait: *Sicut Sacramentum Baptismi supponit pro materiali ablutione determinata per formam, quatenus est in fieri: ita Sacramentum Eucharistiæ supponit pro materialibus speciebus consecratis per formam, quatenus*

nus permanenter continent corpus, &c.
Probatur 1. nam illam expresse docet D. Thom. hic ar.6 dicens: *In hoc Sacramento tria considerare possumus, scilicet id, quod est Sacramentum tantum, quod est panis, & vinum &c.* Confirmatur, nam eadem docet M.Sent.in 4.dist.8.dum ait: *Forma panis, & vini, quae ibi videtur, est Sacramentum.*

Secundò. Sacramentum est signum rei sacrae, species consecratae sunt huiusmodi, nam significant gratiam, vt cibantem hominem, & species panis significant corpus Christi, eiusque carnem, quae verè est cibus, & species vini significant Christi sanguinem, qui verè est potus, vt dicitur Io. 6. v.55. ergo in ipsis consistit, & pro eis supponit hoc Sacramentum. Si dicas, sacramentum esse signum practicum efficiens, quod significat, & species consecratas non efficere corpus, & sanguinem Christi. Contra hoc est, nam de ratione Sacramenti non est efficere omne, quod significat; nam significat passionem Christi, quã tamen non efficit; sed satis est, vt causet id quod significat recipiendum in susciepinte tanquam in subiecto. Vt autem hic ad 3. ait D.Thom. haec est differentia inter Eucharistiam, & alia Sacramenta: *Nam in Sacramẽto Eucharistiae, id quod est res, & sacramentum, est in ipsa materia; id autem quod est res tantum est in suscipiente, scilicet gratia, quae confertur: in Baptismo autem vtrumque est in suscipiente, scilicet character, qui est res, & Sacramentum, & gratia remissionis peccatorum,*

rum, quæ est res tantum. Et eadem est ratio de alijs Sacramentis. Ergo licet Baptismus, & alia Sacramenta non solum causent, quod est res tantum, sed etiam quod est res, & Sacramentum: Eucharistia tamen non causat, quod est res, & Sacramentum scilicet corpus, & sanguinem Christi, sed solum quod est res tantum, scilicet gratiam cibātem hominem. Cumque hanc causent species consecratæ, hoc sufficit, vt hæ sint Sacramentum Eucharistię, & non requiritur, vt causent corpus, & sanguinem Christi: nam vt ait D.Thom.in 4.d 8. quæst. 1. art.1.q.1.ad 2. *Sicut in alijs sacramentis materiale elementum non est causa virtutis, quæ in ipso est: ita in hoc sacramento species non sunt causa corporis Christi*.

Tertio. Sacramentum Eucharistiæ non supponit pro corpore, & sanguine Christi. vt patet ex præced. con. Nec pro verbis consecrationis, nam hæc transeunt, hoc verò sacramentum permanet. Nec pro ipsa consecratione, *quæ in transubstantiatione consistit*, vt ait D.Thom.infra q.78. ar. 1. nam talis actio non est sensibilis. Nec pro sumptione, nam hæc sppponit Sacramentum iam confectum, & solum est illius applicatio, & conditio, vt causet gratiam in homine. Supponit ergo pro speciebus cōsecratis, quæ eo ipso, ac tales sunt, ordinem dicunt continentis ad contentum ad corpus, & sanguinem Christi: sicque hæc licet non pertineant in recto ad hoc Sacramentum, pertinent tamen ad illud in ob-

liquo, quatenus continentur in illo:

Ad 1. vero factum in principio respondetur, Diu. Thom. ibi solum asserere ex speciebus, & corpore Christi fieri vnum Sacramentum: *Sicut in alijs sacramentis ex elemento, & virtute quasi vnum efficitur*. Vnde sicut in alijs Sacramentis virtus, per quam eleuantur, non est sacramentum, nec pars intrinseca componens illud, nec ad illud pertinet in recto, sed in obliquo: ita & in hoc sacramento corpus Christi, solum enim ad hoc sacramentum pertinet, quatenus continetur in illo; sicque non oportet, vt videatur: nam vt ibidem ad 3. inquit D. Tho. *Omne sacramentum est visibile, non tamen oportet, quod quicquid est in sacramento, sit visibile*. Quibus verbis indicat apertè S. Doctor corpus Christi, cũ non sit visibile, non esse sacramentum, nec partem intrinsecam sacramenti.

Ad 2. respondetur 1. Cum dicitur in Concil. Trident. hoc sacramentum adorari cultu latriæ, ibi accipi continens pro contento, sacramentum scilicet pro Christo in eo contento. Vnde cum doctrina illa reducitur ad diffinitionem, sic proponitur can. 6. *Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum vnigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum: anathema sit*. Respondetur secundo negando minorem: supra enim quæst. 25. artic. 3. & 4. ostendimus cum D. Tho. imaginem, & crucem Christi adorandas esse adoratione latriæ, explicuimusque doctrinam septimæ

mæ Synodi: & eadem est ratio de speciebus sacramentalibus, adorari enim possunt adoratione latriæ, quia realiter continent Christum. De vase, in quo reseruatur Sacramentum diuersa est ratio, quia non immediatè continet corpus Christi, sed medijs speciebus consecratis.

Ad 3. respondetur cōcedendo maiorem, & minorem: nam vt ait D. Th. in 4 dist 8. q. 1. art. 1. quæstiuncula 1. ad 2. *Species non sunt causa alicuius effectus in anima spiritualis, nisi mediante corpore Christi vero.* Distinguendo tamen consequens; ergo species non sunt sacramentum, nisi quatenus corpus Christi includunt, sicut materia includit formam; qua informatur, tanquam compartem, cum qua vnum componit Sacramentum, nego consequentiam; corpus enim Christi non est forma sacramenti Eucharistiæ, sed vt ait Concil. Florentin. in Decreto Eugenij, *Forma huius sacramenti sunt verba saluatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum.* Nisi quatenus includunt corpus Christi, vt continentes illud sacramentaliter, concedo consequentiam. Ex hoc tamen non sequitur, corpus Christi pertinere ad hoc sacramentum in recto tanquam componens illud, sed solum in obliquo, quatenus sacramentum, consistens essentialiter in speciebus consecratis, dicit ordinem ad illud tanquam sub eo contentum.

Ad 4 respondetur negando antecedens; nam Sacramentum debet esse signum visi-

bile; aut sensibile: cum autem corpus Christi non sit in hoc sacramento sensibiliter, non constituit cum speciebus vnum perfectum signum, quod sit Sacramentum tanquam pars intrinseca illius, nam quod non est sensibile, non potest esse pars signi sensibilis. Ad probationem dico, solas species consecratas significare illa tanquam signū simpliciter, quale est quod est sacramentum tantum; corpus verò, & sanguinem Christi illa significare tanquam signum secundum quid, quale est, quod est res, & sacramentum simul. Vnde sicut Baptismus non componitur ex ablutione, & charactere, qui est res, & sacramentum simul, sed solum supponit pro ablutione sub præscripta forma verborum, in eaque sola essentialiter consistit: ita Eucharistia non componitur ex speciebus, & corpore, ac sanguine Christi; sed solum supponit pro speciebus consecratis; in illisque essentialiter consistit dumtaxat, & ex illis, & corpore, & sanguine Christi solum vnum efficitur, sicut ex continente, & contento.

Ad 5. respondetur, hoc sacramentum confici per verba consecrationis, quia per illa conuertitur substantia panis in corpus Christi, sicque hoc continent species panis, & fiunt species consecratę, ac proinde sacramentum. Vnde actio, qua conficitur hoc sacramentum, non terminatur per se ad relationem, sed ad consecrandas species per transubstantiationem, & efficiendas illas ex continentibus substantiam panis cō-

tinen-

tinentes corpus Christi, ex quo resultat relatio ad corpus Christi præsens.

ARTICVLVS II.

Vtrum hoc Sacramentum sit vnum, vel plura.

Conclusio est: *Hoc Sacramentum multa quidem est materialiter, sed vnum formaliter, & perfectiuè.*

Dubium. Quam vnitatem habeat hoc Eucharistiæ Sacramentum.

QVidam non solam specificam, sed etiã numericam, & indiuidualem vnitatem habere existimant, sicque in Ecclesia non esse nisi vnum numero Sacramentum Eucharistiæ. Probant 1. quia multorum est opinio, non dari in Ecclesia nisi vnum numero sacrificium Eucharistiæ: sed eadem est ratio de Sacramento eiusdem Eucharistiæ; ergo, &c.

Secundò. Si filius Dei assumeret diuersas humanitates, vnus esset homo numero: & si idem homo esset in diuersis locis, & haberet diuersas albedines, esset idem album; ergo cum idem Christus subsistat sub diuersis speciebus sacramentalibus, idem erit sacramentum numero.

Dicendum tamen est 1. Sacramentum Eucharistiæ vnitatem specificam habere; non tamen numericam, & indiuidualem, ita vt non nisi vnum numero sit in Ecclesia. Primam partem docent omnes Theologi, certam etiam esse constat, nam concilia, & Patres, fidelesque vniuersi hoc Sacramentum vnum ex septem Ecclesiæ Sacramentis esse dicunt; ergo aliquam vnitatem saltem specificam debet habere.

Secunda pars probatur 1. vbi sunt plures materiæ, & formæ Sacramenti numero distinctæ, plura numero Sacramenta esse oportet, ideo namque sunt plura numero baptismata, quia numero multiplicantur ablutiones, & formæ: sed in Ecclesia sunt plures numero materiæ, & formæ Eucharistiæ, vt patet quando plures Sacerdotes celebrant; ergo plura numero sacramenta Eucharistiæ.

Secundò. Sacramentum hoc supponit pro speciebus consecratis, in illisque essentialiter consistit, vt ostendimus art. præced. sed species consecratę Valentiæ existentes non sunt eædem numero, cum existentibus Romę, vt patet, alias eædem essent in duobus locis adæquatis, & in vno desinerent esse, & in alio permanerent; ergo nec est idem numero Sacramentum Eucharistiæ.

Dicendum est secundo. Vnitatem specificam Eucharistiæ sumi ex vnitate refectionis spiritualis, quam respicit, & ad quā ordinatur; vnitatem verò, aut diuersita-

te m

tem numericam huius Sacramenti non solum sumi ab vnitate, vel diuersitate numerica refectionis spiritualis, sed etiam consecrationis, qua conficitur. Primam partem docet D.Thom. hic dicens: *Hoc Sacramentum dicitur vnum: ordinatur enim ad spiritualem refectionem*.

Probatur deinde, hoc Sacramentum licet sit multa materialiter, & incomplete, quia constat ex diuersis speciebus, panis, scilicet, & vini, quarum quælibet est Sacramentum incompletum; est tamen vnum formaliter,& completiuè,vt hic docet D.Thom. quia completur, & integratur ex prædictis speciebus quasi ex partibus integralibus, ex illisque fit vnum integrum, & totale Sacramentum, & componitur, quasi quoddam totum artificiale sicut domus integratur, & componitur ex suis partibus: sed vnitas specifica huius totius integralis, & compositi quasi artificialis non sumitur ex aliqua vnione partium in ratione actus, & potentiæ, nam nec species panis habent rationem actus, & potentiæ respectu specierum vini,nec species vini respectu specierum panis; ergo ex vnitate refectionis spiritualis, quam respicit, & ad quam ordinatur. Quam licet species panis significent,& efficiant; non tamen totaliter,sed per modum cibi: & quamuis species vini significent,& efficiant eandem, non tamen totaliter, sed per modum potus. Integrum verò Sacramentum illam significat, & efficit totaliter, per modum

scilicet cibi, & potus, quę sunt duo, quæ ad illam concurrunt, & requiruntur.

Secunda pars explicatur, & probatur: hoc enim sacramentum duobus modis cōsiderari potest. Primò ex parte conficientis illud, & secundum se: & hoc modo vnitatem, vel diuersitatem numericam habet ratione consecretionis, qua conficitur: vnum est enim Sacramentum, quod vna consecratione conficitur, cū sit in eo vnica materia, & forma; plura verò sacramenta numero sunt, quæ pluribus consecrationibus efficiuntur eiusdem, aut plurium Sacerdotum, cum in eis plures sint materiæ, & formę. Secundò ex parte suscipientis, & quantum ad vsum Sacramenti: & hoc modo vnitatem, vel diuersitatem numericam habet ratione sumptionis, & refectionis; vnum enim numero Sacramentum est, quod semel sumitur ab vno, etiam si plures hostias cōsecratas à pluribus sumat; plura vero sacramenta, quæ à pluribus sumuntur, etiam si vna hostia in plures particulas diuidatur, diuisa namque, & sumpta à pluribus plura sacramenta efficitur; non secus, ac aqua contenta in aliquo vase, quamuis vna sit, eo tamen ipso, ac diuiditur, & in diuersis vasibus collocatur, vel à pluribus sumitur, plures efficitur: & vna domus eo ipso, ac diuiditur, & à pluribus habitatur, plures domus efficitur. Est Sacramentum Eucharistiæ conuiuium, iuxta illud Isaiæ 25. vers. 6. *Faciet Dominus conuiuium &c.* & Cœna, iuxta illud 1. ad Cor.

11. ver. 20. *Dominicam Cœnam manducare*. Conuiuium autem, & cœna ex parte facientis, & secundum se vnitatem, aut diuersitatem numericam habet ratione confectionis: cum enim semel fit, etiamsi pluribus fiat, vnum conuiuium, & vna cœna est; cum vero bis, aut pluries fit, siue fiat vni, siue pluribus, plura conuiuia, & plures cœnæ sunt. Ex parte autem suscipientis, & quantum ad vsum illius vna cœna est, quæ ab vno semel suscipitur, & qua vnus semel reficitur; plures verò quas plures, vel vnus pluries suscipiunt, & quibus pluries reficiuntur: non enim cœna, qua in eodem principis conuiuio reficitur vnus, est cœna, qua reficitur alius, sed ab ea diuersa. Idem ergo est de Sacramento Eucharistiæ: quamuis enim Sacerdos plures consecret hostias, vnum sacramentum efficit, vnumque perseuerat, quousque distribuantur; eo autem ipso, ac in plures suscipientes distribuuntur, plura sacramenta efficiuntur: idemque contingit, cum vna hostia in plures particulas diuiditur, quæ a pluribus assumuntur.

Ad 1. autem factum in principio respondetur, quicquid sit de illa opinione, de qua infra q. 83. art. 1. dub. 1. ad 3 non esse eandem rationem de Sacramento, ac de sacrificio: nam sacramentum supponit pro materia determinata per formam; sicque vbi sunt diuersæ numero materiæ, & formæ, plura sacramenta esse debent: sacrificium

ciuin verò non supponit pro aliqua materia, & forma, sed pro oblatione, quæ licet materialiter sit diuersa propter diuersitatem sacerdotum offerentium, & modorum offerendi; formaliter tamen vna est propter vnitatem rei oblatæ, & principalis offerentis scilicet Christi.

Ad secundum respondetur negando consequentiam: quia in casibus antecedentis vnitas numerica sumeretur ab vnitate suppositi, per cuius subsistentiam subsisterent illæ humanitates, & albedines; in casu vero consequentis species sacramentales non subsistunt per subsistentiam Christi, sicque ab vnitate suppositi Christi, non potest sumi vnitas numerica sacramenti: sicut nec vnitas numerica loci sumeretur ab vnitate existentis in illo, si per impossibile idem homo esset in diuersis locis.



AR-

ARTICVLVS III.

Vtrum Eucharistia sit de necessitate salutis.

Conclusio est negans.

Dubium. An Eucharistia, saltem in voto, sit medium necessarium ad salutem.

DVæ sunt de hac re Doctorum sententiæ. Prima est negans, quæ probatur 1. Eucharistia non habet pro effectu primam gratiam, & remissionem peccatorum, sed hanc per se loquendo præsupponit; ergo non est medium necessarium ad salutem etiam in voto. Consequentia patet, nam id, sine quo potest haberi gratia, & remissio peccatorum, quale est illud, quod eam præsupponit, & non habet eam pro effectu, non est de necessitate salutis, etiam in voto, nam ex tali voto solum habetur eius effectus, non id quod præsupponit. Antecedens probatur, prima gratia, & remissio peccatorum est effectus baptismi, ergo non Eucharistiæ, nam hæc baptismum præsupponit, & eundem effectum non possunt duo sacramenta habere.

Secundò. Gratiam amissam post baptismum, & gloriam etiam potest aliquis

ha-

habere ſine Euchariſtia, aut voto ipſius; ergo, & ſalutem, tam primam, quam ſecundam, ac proinde Euchariſtia etiam in voto non erit medium neceſſarium ad ſalutem. Antecedens probatur, ſi quis morti proximus poſt aſſumptum viaticum peccet mortaliter, etiam ſi non recipiat Euchariſtiam, nec habeat voluntatem eam recipiendi, ſed potius propoſitum non communicandi, ac recipiendi viaticum, cum quo non ſtat votum etiam implicitum ſuſcipiendi Euchariſtiã, poteſt per ſacramentum Pœnitentiæ iuſtificari, & gratiam habere, obtinereque gloriam poſt mortem; ergo, &c.

Secunda ſententia eſt affirmans, quæ probatur 1. ex D.Thom. hic enim ait: *Res huius ſacramenti eſt vnitas corporis myſtici, ſine qua non poteſt eſſe ſalus.* Sed rem ſacramenti nullus habere poteſt ſine ſacramento, aut voto ipſius; ergo nec ſalutem ſine Euchariſtia ſaltem in voto. Quod & aſſerit S.D. infra q.79. art.1. ad 1. dicens: *Hoc ſacramentum ex ſe ipſo virtutem habet gratiam conferendi, nec aliquis habet gratiam ante ſuſceptionem huius ſacramenti, vel niſi in aliquo voto ipſius, vel per ſe ipſum ſicut adulti, vel voto Eccleſiæ ſicut paruuli, ſicut ſupradictum eſt.* Scilicet in hoc articulo.

Secundò, Euchariſtia, vt hic docet D. Thom. eſt omnium ſacramentorum finis, omniaque alia ſacramenta ſunt media reſpectu illius, ad illamque ordinantur, vt dignius ſuſcipiatur, & excellentiori modo ha-

habeat suum effectum, vel conseruetur illius effectus: sed finis est causa appositionis mediorum, & effectuum illorum, si nõ in executione, saltem in intentione; ergo Eucharistia saltem in voto, & intentione, in genere causæ finalis operatur omnium sacramentorum effectus, quos alia sacramenta in genere causæ efficientis causant; ac proinde, sicut nonnulla ex alijs sacramentis, propter effectus, quos causant, sunt simpliciter necessaria necessitate medij ad primam salutem, vt patet in baptismo, & Pœnitentia: ita & Eucharistia saltem in voto.

Dicendum tamen est primò. Realem susceptionem Eucharistiæ non esse mediũ simpliciter necessarium ad salutem. In hoc omnes conueniunt. De paruulis patet ex diffinitione Conc. Trid. sess. 21. can. 4. *Si quis dixerit, paruulis antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; anathema sit.* Cuius ratio redditur ibidem cap. 4. *Siquidem per baptismum lauacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt.*

De adultis etiam probatur; nam quamuis gratiam baptismalem possint amittere, ante realem tamen susceptionem Eucharistiæ iustificari possunt per contritionem, & sacramentum Pœnitentiæ, qui si statim sic iustificati moriantur, antequam possint Eucharistiam recipere, absque dubio saluabuntur, & gloriam consequentur.

Di-

Dicendum est secundò. Neque votum realis susceptionis Euchiristiæ esse simpliciter medium necessarium ad salutem. Probant hoc argumenta primæ sententiæ. Nec satisfacit, quod aliqui ex auctoribus secundæ sentent. dicunt, in illo casu, si homo sit certus se peccasse mortaliter, sicuti tenetur iterum confiteri, ita teneri iterum sumere viaticũ. excusari tamen ab isto præcepto regulariter, quia sequitur scandalum ex tali communione. Contra hoc enim est: nam Ecclesia non solet morti proximis his viaticum conferre, etiam quocunque scandalo secluso, & nullus confessarius obligat huiusmodi, qui post viaticum peccauerunt, vt iterum sumant viaticum, si possunt sine scandalo.

Probatur deinde, quando aliquid non est simpliciter necessarium ad salutem, voluntas eius non est de necessitate salutis, vt patet in voluntate profitendi Religionem, & adimplendi consilia: sed talis susceptio Eucharistiæ non est simpliciter necessaria ad salutem, vt con. preced. probatum est: ergo neque votum, seu voluntas talis receptionis.

Dicendum est tertiò. Receptionem mysticã, & spiritualem Eucharistiæ, eiusque votum esse de necessitate salutis. Probant hoc argumenta secundæ sententiæ, de ista enim loquitur D. Thom. hic namq; ad 1. de hac mystica, & spirituali receptione explicat verba Christi Ioan. 6. v. 53. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & bibe-*

ritis

ritis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quæ etiam explicans in quarto, distinct. 9. quæst. 1. artic. 1. quæstiuncula 2. ad 1. ait: *Dominus loquitur de manducatione spirituali, sine qua non potest esse salus*. Vnde cum hic in corp. dicit, vnitatem corporis mystici, sine qua non potest esse salus, esse rem huius sacramenti, intelligendus est de hoc sacramento non in re, & sacramentaliter suscepto efficienter producente suum effectum, qui est res illius, vt sic; sed mysticè, & spiritualiter suscepto, vt est finis omnium sacramentorum.

Consistit autem huiusmodi mystica, & spiritualis susceptio Eucharistiæ in incorporatione cum Christo. Vnde S. Aug. tract. 26. in Ioan. ait: *Hoc est manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere*. Cumque per Baptismū incorporemur Christo, realis susceptio baptismi (& idem est de alijs Sacramentis) spiritualem susceptionem Eucharistiæ includit, & voluntas recipiendi baptismum in re, & sacramentaliter, siue sit propria, vt in adultis, siue sit Ecclesiæ, vt in paruulis, includit votum, seu voluntatem recipiendi Eucharistiam mysticè, & spiritualiter: nam est voluntas cuiusdam inchoationis, quæ ex sua natura ordinatur ad perfectionem, & finem, sicque includit voluntatem talis perfectionis, & finis, qui non est alius, quam Eucharistia spiritualiter sumpta per votum, & desiderium, sicut & finis habetur in desiderio, & intentione.

Ex

Ex quo fit, susceptionem spiritualem Eucharistiæ,eiusque votum causam esse eiusdem effectus, cuius est causa susceptio sacramentalis Baptismi; non tamen eodem modo: nam baptismus in re susceptus est causa efficiens instrumentalis illius;Eucharistia vero spiritualiter suscepta est causa finalis, & vniuersalis illius.

Nec satisfacit, quod afferunt aliqui ex Auctoribus primæ sententiæ, cum dicitur Eucharistiam esse finem omnium sacramentorum, sicque necessariam in voto ad salutem, intelligendum esse de Christo cõtento in Eucharistia, non de ipso Eucharistiæ Sacramento in speciebus panis, & vini consecratis. Contra hoc enim est: nam eo ipso, ac Christus contentus in Eucharistia est finis sacramentorum, etiam ipsum sacramentum, vt continet realiter Christum, est eorundem sacramentorum finis. Est namque communis doctrina, cũ Deus secundum se sit finis omnium, quodcumq; in quo est speciali modo, habere etiam rationem finis respectu eorum, quæ ad Deũ, vt est in illo,ordinantur tanquam ad finem. Vnde sicut, quia Deus erat in Christo homine speciali modo, per vnionem scilicet hypostaticam, Christus, vt homo finis est omnium, quæ ordinantur in Deum, vt est in natura assumpta, propter quod in Conc. Trid. sess.6.cap.7. dicitur causam finalem iustificationis nostræ esse gloriam Dei, & Christi: ita quia Christus Deus, & homo speciali modo est in Sacramento Euchari-

stiæ, hoc sacramentum, vt realiter continet Christum, finis est omnium sacramentorum, & vt spiritualiter susceptum, tanquã finis, necessarium est ad salutem, ad perseuerandum in gratia, & gloriam consequendam.

Ad argumenta primæ, & secundæ sententiæ non opus est respondere: nam argumenta primæ probant nostram 2. con. argumenta verò secundæ probant tertiam conclus.

Circa articulum 4. nihil se offert dicendum.

ARTICVLVS V.

Vtrum institutio huius Sacramenti fuerit conueniens.

Conclusio est affirmans.

Dubium. Quando instituerit Christus hoc Sacramentum.

IN Cœna, in qua Christus vltimo cum suis Discipulis fuit conuersatus, institutum fuisse hoc sacramentum, docet *D.* Thom. hic, asseriturque in Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. & constat manifeste ex Euãgelio Matth. 26. v. 26. Marci 14. v. 22. & Luc. 22. v. 16. Vnde de hoc non est dubium. Est

tamen magna disceptatio inter Latinos, & Græcos de die, quo Christus talem cœnam celebrauit.

Græci, vt suum ritum, & sententiam de confectione Eucharistiæ in pane fermentato tueantur, asserunt, Christum cœnam illam celebrasse, non die, aut luna 14. primi mensis, nam tunc non licebat Iudæis comedere fermentatum, vt patet Exodi 12. v. 18. sed die, aut luna 13. quo tempore Iudæi non azymis, sed fermentatis panibus vtebantur.

Probant 1. Christus cœnam illam celebrauit, *Ante diem festum Paschæ*, vt Ioan 13. v. 1. dicitur; sed dies festus Paschæ erat 14. mensis primi; ergo cœnam illam celebrauit Christus, non die, aut luna 14. sed ante illam, die scilicet, aut luna 13.

Secundò, Christus hoc sacramentum instituit pridie, quam pateretur: sed passus est die, aut luna 14. ergo hoc sacramentum, instituit die, aut luna 13. Minor probatur nam vt dicitur Ioan. 18. v. 28. in die Passionis Domini Iudæi, *Non intrauerunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*. Hoc est, agnum paschalem; ergo illa die à Iudæis manducabatur. At agnus Paschalis manducabatur à Iudæis die, aut luna 14. ad vesperam, iuxta præceptum Domini Exodi 12. v. 6. ergo Christus die, aut luna 14. est passus.

Tertiò, Christus non est passus die, aut luna 15. ergo 14. ac proinde luna, aut die 13. hoc sacramentum instituit. Antecedens

dens probatur, dies 15. erat solemnis, & festus, in quo nihil operis licebat facere. *Exceptis his, quæ ad vescendum pertinent*, vt patet Exodi 12. v. 16. Sed dies, in quo Christus est passus, non erat dies festus; nam in eo mulieres parauerunt aromata, & vnguenta post Christi mortem, vt dicitur Lucæ 23. v. 56. quod non licuisset in die festo; ergo non erat dies, aut luna 15.

Dicendum tamen est, Christum cœnam, in qua instituit hoc sacramentum Eucharistię, celebrasse die, seu luna 14. mensis primi ad vesperam. Pro huius explicatione aduertendum est, apud Hebræos menses fuisse lunares, à nouilunioque proinde incepisse, sicque siue dicatur dies 14. vel luna 14. idem prorsus tempus significatur. Erat autem apud illos primus mensis anni ille, in quo Deus eduxit populum Israel de Aegypto, vnde de illo dixit Dominus Exodi 12. v. 2. *Mensis iste vobis principium mensiũ, primus erit in mensibus anni.* Vocabatur verò mensis ille Hebraicè *Abib*, sicque appellatur in Hebræo Exodi 13. v. 4. & c. 23. v. 15. Postea Chaldaicè dictus est mẽsis ille *Nisan*, sicq; appellatur Nehemiæ 2. v. 1. & Ester 3. v. 7. Respondet autẽ Martio nostro, ex cuius nouilunio incipit; sicque iuxta id, quod diximus 1. p. q. 69. art. 2. ad finem, die 25. Martij mundum fuisse conditum, & Christum fuisse conceptum, & passum, dies, seu luna 14. mensis primi, *Abib* scilicet, vel *Nisan*, respondet diei 24 Martij.

Hoc supposito, nostra conclusio, quæ communiter

munis est Latinorum, illamque præsertim docet D.Thom. hic. & quęst.sequent. ar.4. ad 1. & supra q.47.art.9. ad 1. & in 4. d.11. q.2. art.2.q.3. Probatur 1. nam Matth.26. v.17. dicitur: *Prima autem die azimorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Et idem dicitur Marci 14. v.12. & Lucæ 22. ver. 7. Sed dies illa non erat 13. quia tota die 13. comedebatur panis fermentatus, sed 14. in cuius vespera incipiebant comedi azyma, & non licebat comedere fermentatum, aut illud in domibus habere, vt patet Exodi 12. v.18. ergo die 14. cœnam, in qua comedit Pascha, id est agnum paschalem, & sacramentum Eucharistiæ instituit, celebrauit Christus.

Secundò. Christus cœnam, & pascha celebrauit eadem die, & hora, qua lex pęcipiebat, sed lex præcipiebat, vt pascha immolaretur die, seu luna 14. mensis primi; ergo tunc cœnam celebrauit, in qua hoc sacramentum instituit. Minor patet Exodi 12.v.18 Leuit.23v.5.Num.28. v.16. & Deut. 16. ver. 6. vbi præcipitur phase immolari 14. die mensis primi ad vesperã. Maiorem probat optimè D. Thom. vbi supra, & patet, quia non venit soluere, vt ipsemet dixit Matth.5.v.18.

Est tamen difficultas, quid per vesperam diei, seu lunæ 14. intelligendum sit. Ad quam respondetur, intelligendam esse non eam, quæ præcedebat diem, seu lunam 14. (vt quidam falso existimant) sed quæ se-

que-

quebatur, quæ quamuis esset vespera diei 14. iam tamen pertinebat ad diem 15. Nam vt ait D. Thom. in quarto, dist. 11. artic. 2. quæstiunc. 3 ad 2. *Quamuis ante Christi resurrectionem dies à mane in mane cõputarentur; tamen hoc erat speciale in solemnitatibus legis, quòd cõputabatur dies à vespera in vesperã.* Cum autem dies 14. non esset solemnitas legis; sed dies 15. vt patet Leuit. 23. ver. 5. & 6. non potuit dies 14 incipere à vespera præcedente. nec de illa verificari, quod de agno paschali dicitur Exodi 12. vers. 6. *Immolabit eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam*, diei scilicet 14. sed vespera sequente, quæ licet esset diei 14. pertinebat ad diem 15. quæ erat solemnitas, & prima dies azymorum: immolandus enim, & comedendus erat agnus paschalis cum azymis panibus, & in vespera pertinente ad solemnitatem, seu primam diem azymorum. Quæ vespera non erat post solis occasum, sed ab hora nona (quæ tertiæ nostræ pomeridianæ respondet) vsq; ad vndecimam, vt indicant verba illa Iosephi lib. 7. Belli, cap. 17. *Quando à nona quidem hora vsque ad vndecimam hostias cædunt*. Vnde cum Christus die, quo immolabatur pascha, *vespere facto*, vt dicitur Matth. 26. vers. 20. & Marci 14. v. 12. discubuerit cum discipulis suis, & manducantibus illis hoc Sacramentum Eucharistiæ instituerit, manifestè sequitur, illud instituisse die, seu luna 14. ad vesperam, quę iam pertinebat ad diem 15. quæ erat so-

lemnitas, & prima dies azymorum, ante solis occasum; post quem *Egressus est cum Discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus*, vt dicitur Ioan. 18. vers. 1. Cui non repugnat, quod dicitur in hymno Officij Corporis Christi: *In suprama nocte cœnæ, &c.* Nam ibi nox sumitur pro vespera.

Ad primum autem factum in principio respondet D. Thom. in 4. dist. 11. q. 2. art. 2. q. 3. ad 1. *Quod dies festus paschæ vocabatur prima dies de septem, quæ erat celeberrima, & hæc erat 15. luna, & in vespere præcedente immolabatur agnus luna 14. cum azymis, & tunc Dominus cœnam fecit cum Discipulis: & hanc diem dicunt alij Euangelistæ primam diem azymorum, & Ioannes ante diem festum Paschæ.*

Ad secundum respondetur negando minorem. Ad probationem respondet D. Th. loco proximè citato ad 3. *Quod Pascha accipitur ibi pro cibis paschalibus, qui per omnes septem dies comedebantur.* Pro his enim etiam quandoque sumitur pascha (quod nomen Chaldaicum est, & Hebraicè dicitur phase) vt patet Deuteron. 16. v. 2. *Immolabis quoque phase Domino Deo tuo de ouibus, & bobus, &c.*

Ad tertium respondetur negando antecedens. Ad probationem respondet D. Th. vbi supra ad 4. *Quod nulla dies erat adeo celebris, quantum ad vacationem ab operibus, sicut dies Sabbati: vnde in prima die solemnitatis licebat coquere cibos, & alia huiusmodi facere,*

cere, quod non licebat facere in Sabbatis. Et ideo mulieres feria sexta parauerunt aromata. Vel secundum quosdam opera misericordiæ non reputantur inter opera seruilia, vnde in die solemni licebat aromata ad sepulturam præparare, quia hoc erat opus misericordiæ. Vide Caiet. supra quæstione 46. artic. 9. §. *Ad obiectionem.*

Circa articulum 6. nihil se offert dicendum.

QVÆSTIO LXXIV.

De materia Eucharistiæ quantum ad speciem.

ARTICVLVS I.

Vtrum materia huius Sacramenti sit panis, & vinum.

Conclusio est affirmans.

Quæ certa est secundum fidem, illamque probat D.Thom. contra tres errores, quos refert, quia Christus hoc Sacramentum sub specie panis, & vini instituit, vt patet Matth. 26. Diffini-

tur etiam in Concil. Florentin. in Decreto Eugenij, vbi de Sacramento Eucharistiæ dicitur: *Cuius materia est panis triticeus: & vinum de vite.*

Circa solutionem secundi quæri solet, an in aliquo casu sit licitum consecrare panem sine vino, aut è contra? In qua re certum est, si quis consecraret panem sine vino, aut è contra, validam esse consecrationem: vnde opinio, quam refert Innocentius lib. 4. de Officio Missæ cap. 23. oppositum asserens falsissima est, consecratio enim panis absoluta est non dependens à consecratione vini, vt patet ex forma, quę absolutè enuntiat, *Hoc est corpus meum*, sine dependentia de futuro, & idem est, de consecratione vini, cuius forma absolutè enuntiat *Hic est calix sanguinis mei*, sine dependentia à consacratione panis præcedente.

Non esse tamen licitum, panem sine vino consecrare, docet D. Thom. nam hic ad 2. ait: *Licet non in omnibus terris nascatur triticum, vel vinum: tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficit ad vsum huius Sacramenti. Nec propter defectum alterius est vnum tantum sine altero consecrandum: quia non esset perfectum Sacramentum.* Et in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. quæstiuncula 1. ad 4. de illo, qui in vna tantum specie consecraret, inquit: *Consecratum esset: peccaret autem grauiter, nisi post consecrationem corporis ante consecrationem sanguinis occideretur, vel alias præter culpam impediretur.* Vt si loquelam

Iam amitteret, aut ægritudine aliqua sensu priuaretur (in quo casu in can. *Nihil*, 7. q. 1. dispositum est, vt per alium Sacerdotem, si adsit, Sacrificium perficiatur) vel si ab alio vi separaretur ab Altari, aut si euidens periculum mortis ei immineret, si detineretur, vt Calicem consecraret; cũ tanto enim discrimine non teneretur, legem conficiendi integrum Sacramentum seruare; nisi forte in odium, & contemptum fidei, aut religionis metus mortis incuteretur, vt patet ex dictis 1.2. q. 96. a. 4. dubio 5.

In casu, in quo aliquis comminaretur mortem sacerdoti, nisi consecraret Hostiã ad communicandum infirmum in articulo mortis, etiam si vinum haberi non posset; asserunt nonnulli, sine peccato id non posse facere Sacerdotem ad vitandam mortem: quia hoc esset formaliter intendere, vt mutilum fieret sacrificium: quod intrinsecè malum est contra præceptum negatiuum. Alij tamen id licitum esse facere Sacerdoti dicunt: quia metus non incuteretur in odium fidei, aut religionis, nec formaliter, & directe intenderetur, vt imperfectum fieret Sacramentum, sed solum, vt morienti sucurreretur. Immo maior in 4. d 9. q. 3. id licitum esse putat etiam extra mortis comminationem; quod tamen falsum est: quia perfectio Sacramenti maioris est ponderis, quam infirmi succursus, sine quo potest saluari.


Si in aliqua Prouincia vinum haberi non

posset, quia impossibile esset illuc deferre illud, aut quia illuc delatum statim corrũperetur, existimant Gabriel in can. Missæ lect. 53 & alij ex dispensatione Papæ posse panem sine vino consecrare, ne talis Prouincia careret omnino Eucharistiæ Sacramento. Quam sententiam tenuisse B. Albertum Magnum in tract. Corp. Christi refert Turrecremata in cap. *Comperimus*, De consecrat. dist. 2. §. *Respondeo dicendum* ratione 3. ait: *De terris, vbi vinum haberi non potest, quod in tali casu debeat recurri ad Sedem Apostolicam, & dicit, quod videtur sibi cum talibus esse dispensandum, vt Corpus Christi sine calice haberent, & conficerent Sacramentũ, ex quo Corpus Christi non est sine sanguine, & diuinitate, quamuis non sit ibi sanguis ex virtute consecrationis, & Sacramenti.*

Quam sententiam ipse Turrecremata approbare videtur, & illam probabilem esse fere omnes recentiores asserunt. Pro qua facit, quod Volateranus lib. 7. Geographiæ cap. de Saxonibus, & Onufrius in Chronico anno 1490. referunt Innocentiũ VIII. dispensasse cum Noruuegijs, vt Sacerdotes consecrarent panem sine vino ob difficultatem habendi, & conseruandi vinum in illa frigidissima regione. Quamuis hanc historiam multi falsam esse dicunt: quia in ea etiam dicitur, Pontificem dispensasse, vt calix sine vino consecraretur, quod non est credibile, cum Concil. Florent. definiat, vinum de vite esse materiam necessariam consecrationis calicis.

Sed

Sed communis Theologorum sententia est, Papam non posse dispensare, vt Sacramentum hoc in vnica tantum specie conficiatur. Nam præceptũ conficiendi integrum Sacrementum non est Ecclesiasticũ, sed diuinum, vt colligitur ex Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. vbi de Christo dicitur: *Corpus & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem.* Papa autem nõ potest dispensare in iure diuino, vt dicitur can. *Sunt quidam*, & can. *Contra*, 25. q. 1. & patet, quia inferior non potest dispensare in lege lata à superiore. Quapropter etiam si daretur aliqua Prouincia, in qua non posset haberi, & conseruari vinum, minus inconueniens esset, talem Prouinciam carere omnino sacramento, quam confici Sacramentum imperfectum: quia vt hic ait Caiet. *Perfectio Sacramenti præponenda est reliquis necessitatibus.*



ARTICVLVS II.

Vtrum requiratur determinata quantitas panis, & vini ad materiam huius Sacramenti.

Conclusio est negans.

Dubium. An materia huius Sacramenti debeat esse præsens Sacerdoti consecranti, & determinatæ quantitatis.

DE hac re variæ sunt Doctorum sententiæ. Prima est Maioris in 4.d.11. q.2 art.2. vt validum fiat Sacramentum non opus esse materiam eius præsentem Sacerdoti, sed posse Sacerdotem hostiam, quam à tergo habet, & quæ transparietem est, valide consecrare. Probat, Sacerdos potest consecrare hostiam, quæ sub alijs latet in aceruo hostiarum, & quæ sub corporali occultatur, & vinum, quod est in Calice cooperto; ergo, & hostiam, quam à tergo habet, & quæ est transparietem. Confirmatur, etiam si Sacerdos à tergo habeat hostiam, si tamen eam manu contingat, aut in speculo videat, verè dicere potest *Hoc*; ergo & illam validè consecrare.

Secunda est aliorum, quos hic, & in 4. d.11.q.2.art.1. quæstiunc.3. refert D. Tho. materiam huius Sacramenti non solum debere esse præsentem, sed etiam determinatę, ac moderatę quantitatis, sicque non posse Sacerdotem immensam, ac immoderatam quantitatem panis & vini, puta totum panem, qui venditur in foro, aut totum vinum, quod est in dolio valide cōsecrare, quantumuis præsens esset illi. Probant, virtus nō est data ministro, & verbis, nisi ad consecrandum panem, & vinum sub ea quantitate, quę possit deseruire ad vsum fidelium: sed hæc est determinata, ac moderata, nam si immoderata, & valde magna sit, qualis est totius panis, qui venditur in foro, & totius vini, quod est in dolio, nunquam poterit in vsum fidelium venire; ergo &c. Maior probatur, quia ex tali virtute agendo Sacerdos conformatur intentioni Ecclesiæ, quæ intendit consecrare ad vsum fidelium, & si data esset ad cōsecrandum immoderatam quantitatem panis, & vini, quæ non posset deseruire ad vsum fidelium, non fuisset data ad venerationem Sacramenti, sed ad irrisionem.

Dicendum tamen est 1. vt validum fiat Sacramentum, materiam eius præsentem debere esse Sacerdoti consecranti. Docet hoc D.Thom. in 4. dist.11.q.2. art.1. quæstiunc.3. ad 1. vbi sic habet: *Ipsa forma pronomine demonstratiuo vtens ostendit, quod materia consecranda debet esse coram Sacerdote: vnde Sacerdos existens in domo sua non posset*

consecrare panem, qui est in altari. Quibus verbis duas insinuat S. Doct. rationes pro nostra conclusione.

Prima fundamentalis est: quia scilicet pronomen *Hoc*, vel *Hic* contentum in forma consecrationis significat rem præsenté, & falsa esset forma, si materia esset absens; ergo, vt validum fiat sacramentum, materia eius Sacerdoti consecranti præsens esse debet. Ad quod non requiritur, vt actu videatur, nam oculis clausis potest fieri consecratio, & Sacerdos cæcus consecrare potest hostiam, quam non videt; sed vt sit coram Sacerdote, & ante eius oculos, hoc enim sufficit, vt fiat demonstratio per pronomen *Hoc*, & vt more, & vsu hominum præsens censeatur, aut ratione totius, si existat in toto, etiam si ab eo separata non possit existere.

Secunda est ab inconuenienti: quia videlicet, si non deberet esse præsens, Sacerdos existens Valentiæ è domo sua posset consecrare hostias existentes in Ecclesia, immo, & quæ sunt Romæ, & in omnibus totius mundi ciuitatibus, quod absurdum, & falsum esse constat.

Aduertendum tamen, quod ibidem subdit D. Thom. *Quod etiam non potest de toto pane, qui est in foro, neque de toto vino, quod est in cellario*, scilicet consecrare illum, non esse contrarium doctrinæ huius articuli, in quo asserit, non esse verum, quod quidam dixerunt, *Quod Sacerdos non posset consecrare totum panem, qui venditur in foro, aut totum*

vi-

vinum quod est in dolio. Nam hic loquitur de pane, qui venditur in foro, & præsens est Sacerdoti; ibi vero de pane toto, qui est in foro, & præsens non est Sacerdoti, sed aliqua eius pars absens, & a tergo eius, & non coram illo, quod contingit, quando in foro panis venditur in diuersis locis oppositis.

Dicendum est secundò. Supposita materiæ panis scilicet, & vini præsentia, non requiritur determinata, & certa quantitas eius; vt valida sit consecratio, & Sacramentum efficiatur. Docet hoc D.Thom. in 4. vbi supra, post verba enim relata con. 1. subdit: *Sed quantacumque sit quantitas panis, & vini, quæ coram Sacerdote proponitur, credo quod possit consecrari ab ipso*.

Probat id ipsum hic in argument. *Sed cōtra*, quod est huiusmodi: *Multum opponitur pauco, & magnum paruo: Sed nulla est ita parua quantitas panis, aut vini, quæ non possit consecrari, ergo nulla est ita magna, quæ consecrari non possit*. Circa quod aduertendum est primo, consequens intelligendum esse de quantitate magna, supposita præsentia illius: si enim tanta esset magnitudo panis, vt per multa millaria protenderetur, non posset simul totus ab vno Sacerdote consecrari, quia non posset esse præsens illi.

Secundò aduertendum est, minorem intelligendam esse de parua quantitate panis, aut vini, non solum in qua separata à toto conseruatur substantia panis, aut vini, sed etiam in qua à toto separata con-

seruari non potest, qualis est medietas minimi naturalis, aut pars minor minima panis, aut vini: quamuis in ea separata à toto non possit fieri consecratio, quia in ea non potest conseruari substantia panis, aut vini; bene tamen in ea, dum est toti coniuncta, quia in ea substantia panis, & vini est, & præsens esse potest ratione totius, & ratione illius sensibilis, vnde quando Sacerdos consecrat hostiam, omnes eius partes etiam minores minima manēt consecratæ, & in illis vere est totus Christus. An vero pars minor minima possit esse materia consecrationis adæquata, ita vt si Sacerdos intendat consecrare medietatem minimi panis, illa maneat consecrata sine altera medietate, non est concors omnium sententia. Quidam affirmantem partem tenent: quia in illa medietate, seu parte minore minima vere saluatur natura panis; ergo potest consecrari sine altera medietate, in qua etiam facta consecratione prioris conseruaretur substantia, & forma panis: nam quamuis hæc non possit conseruari sub quantitate medietatis minimi, vt separata a quantitate alterius medietatis; bene tamen, vt coniuncta, & continuata cum illa, & hoc modo remaneret facta consecratione prædicta: quia quantitas medietatis consecratæ non destrueretur, sed maneret sine subiecto, sicque cum illa continuaretur quantitas medietatis non consecratæ, vnamque numero quantitatem cum illa efficeret.

Alii negantem partem tuentur: nam per consecrationem vna pars separatur ab alia, cum in parte consecrata desinat esse substantia panis, & vini: sed medietas minimi separata esse non potest; ergo nec sola consecrari, vt materia adęquata. Alias posset panis consecrari in parte minore minima in infinitum, cum nulla sit pars minor minima, quæ non possit diuidi in alias partes minores, quod tamen absurdum, & falsum videtur.

Probatur deinde conclusio, supposita materiæ panis, scilicet, & vini pręsentia, non colligitur requiri certam, & determinatam quantitatem illius, ita vt in maiori fieri non possit consecratio ex natura panis, & vini, cum hæc in maiore saluetur, nec ex forma consecrationis, nam in ea, vt hic aduertit Caietanus, non fit mentio de quantitate, sed solum de pręsentia per pronomen *Hoc*, vel *Hic*; ergo ex nullo capite, sicque quæcumque quantitas panis, & vini, dúmodo sit præsens, consecrari poterit. Si dicas, de quantitate vini fieri mentionem in forma consecrationis illius, dum dicitur, *Hic est calix*; oportet enim vinum contineri in calice, ac per hoc quantitatem eius Calicem non excedere. Respondet Caiet. *Hoc non cogit, quoniam potest Sacerdos habere coram se multos calices plenos, & simul omnes consecrare, sicut simul cõsecrat multas hostias. Vnde ex quantitate Calicis non habetur determinata quantitas.* Dici etiam potest, nec etiam Calicis esse determinatam

quan-

quantitatem, cum quocumque dato, possit dari alius maior, sicque ex nomine calicis non posse colligi determinatam quantitatem materiæ vini. Denique respondetur: cum dicitur, *Hic est calix &c.* esse figuratam locutionem, in qua continens sumitur pro contento, idemque significare, ac si solum diceretur, *Hic sanguis meus*, sicut Matth. 26. v. 28. & Marci 14. v. 24. habetur. Vnde etiã si vinum non esset in Calice, sed in terra diffusum, consecrari posset.

Dicendum est 3. Per intentionem Sacerdotis determinandam esse quantitatem tam continuam, quam discretam materiæ, panis, scilicet, & vini, vt valida sit consecratio illius. Probatur, quia quantumcumque materia secundum se sit legitima, & consecrabilis, ac præsens sit Sacerdoti; si tamen hic non velit, aut intendat eam consecrare, etiam si proferat verba consecrationis, non manet consecrata, quia intentio ministri necessaria est ad confectionem Sacramẽti, vt patet ex dictis supra q. 64. art. 8. ergo, vt valida sit consecratio, materiæ quantitas determinanda est per intentionem Sacerdotis, qua velit consecrare tantam, & talem quantitatem materiæ panis, & vini. Quod tripliciter fieri potest.

Primo intendendo consecrare totam materiam, quam habet coram se præsentem absolutè: & tunc tota illa cuiuscũque quantitatis sit, etiam si sit totus panis, qui vendidit in foro, & totum vinum, quod est in dolio, manet consecrata, vt pa-

tet ex Diu. Thom. hic & ex dictis concluſ. præcedent. quamuis Sacerdos conſecrans tam immenſam, & immoderatam quantitatem grauiter peccet.

Secundò intendendo conſecrare ex materia, quam habet præſentem, ſolam illam, quam habet in manibus, vel quæ eſt in corporali, vel in pixide, aut in calice, quæ ſecundum communem praxim Eccleſiæ eſt legitima, & optima celebrantium intentio: & tunc ſola illa manet conſecrata. Vnde ſi poſt conſecrationem inueniat Sacerdos aliquas hoſtias extra corporale, aut aliquas guttas vini extra calicem, etiam calici adhęrentes in parte eius exteriori, immo, & intrinſecus circa extremum labrum, non debet eas reputare conſecratas, quamuis conſecrari poſſent, ſi ad eas Sacerdos intentionem dirigeret expreſsè. Ex hoſtiis verò, quæ ſunt in corporali, vel in pixidè, omnes manent conſecratæ, etiam ſi ignoret quot ſint, aut putet ſolum eſſe decem, quas ipſe appoſuit, & reuera ſunt plures, quia ipſo inſcio aliæ ſunt ibi à Sacriſta appoſitæ. Cuius ratio ſumitur ex Durando in 4.d.11 q.7.num 3. *Quia talis ignorantia ſe habet omnino per accidens ad Sacramentum, ex quo nihil variat de intentione miniſtri.* Quæ nonfertur in tot hoſtias determinatè, ſed in omnes, quę ſunt in corporali, aut pixidè, aut quas habet in manibus, propter quod in Ordinario Romano præcipitur, vt Sacerdos putans ſe vnam tantum hoſtiam habere in manibus, & conſecrare, & inue-

niens

niens post consecrationem duas, quia altera ei, quam ipse solam putabat consecrare, ipso inscio adhærebat, vtramque sumat.

Tertiò intendendo cõsecrare ex hostijs, quæ sunt in corporali, aut in pixide vnã tãtum: & tunc si eam designat, ipsa sola manet consecrata; verò ipsam non designat, nulla manet consecrata, vt Durandus, vbi supra, & communiter Theologi docent. Et idem est si Sacerdos vellet consecrare medietatem vnius hostiæ non designando, quam ex duabus medietatibus. Si dimidia pars panis esset triticea, & altera ordeacea, vel si vna pars panis triticei esset præsens, & altera absens ob panis magnitudinem, & sacerdos totum consecrare intenderet; quidam dicunt partem triticeam, vel præsentem manere consecratam; non secus, ac si vot ũfieret de aliqua totali materia, cuius vna pars esset bona, altera non, validum esset votum, quantum ad partem bonam, vt colligitur ex cap. *Quidam*, De conuersione coniugatorum. Alijs videtur non manere consecratam: quia forma consecrationis esset falsa, nam faceret hunc sensum, contentum sub his speciebus, tam absentibus, quam pręsentibus, tam panis triticei, quam ordeacei, est corpus meum: falsa autem existente forma, non manet materia consecrata.

Ad argumentũ autem primę sententiæ respondetur negando consequentiam: quia vt ait M. Soto in 4. d. 9. q. 1. ar. 2. *Dum congeries*

geries hostiarum consecratur, tota illa multitudo reputatur præsens, ac perinde consecratio pertingit ad formulas, etiam, quæ subtus occultantur, etiam si aliquo operculo essent contectæ, dũmodo certus esset Presbyter illic subesse hostias. Neque opus est, vt numerum illarum nouerit. Et idem est de operto calice: quare si presbyter putet vinum, quod ipse egregium posuerat, consecrare, non sit illud tamen, sed aliud, firma est consecratio: quia intentio non debet esse conditionalis, sed absoluta consecrandi hoc, vt forma sonat. At hostia, quam Sacerdos habet à tergo, & quæ est transparietem, non reputatur præsens, quia non potest fieri illius demonstratio per pronomen, *Hoc*. Ad confirmationem negandum est antecedens: quia etiam si Sacerdos manu contingat hostiam à tergo positam, licet aliquo modo, & cum addito possit dici hoc, scilicet hoc, quod manu contingo; non tamen ex vi pronominis absolutè, & præcisè sumpti, vt in forma consecrationis sumitur, nam ex vi illius solum significatur, quod est coram, & ante oculos alicuius, & non quod est à tergo, vel procul positum etiam si de illo cum addito possit dici hoc, quod contingo, vel de quo loquor. Quamuis etiam Sacerdos hostiam à tergo positam videat in speculo, non potest illam demonstrare pronomine *Hoc*, sed solum eius similitudinem relucentem in speculo, quæ non est materia huius Sacramenti, aut consecrationis.

Ad argumentum secundæ sententiæ respon-

ſpondetur cum D.Thom.& in 4.vbi ſupra; licet materia huius Sacramenti determinetur per comparationem ad vſum fidelium: & in ordine ad hunc finem ſit data virtus miniſtro, & verbis: non tamen fidelium, qui nunc occurrunt: alioquin Sacerdos paucos parochianos habens, aut in deſerto exiſtens non poſſet conſecrare multas hoſtias; ſed per comparationem ad vſum fidelium abſolutè, quorum numerus indeterminatus eſt. Ad probationem dico, duplicem eſſe intentionem Eccleſiæ: vnam, quę ordinatur ad perfectionem Sacramenti, vt ſcilicet validum conficiatur Sacramentum: aliam, quæ ordinatur ad finem Sacramenti, qui eſt vſus fidelium, qui ad illud ſumendum moraliter, & ſecundum prudentiam iudicantur poſſe occurrere, ſecundum quam in can. *Tribus gradibus*, De conſecrat.diſt.2.dicitur: *Tanta in altari holocausta offerantur, quanta populo ſufficere debeant*. Qui ergo immoderatam, & ingentem panis, & vini quantitatem conſecrat conformatur primę intentioni Eccleſiæ, & ſic validum conficit Sacramentum; non tamen ſecundæ, & ſic quamuis validè conſecret, peccatum graue comittit, propter maximam indecentiam, & quia abutitur poteſtate ſibi tradita conſecrando talem materiam, quæ ad irriſionem potius, quam ad venerationem Sacramenti faciat; ſicut etiam peccat, qui libertate ſibi à Deo data abutitur malum eligendo; quia licet data ſibi fuerit, vt poſſet vtrumque

que bonum, scilicet, & malum eligere relictus in manu consilij sui ; non tamen, vt eligeret malum, sed vt bonum eligeret potens eligere malum.

ARTICVLVS III.

Vtrum requiratur ad materiam huius Sacramenti, quod sit panis triticeus.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An solus panis confectus ex tritico sit materia proxima Eucharistiæ.

PArtem negantem tenet Caiet. hic, & probat 1. Materia proxima Eucharistiæ, quam ex Euangelio indubitanter habemus, est panis non determinatus ad talem, vel talem materiam remotam, qualis est triticum, spelta, far, &c. Sed panis absolutè, hoc est, sine determinatione aliqua, cuiusmodi non sunt, qui appellantur panes cum additione scilicet panis ordeaceus, panis millaceus panis castanaceus, & huiusmodi, qui ideo cum additione proferuntur, vt intelligantur non panes, sed panes tales; ergo ex quibuscumque tanquam ex materia transeunte panis conficiatur,

dum-

dummodo sit verè panis absque determinatione aliqua, potest consecrari.

Secundò. Experientia probatum apparet ex tritico, & siligine, & spelta confici panem pro Sacramento, de tritico manifestum est, de siligine docet D. Thom hic ad 2. de spelta Paludanus asserit in quibusdam Ecclesijs consecrari panem confectũ ex illa, quod, & in secundo argum. articuli huius dicitur; ergo non solus panis confectus ex tritico est materia Eucharistiæ.

Tertio. Vna, & eadem res homogenea potest naturaliter ex diuersarum specierum rebus, vt materia transeunte generari, vt patet in sanguine, qui generatur ex cibis, & nutrimentis distinctarum specierum; ergo similiter substantia panis eiusdem speciei potest generari ex multis diuersarum specierum granis, tãquã ex materia transeunte, sicq. licet triticum sit principalis certa, & indubitata materia panis Sacramentalis; non tamen solum ipsum; sed etiam alia grana possunt esse talis panis materia.

Dicendum tamen est 1. Solum panem verum, & propriè dictum, qui simpliciter, & absolute est panis, esse materiam proximam Eucharistię. In hoc conueniunt omnes, & ita certum est, vt oppositum ad minus error in fide censeatur. Probatur ex facto Christi, qui, vt patet Matth. 26. v. 26. Marci 14. v. 22. Lucæ 22. v. 19. & 1. Corinth. 11. v. 24. panem consecrauit pro materia huius Sacramenti, & præcepit discipulis, vt idem facerant, ergo cum hoc nomen

men panis propriè accipiendum sit, solus panis verus, & propriè dictus, qui simpliciter, & absolutè est panis, erit materia proxima Eucharistiæ: sicut, quia ex Euangelio constat Baptismum debere fieri in aqua, rectè colligitur, aquam veram, & naturalem esse materiam Baptismi.

Ex hac conclusione infertur 1. quod docent Caietan hic, Mag. Soto in 4. dist. 9. artic. 3. & communiter Theologi, massam crudam non esse materiam huius Sacramenti: nam talis massa, aut differt specie à pane; vt prædicti discipuli D. Thom. affirmant, & colligitur ex S Doctore q. seq. artic. 6. ad 1. vel quamuis non differat specie à pane, sed solum accidentaliter, vt sentit Scotus in 4. dist. 11. q. 7. non est panis verus simpliciter, & absolutè, immo, nec humanus cibus.

Secundò. Quod ijdem asserunt nec etiã esse materiam huius Sacramenti massam vtcumque coctam, sed vt talis sit, debere solo, & puro igne coqui, assari, vel torreri in furno, aut sub cineribus, aut intra vas aliquod ferreum aut fictile: sola enim massa sic cocta est verus, & vsualis panis, non verò elixa, seu in aqua cocta, aut frixa, seu cocta in oleo, aut butiro. Vnde lagana materia huius Sacramenti non sunt, nec etiam pultes: quia quamuis forte non differant à pane specie essentiali, non sunt tamen veri panes, simpliciter, & absolutè, nec tales secundum communem loquendi vsum appellantur; carent enim ratione; &

for.

forma panis constitutiua, siue hæc substantialis sit, siue accidentalis. Vnde Plinius libro 18.cap.8 inquit, Romanos quodam tempore non pane, sed pulte vsos fuisse, & Exodi 19.v.2.& in Leuitico sępe panis à laganis distinguuntur.

Tertiò. Massam, vt ex ea fiat panis Sacramentalis, seu consecrabilis debere esse confectam ex farina, & aqua naturali; nam vt ait D. Tho. hic artic. 7. ad 3. *Si farinæ admisceatur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor, quam vera aqua, non posset ex eo confici Sacramentum, quia non esset verus panis.* De quo, licet dubitet Caietan. ab aliis fere omnibus certum esse existimatur; nisi tam modica esset permistio alterius liquoris, vt non solueret speciem, iuxta doctrinam eiusdem D. Th. hic ad 3.

Qaartò. Amydum, & panem ex eo confectum non esse materiam huius Sacramenti: ait namque D. Thom. hic ad 4. *Quia amydum est ex tritico corrupto, non videtur, quod panis ex eo confectus possit fieri corpus Christi, quamuis quidam contrarium dicant.* Quorum sententiam in 4. d. 11. qu. 2. art. 2. quæstiuncula 2. ad 3. non reprobat: vndę nonnullis videtur probabilis. Certum tamen est, in eo pane non esse licitum consecrare, quia ad minus est materia dubia.

Dicendum est 2. Materiam huius Sacramenti esse solum panem cōfectum ex tritico. Docet hoc D. Thom. hic, & in 4. d. 11. q. 2. ar. 2. quęstiuncula 1. vbi & ait:

Cuius

Cuius Causa est diuina instituto, quia ipse ex hoc pane confecit.

Secundò probatur ex Concil. Florent in Decreto Eugenii, vbi de hoc sacramento dicitur: *Cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite.* sed panis triticeus est panis ex tritico confectus; ergo hic solus est materia huius sacramenti. Nec dici potest Concil. loqui de materia principali, non de omnino necessaria. Nam eodem modo dici posset, cum ibidem ait Concil. vinum de vite esse materiam huius sacramenti, & aquam naturalem esse materiam Baptismi, loqui de materia principali solum: sed hoc est falsum; loquitur enim de materia essẽtiali sacramentorum, sine qua sacramentũ perfici non potest, vt patet ex §. *Hæc omnia sacramenta*, ergo &c.

Quænam autem grana triticum sint, de quibusdam certum est, de aliis dubiũ. De ordeo, millio, auena, & leguminibus certum est non esse triticum, sicque ex illis non posse confici panem pro materia huius sacramenti.

De centeno seu typha mihi probabilius videtur esse triticum, & panem ex eo cõfectum posse esse materiam huius sacramenti. Nam vel est idem cum siligine, vt multi putant: vel etiam si diuersum sit, quia siligo significat triticum candidum, & selectum, eadem est ratio de illo, ac de siligine, cum constet in aliquibus regionibus nasci ex tritico seminato, & vt hic ad 2. ait D. Th- [illegible]

ex semine tritici generari possunt (sicut ex grano tritici seminato in malis terris nascitur siligo) ex tali frumento panis confectus potest esse materia huius sacramenti. Cæterum quia multi existimant non esse triticum, & ex tritico seminato non nasci solum ob debilitatem terræ, quæ quandoque solet fructus eiusdem speciei melioris coloris, & saporis producere, sed etiam per corruptionem tritici, non esset licitum, panem ex centeno confectum consecrare, iuxta ea quæ diximus 1, 2. q. 19. a 6. dubio 4. con. 2. Quidam recentiores hic existimant, cōsecrare panem ex centeno confectum, quamuis non sit licitum sine graui necessitate; licitum tamen esse, ne homo moriatur sine sacramento, vel vt in die festo non maneat totus populus sine sacrificio. sed hoc ego non consulerem, sicut nec vt consecraretur panis fermentatus: quia sicut hoc est contra præceptum Ecclesiæ latinæ ita, & cōsecrare materiā dubiā, & communicare infirmum, & populum audire Missam non est simpliciter necessarium ad salutem, & ab obligatione præcepti excusat carentia panis triticei.

De farre, & spelta ait D. Thom. hic ad 2. non posse confici panem, qui sit materia huius sacramenti. Alii cum Alberto Magno in 4. dist. 11. art 3. contrarium asserunt, saltem de spelta. Nonnullis hæc controuersia videtur de nomine: quia in quibusdam nationibus his nominibus appellantur quædam species veri tritici, in alijs

alijs vero aliæ distinctæ à tritico.

Ad 1. autem factum in principio respondetur negando antecedens: ex Euangelio enim adiuncta consuetudine, & traditione Ecclesiæ, Concilijque Florent. determinatione habemus, materiam proximam Eucharistiæ esse panem triticeum. Immo, & ex ipsis Euangelij verbis: nam vt ait D. Thom. in 4. d. 11. q. 2. art. 2. quæstiuncula 1. *Panis simpliciter dictus intelligitur de tritico, sicut oleum de oliuis.*

Ad 2. in Prouincijs, in quibus consueuit fieri panis pro sacramento ex siligine, & spelta, existimasse has esse species veri tritici, si tamen reuera non erant, errasse, & sacerdotes nihil effecisse. Modo vero post Concil. Florentin. nullibi consecratur panis, nisi triticeus.

Ad 3. respondetur, eodem argumento probari posse ex ordeo, & millio posse generari substantiam panis eiusdem speciei cum pane genito ex tritico. Vnde dicendum est, antecedens solum esse verum, quando in materia introducitur forma eiusdem rei homogeneæ, vt contingit, quando ex diuersis cibis generatur sãguis. Quando autem ex granis, quæ triticum non sunt, fit panis, non introducitur in materia talium granorum forma panis eiusdem speciei cum forma panis triticei, qui solus est panis simpliciter, & absolute, sed forma panis alterius speciei, qui non simpliciter, & absolute est panis, sed cum addito, sicut, & panis ordeaceus, & ideo

talis panis non est materia huius sacramenti.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hoc Sacramentum debeat cõfici ex pane azymo.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An cõficere hoc Sacramentum pane azymo, sit de necessitate Sacramenti, aut præcepti.

GRæci schismatici non solum dicunt, nõ esse de necessitate huius Sacramenti conficere illud in pane azimo, sed etiam de necessitate illius esse, vt conficiatur ex pane fermentato: nam vt refert D.Thom. in 4. d. 11. q. 2. ar.2. quæstiuncula 3. asserunt: *Non posse confici nisi de fermentato.*

Præcipuum illorum fundamentum est, quia Christus in pane fermentato hoc Sacramentum confecit; quod probant: tum quia illud instituit die, seu luna 13. mensis primi, in qua Iudæi non vtebantur azymis, sed fermentatis panibus. Tum etiam quia Matth. 26. v. 27. vbi nos legimus, *Accepit Iesus panem*, in Græco dicitur *Arton*: sed hoc nomen *Artos*, significat panem fermẽtatum, quo communiter vtimur; ergo Chri-

Christus in fermentato confecit.

Caluinus, & alij hæretici nostri temporis, quamuis afferant in vtroque pane, tam scilicet azymo, quam fermentato posse confici Eucharistiam, sicut, & in vino albo, vel rubro; dicunt tamen fermentatum panem conuenientiorem esse. Quod probant: tum quia vti azymis videtur sapere cæremonias iudaicas. Tum etiam, quia panis fermentatus est aptior ad cibandum hominem, & ideo magis vsualis, & communis.

Dicendum tamen est 1. Non esse de necessitate Sacramenti Eucharistiæ, conficere illud ex pane azymo, aut fermentato, sed in vtroque confici posse. Docet hoc D. Th. hic dicens: *Necessarium quidem est, vt sit panis triticeus (sicut dictum est) sine quo non perficitur Sacramentum. Non est autem de necessitate Sacramenti, quod sit azymus, vel fermentatus quia in vtroque confici potest.*

Secundò probatur ex Conc. Florent. vbi vt refertur in compendio §. 2. sic dicitur: *Item definimus in azymo siue fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici.*

Tertiò, Quia quãuis in primitiua Ecclesia Apostoli celebrarent in azymo, quem morem Romana Ecclesia ab Apostolis accepit, vt ait Innocentius III. libr. 4. de mysterijs Missæ cap. 4. *Sed postea, vt dicit Leo Papa* (& refert D. Thom. vbi supra) *imminente hæresi Hebionitarum, qui dicebant simul cum Euangelio legalia obseruanda, sancti Patres, ne eis consentire viderentur, voluerunt*

ad tempus instinctu Spiritus Sancti ex fermentato confici Sacramentum. Postea cessante illa hæresi Ecclesia Romana ad pristinum morem rediji. At si de necessitate huius Sacramenti esset, illud conficere in pane azymo, sancti Patres non decreuissent instinctu Spiritu Sancti, vt illud etiam ad tempus conficeretur ex fermentato: & si de necessitate Sacramenti esset conficere illud ex fermentato, non id decreuissent ad tempus, sed in perpetuum, & non redijssent ad pristinum morem; ergo &c.

Dicendum est 2. De necessitate præcepti esse, vt Latini conficiant hoc Sacramentum in pane azymo, & Græci in fermentato. Docet hoc Diu. Thom. hic subdens: *Conueniens autem est, vt vnusquisque seruet ritum suæ Ecclesiæ in Sacramenti celebratione. Vnde sicut peccat Presbyter in Ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato; ita peccaret Presbyter Græcus celebrans de pane azymo, quasi peruertens Ecclesiæ suæ ritum*,

Secundò probatur ex Concil. Florent. nam vbi supra subdit: *Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque iuxta Ecclesiæ suæ siue occidentalis, siue orientalis consuetudinem*.

Ex his colligitur, falsas esse opiniones Scoti in 4. d. 11. q. 6. asserentis Græcos peccare consecrando in fermentato: & Paludani ibidem qu. 1. artic. 4. con. 2. dicentis Græcis liberum esse consecrare in azymo, aut fermentato. Nullus enim peccat seruando consuetudinem suæ Ecclesiæ à Cõcilio

cilio, & Romana Ecclesia approbatam, qualis est consuetudo Ecclesiæ Græcæ. Immo peccat eam non seruando, cum quisque teneatur suæ Ecclesiæ leges seruare, & prædicta consuetudo consecrandi in pane fermentato in Græca Ecclesia vim legis obtineat, nam in ea tantum, vt grauiter obligans, recepta est, & ratione non caret, vt hic ait D.Thom.

Quibusdā recentioribus rigurosum videtur dicere, Græcos peccare mortaliter, si suę Ecclesiæ consuetudinem non seruent, sed nostræ: quia cum nostra consuetudo sit melior, non videtur res grauis, vt Græcus sequatur, vel non sequatur consuetudinem suæ Ecclesiæ. Sed ego mortaliter peccare existimo: Tum propter scandalum, quod inde in tali Ecclesia oriretur. Tum etiam, quia licet nostra consuetudo sit melior, cōsuetudo tamen Gręcæ Ecclesiæ rationabilis est, & ibi vt grauiter obligans recepta, & hoc sufficit, vt sub mortali obliget: sicut & consuetudo, & lex de operibus vitę actiuę in quibusdam Religionibus sub mortali obligat, etiam si absolutè melius sit vacare operibus vitę contemplatiuæ. Tum denique, quia id insinuat D.Thom. hic dicens, ita peccare Presbyterum Gręcum in Ecclesia Grecorum celebrantem de pane azymo, sicut peccat Presbyter Latinus in Ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato: sed hic peccat mortaliter; ergo & ille, quia vterque peruertit Ecclesiæ suę ritum.

Si quæras, an Sacerdos Latinus transiens per Græciam possit celebrare in fermentato, & Sacerdos Græcus transiens per loca Latinorum in azymo? Respondetur, id licitum esse; conuenientius tamen esse, Latinum celebrare ritu Latino, & Græcũ ritu Græco. Primum patet ex dictis 1. 2. q.96.art.5. dubio vnico, con. 2. vbi docuimus, peregrinos, & itinerantes non teneri legibus locorum, in quibus nõ sunt, etiam si in eis domicilium habeant; sed posse se accommodare consuetudini locorum, per quę transeunt. Secundum non repugnat dictis ibidem, peregrinos scilicet, & itinerantes teneri legibus locorum, in quibus reperiunrur. Nam quamuis hoc verum sit de legibus particularium locorum; non tamen de consuetudinibus generalibus totius Ecclesi. Gręcę, aut Latinę. Has enim seruari posse ab habentibus domicilium in qualibet earum Ecclesiarum, etiam dum peregrinantur in alia, approbat Sum. Pontifex, vt colligitur ex Epist. Leonis IX. ad Michaelem Episcop. Constantinop. Quod, & cõfirmat praxis, qua videmus Episcopos Gręcos per loca nostra transeuntes Gręco ritu celebrare. Ratio etiam suadet, quia nimis difficile esset Sacerdoti Gręco ritum Latinum discere, & Latinè celebrare, & Sacerdoti Latino discere Gręcum, & Gręcè celebrare.

Dicendum est 3. Rationabiliorem, ac meliorem esse consuetudinem Ecclesię Latinę, quam Gręcę. Docet hoc D. Thom. hic

hic dicens: *Tamen consuetudo de pane azymo celebrandi rationabilior est.*


Secundò probatur rationibus S. Doctoris quarum prçcipua est: quia hæc consuetudo est cõformis institutioni, & facto Christi, qui vt ostendimus quęst. prçced. art. 5. hoc Sacramentum instituit die, seu luna 14. mensis primi ad vesperam, a qua incipiebat solemnitas azymorum, & in ea fermentatum comedere non lidebat Iudęis, sicque in azymo illud confecisse colligitur; ergo rationabilior, & melior est.

Ad fundamentum Grçcorum scismaticorum respondetur, etiam si verum esset, non sequi de necessitate huius Sacramenti esse, vt conficiatur in fermentato: sicut licet verum sit Christum, in pane azymo confecisse hoc Sacramentum, vt nos asserimus, non inde sequitur de necessitate Sacramenti esse, vt conficiatur in azymo. Sed negamus tale fundamentum. Ad 1. probationem negandum est, Christum instituisse hoc Sacramentum die, seu luna 13. vt patet ex dictis q. prçced. art. 5. Ad 2. probationem respondet D. Thom. in 4. dist. 11. quęst. 2. art. 2. quęstiuncula 3. ad 6. *Quod artos apud Græcos quandoque etiam pro azymo pane ponitur; & ideo Exodi 12. dicitur in Græco artos, vbi nos habemus panes azymos.* Lucę etiam 24. vers. 30. vbi nos habemus *Accepit panem*, in Grçco dicitur, *Arton*; talem autem panem fuisse azymum patet: nam id contigit post resurrectionem Chri-

sti in Castello Emaus intra solemnitatem azymorum, & septem dies, quibus Iudæi azyma comedebant, & non licebat eis nec habere in domibus fermentatum, vt constat Exodi 12. v. 19.

Ad Argumenta Caluini, & aliorum hæreticorum nostri temporis respondetur. Ad 1. cum D. Thom. hic ad 2. *Quod conficientes ex azymo non intendunt cæremonias legis seruare, sed conformare se institutioni Christi, & ideo non iudaizant &c.*

Ad 2. respondetur ex eodem S. Doct. hic in corp. quamuis panis fermentatus sit magis vsitatus, & aptior ad cibandum: azymum tamen aptiorem esse ad vsum huius Sacramenti: *Quia magis expedit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad vsum huius Sacramenti: secundum illud 1. Corinth. 5. Pascha nostra immolatus est Christus, itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.*



A R-

ARTICVLVS V.

Vtrum vinum vitis sit propria materia huius Sacramenti.

Conclusio est affirmans.

DEfinita in Concil. Florent. in Decreto Eugenij, vbi de hoc Sacramento dicitur: *Cuius materia est panis triticeus, & vinū de vite*. Colligitur etiā ex verbis illis, quę Christus post consecrationem calicis dixit Matth. 26. ver. 29. *Nō bibam amodo de hoc genimine vitis*. Vnde certa est secundum fidem.

Ex illa colligitur, non esse materiam huius Sacramenti vinum malorum granatorum, vel mororum, aut pomorum, vt docet D. Thom. hic ad 1. quia non est vinū de vite. Nec acetum, vt hic ad 2 ait S. Doctor, quia fit per corruptionem vini, & non est vinum nisi corruptum: Bene tamen vinum acescens, quamuis peccet cōficiens de illo, & graue, ac mortale peccatum sit, si notabile dubium est, an sit acetum, ob periculum cui committitur Sacramentum. Nec agrestam, seu omphacium, vt hic ad 3. dicit D. Thom quia est in via generationis, & nondum habet speciem vini: bene tamen mustum, quia iam habet speciem vini, quamuis inde-

cens sit, & prohibitum in eo recenter ex vuis expresso fieri consecrationem ob eius impuritatem, fieri tamen posset in necessitate, etiam si botrus in calice præmeretur.

De vino congelato, quidam affirmant esse materiam sufficientem, alij negant: omnes tamen asserunt peccatum esse illud consecrare. Soluta congelatione, si verum vinum esse constat, licitè consecrari potest.

ARTICVLVS VI.

Vtrum aqua sit vino permiscenda.

Conclusio est affirmans.

PEccatum mortale esse, aquam vino nõ permiscere colligitur ex Concil. Trid. sess. 22. cap. 7. vbi dicitur: *Præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo permiscerent.* Huius enim præcepti transgressio non potest non esse mortalis culpa. Nec dici potest, materiam esse leuem: nam quamuis permistio aquę modicissimę secundum se absolutè res parua, & leuis sit; in ordine tamen ad hoc Sacramentum res est grauissima, ob rationes ibi à Concilio, & hic à D. Thom. assignatas;

ob

ob imitationem scilicet Christi, quem in vino aqua permisto hoc Sacramentum instituisse creditur: & ob representationem passionis eius, in qua aqua simul cum sanguine à latere eius exijt: & ob significationem effectus huius Sacramenti, qui est vnio populi fidelis cum Christo capite.

ARTICVLVS VII.

Vtrum permistio aquæ sit de necessitate huius Sacramenti.

Conclusio est negans.

OPpositum huius tenet Armacanus lib. 9. de q. Armen. cap. 9. & probat ex verbis S. Cypriani Epist. 3. ad Concilium, quæ refertur de consecrat. dist. 2. nam can. *Sic in sanctificando*, dicitur: *Sic calix Domini non est aqua sola, & vinum solum, nisi vtrumque misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse sola farina, nisi vtrumque adunatum fuerit, & copulatum*. Et can. *Scriptura*, subditur: *A Domino admoniti, & instructi sumus, vt calicem Domini cum vino mistum, secundum quod Dominus obtulit offeramus*. Ergo sicut mistio aquæ cum farina est de necessitate huius Sacramenti, ita permistio aquę cum vino; & sicut, quia Dominus obtulit,

& consecrauit vinum vitis, hoc est materia necessaria; ita quia obtulit, & consecrauit vinum aqua permistum, aquæ permistio necessaria erit, vt validum sit Sacramentum.

Sed conclusio D. Thom. adeo certa est, vt opinio Armachani improbabilis censeatur. Est enim contra communem sententiam omnium scholasticorum asserentium, vinum solum validè consecrari, ex illoque hoc Sacramentum confici, etiam si Sacerdos aquam in calice apponere obliuiscatur. Quod colligitur ex verbis S. Cypriani, ex quibus D. Thom. hic conficit argum. *Sed contra*, & referuntur in prædicto can. *Scriptura*. Dicit enim simplicitati aliquorum prædecessorum, qui aquam vino non miscuerant, posse veniam concedi; quo indicat, male quidem fecisse, sed non inualidum Sacramentum confecisse. Colligitur etiam ex Concil. Florent. In Decreto Eugenij, vbi materiam huius Sacramenti dicit esse vinum de vite; & quamuis aquam vino esse permiscendam subdat; huius tamen rationem nō assignat, quia sit de necessitate Sacramenti, sed quia hoc Ecclesia semper seruauit, & ne ab hac vniuersalis Ecclesiæ discrepent consuetudinem, illam Armenos debere imitari.

Ad 1. vero D. Cypriani auctoritatem respondet S. Thom. hic ad 1. *Quod verbum Cypriani est intelligendum secundum quod dicitur, illud esse non posse, quod conuenienter esse non potest. Et sic similitudo illa attenditur;* quan-

quantum ad id, quod debet fieri, non autem quantum ad necessitatem. Nam aqua est de essentia panis: non autem de essentia vini.

Ad 2. auctoritatem respondetur, illam ad summum probare permistionem aquæ esse de iure diuino, quod multi concedunt cum Mag. Soto in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 6. Sed alij nec etiam de permistione aquæ esse diuinum præceptum existimât. Quod & indicant Conc. Florent. in Decreto Eugenij, & Trident. Sess. 22. cap. 7. dum solius præcepti Ecclesiastici mentionem faciunt. Et ad verba S. Cypriani respondetur, illam admonitionem, & instructionem Domini, non significare necessitatem Sacramenti, aut præceptnm à Christo impositum, sed quod suo exemplo docuit, ex quo Ecclesia sumpsit occasionem illud præcipiêdi. Nec factum Christi inducit necessitatem huiusmodi, aut præceptum diuinum: sicut nec, quia consecrauit in azymo, infertur Sacramentum non posse confici nisi in azymo, aut de hoc esse præceptum diuinum, cum Ecclesia Græcis concedat, vt in fermentato Sacramentum conficiant.



AR-

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aqua debeat in magna quantitate apponi.

Conclusio est negans.

Dubium. An aqua, quæ in calice apponitur, debeat prius conuerti in vinum, vt in sanguinem Christi conuertatur.

PArtem negantem tenent quidam recentiores, & probant primo. Patres dicunt, aquam offerri, benedici, consecrari, & consecratione mutari in sanguinem: sed hæc essent falsa, si necessario ante consecrationem verti deberet in vinum, quia non aqua, sed vinum consecraretur, & mutaretur in sanguinem; ergo, &c. Maior probatur, nam aquam offerri, & benedici dicunt Alexander I. S. Cyprianus, & Concil. Martini Papæ, quorũ verba referuntur de consecrat. dist. 2. in primis quatuor Canonibus, Aquam consecrari, & consecratione conuerti in sanguinem, dicunt Paschasius lib. 1. de cor. Christi c. 11. his verbis: *Aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed vertatur in sanguinem &c. Constat igitur, & si tria prius ponantur, non nisi*

nisi caro, & sanguis postea creditur D. Algerus lib.1.de Sacrament.corp.Domini, c.16. vbi ait: *Cum enim vino pro Christo, aqua sacrificatur pro populo, & vtrumque vnus sanguis fiat, &c. Sed licet in mensa Domini tria constituantur munera, sunt tamen duo, per quæ sacrificetur, Est aqua mista prius vino, sed quando sacratur, non nisi sanguis erit*. S.Ambros.lib.4.de Sacram.cap 5. inquiens: *Ante verba Christi, Calix est vino, & aqua plenus: vbi verba Christi operata fuerint, sanguis efficitur*. S.August. asserens: *Aqua mittitur in calicem, & fit sanguis consecratione verbi cœlestis*. D. Damasc.lib.4.fidei, c.14. vbi Christum ait, *Panem sui ipsius corpus facere, & vinum, & aquam sanguinem*. Et S. Iustinus Apologia 2. pro Christianis sub finem, vbi dicit: *Diaconi dant vnicuique eorum, qui adsunt percipiendum panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt*.

Secundò. Multo certius est, totum, quod continetur in calice, per legitimam consecrationem conuerti in sanguinem, quam aquam prius conuerti in vinum: sed hoc esset falsum, si necessario deberet prius conuerti in vinum, quam in sanguinem, vt per se patet, ergo non est necesse eam prius conuerti in vinum. Maior probatur, quia multi putant fide tenendum esse, totum liquorem contentum in calice, legitima facta consecratione, conuerti in sanguinem, quod, & colligitur ex Patribus præced. arg. citatis absolutè id asserentibus tanquam rem certam, & indubitatam; &

quia

quia alias falsa esset forma calicis, sicut, & falsa esset forma corporis, si absolutè pronunciaretur super hostias, inter quas essent aliquæ hostiæ chartaceæ, aut forma calicis super calicem mistum vino, & oleo. Contra vero nunquam fuit in Ecclesia iudicatum pertinere ad fidem, an aqua conuertatur in vinum, cum semper id plurimi negauerint, qui nunquam fuerunt in Ecclesia reprehensi.

Tertiò. Aqua mista vino nunquam conuertitur in vinum: sed quandoque cōuertitur in sanguinem Christi; ergo ad hoc non est necessarium, vt prius conuertatur in vinum. Maior probatur 1. quia Arist. Plinius, omnesque medici, & chymici id affirmant. Secundò, quia potest aqua post mistionem iterum separari, quod non esset, si in vinum conuersa esset. Tertiò, quia corpora simplicia, qualis est aqua, non nutriunt, quia non possunt immediatè in mista conuerti, ac proinde, nec aqua in vinum. Quartò, quia aqua est tenacissimæ naturæ: vnde si eam iniicias in candentem ollam ferream, si vapores a lambico excipias, totam omnino integram recipies. Quintò, quia, nec viuentia totum cibum, aut potum possunt integrè in suam substantiam conuertere, nec ignis totam materiam, quam comburit, cum relinquat cineres, & fuliginem; ergo, nec vinum totam aquam poterit in se conuertere. Sextò, quia vinum semper proportionabiliter perdit virtutem suam pro multitudine aquæ.

quæ

quæ ei imponitur, & si guttatim, & per interualla imponas, cum tamen contrariũ contingat in ijs, quæ alias res in suam substantiam conuertunt. Septimo, quia, & si fortia valde vina possent paruam quantitatem aquæ in se conuertere, non tamen tenuia: & quamuis possent, non tamen, tam breui tempore, quale est communiter in priuatis Missis ab offertorio, vsque ad consecrationem, & multo minus, quando quis post consecrationem corporis recordatur se non imposuisse aquam calici, & secundũ Rubricas Romanas statim eam imponit, & consecrat, ergo saltem tunc aqua immediatè cõuertitur in sanguinem Christi, alias Ecclesia, in prædictis Rubricis iubens misceri aquam vino, exponeret Sacerdotem periculo proferendi formam falsam, & offerendi populo adorandam aquam pro sanguine Christi.

Dicendum tamen est: vt aqua in calice apposita conuertatur in sanguinem Christi, prius debere conuerti in vinum. Docent hoc communiter Theologi, nec vllus præter prædictos recentiores oppositum dixit vnquam. Asserunt quidem viri grauissimi, & scientia, & dignitate eminentissimi, aquã simul, & vinum transubstantiari in sanguinem Christi, hocque semper credidisse sanctam Romanam Ecclesiam, hęresimque hoc sæculo obortam esse negantium aquam vino mistam mutari in sanguinem. sed hoc non opponitur nostrę conclusioni, quæ neque id negat, sed asserit, aquam vi-

no

no mistam, quæ mutatur in sanguinem Christi, & quæ simul cum vino transubstantiatur in illum, esse aquam vinum factam, seu in vinum conuersam: neque est hæresis hoc sæculo oborta; hoc enim asserere manifesta insania est, quam nec somniarunt prædicti viri doctissimi.

Probatur ergo nostra conclusio I. cum D.Thom.hic ex cap. *Cum Martha*, De celebratione Missarum, vbi cum ab Innocentio III. quæsitum esset, vtrum aqua cum vino in sanguinem Christi conuertatur, respondit de hac re varias esse Scholasticorum opiniones: *Aliquibus enim videtur, quod cum de latere Christi duo præcipua fluxerint Sacramenta, redemptionis in sanguine, ac regenerationis in aqua: illa duo vinum, & aqua, quæ commiscentur in calice, diuina virtute mutantur. Alij verò tenent, quod aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, cum in vinum transeat mista vino, licet physici contrarium asseuerent, qui aquam à vino per artificium posse asserunt separari. Præterea potest dici, quod aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa.* Ex quibus tribus opinionibus quænam tenenda sit, subdit: *Verum inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari.* Ergo cum hæc sit secunda opinio asserens, aquam cum vino transubstantiari in sanguinem, cum in vinum trãseat mista vino: illam probabiliorem esse iudicat. Et cum talis opinio rationem red-

dat,

dat, cur aqua in sanguinem transubstantietur, quia in vinum transit; sentit absque dubio Pontifex, non posse aquam transubstantiari in sanguinem Christi, nisi prius in vinum transeat, seu conuertatur.

Respondent prædicti recentiores, Pontificem proferentem suam sententiam non dicere secundam sententiam, aut eorum, qui dicunt aquam prius conuerti in vinum esse probabiliorem, vt aliqui illum male citant; sed probabiliorem esse eorum sententiam, qui dicunt, aquam cum vino in sanguinem transmutari; vt ostendat se abstrahere ab eo, quod prius in vinum sit cõuersa, necne.

Sed ij auctores ante omnia D. Thom. aduersantur, qui sententiam Pontificis ita refert. *Et ideò, sicut ipse dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam conuerti in vinum, & vinum in sanguinem*. Deinde falsum esse, quod asserunt ipsi, probatur: nam Pontifex vnam ex tribus opinionibus ab ipso relatis asserit esse probabiliorem, cum dicat: *Inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, &c.* Sed non primam, nec tertiam, vt patet; ergo secundam, quę sola asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari. Respondent, Pontificem secundam sententiam fecisse bimembrem, vt contineat mediatam conuersionem, quam aperte recitat: & immediatam, quã insinuat tantum breuiter, negando secundum physicos conuersionem in vinum, & nihilominus absolute approbando conuersio-

sionem in sanguinem. Sed quis non videt hoc gratis, & sine fundamento dici? Etenim Pontifex non quatuor, sed tres tantum opiniones retulerat, & secunda apud Scholasticos non erat bimembris, sed tantum asserebat, aquam cum vino transubstantiari in sanguinem, quia transit in vinum, licet physici contrarium asserunt. Si vero ipse illam bimembrem fecisset, nullam ex prædictis Scholasticorum opinionibus probabiliorem dixisset, sed quam ipse proponebat, quæ reuera quarta esset à tribus prædictis distincta, & partim cum secunda conueniret, asserendo conuersioné in sanguinem, & partim cum tertia, negando conuersionem in vinum. Falsum est etiam Pontificem physicorum assecurationem approbasse, & secundum illos negasse conuersionem aquæ in vinum: nam potius, sicut, & secunda sententia, non curauit de tali physicorum assecuratione, eam falsam esse existimans; sed cum eadem secunda sententia dixit, aquam in vinum transire, vnumque cum illa fieri: *Vt expressius eluceat proprietas Sacramenti. Nam cum aquæ multæ sint populi multi: ideò vino aqua vnitur, vt Christo populus adunetur &c. vt qui est vnum cum Patre per ineffabilem vnitatem fiat vnum nobiscum per admirabilem vnionem*. Hoc enim dixit Pontifex respiciens ad id, quod secunda opinio dixerat de aqua: *Cum in vinum transeat mista vino*. At non est necesse, vt eodem prorsus modo populus Christo adunetur, quo vino aqua vnitur: si;

ficut, nec Chriſtus ſit vnum nobſcum per admirabilem vnionem eodem prorſus modo, quo ipſe eſt vnum cum Patre per ineffabilem vnitatem. Vnde ridiculum eſt, quod prædicti recentiores dicunt, Pontificem his verbis inſinuaſſe, quod ſicut per gratiæ, & donorum communicationem, ſalua manente noſtra natura, vnimur Chriſto: ita aqua vniatur vino participando ſolas qualitates.

Secundò probatur concluſio ex Concil. Florent. vbi in Decreto Eugenij Papæ IIII. de Euchariſtia dicitur: *Cuius materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet:* Cur enim modiciſſima aqua admiſceri vino præcipitur, niſi vt cito, & facilius conuertatur in vinum, in quod, ſi non conuertitur, non poteſt conuerti in ſanguinem Chriſti? In hunc etenim non conuertitur, niſi, quod eſt materia Euchariſtiæ: ſed aqua non conuerſa in vinum non eſt materia Euchariſtiæ, cum huius materia, vt ait Concilium, ſit vinum de vite, & aqua non conuerſa in vinum non ſit vinum; ergo non poteſt conuerti in ſanguinem Chriſti. Reſpondent prædicti recentiores, vinum eſſe per ſe, & neceſſariam materiam Sacramenti: aquam verò non neceſſariam, nec per ſe, ſed tantũ quatenus miſta vino eiuſdem qualitates, & ſpecies aliqua ratione participat, ita, vt quamuis ſecundum ſubſtantiã ſit aqua, ſecundũ apparentiã externã ſit vinum, appareatq. conuerſa in vinũ,

quod

quod quia aquæ appositæ vino in magna quantitate, ita, vt vinum excedat conuenire nequit; ideò modicissimam ei admisceri præcipitur. Contra hoc tamen est; quia sicut Materia Baptismi est aqua naturalis secundum substantiam, & non secundum solam apparentiam externam: ita materia Eucharistiæ est vinum non secundum solam apparentiam, sed secundum substantiam; alias enim, si guttula aquæ rosaceæ, aut sanguinis agni admisceretur vino in calice, & manente substantia sanguinis, aut rosacei liquoris, appareret in vinum conuersa, & secundum apparentiam externam vinum putaretur, & vini qualitates participaret, esset materia Eucharistiæ, quæ posset in sanguinem Christi cōuerti; ergo si aqua vino mista solum est vinum secundum externam apparentiam, & non secundum substantiam, non est materia Eucharistiæ, nec in sanguinem Christi conuerti potest. Confirmatur, si in calice non remaneret nisi hæc aqua, quæ solum secundum apparentiam externam est vinum, anihilante Deo substantiam vini ibi existentis, non posset consecrari; ergo nec consecrari potest, dum est coniuncta cum vino substantiam vini habente: nam hęc coniunctio non tribuit illi materiam esse Eucharistiæ, sicut nec cuicumque alteri rei, quæ solum secundum apparentiam externam est vinum.

Tertiò probatur ex Concilio Tridentin. sess. 13. c. 3. & can. 2. dicente mirabilem

con-

conuersionem, quæ fit in Sacramento Eucharistiæ, esse *Totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini* vbi cum solius substantiæ panis, & vini, & illorum accidentium fiat mentio, indicat Concilium solam substantiam panis, & vini conuerti in corpus, & sanguinem Christi, & sola accidentia panis, & vini manere sine subiecto: atsi aqua vino permista, & non conuersa in illud conuerteretur in sanguinem Christi, non esset hoc verum, nam in sanguinem Christi conuerteretur aqua, quæ non est vinum, & eius accidentia manerent sine subiecto; ergo &c. Confirmatur; ex his Concilij verbis conuincitur, culicem, qui aliquando est in vino, non conuerti in corpus vel in sanguinem Christi, & eius accidentia non manere sine subiecto; quia non est panis, nec vinum secundum substantiam; ergo etiam conuincitur, neque aquam, quæ non est conuersa in vinum, nec est vinum facta, non conuerti in sanguinem Christi, nec eius accidentia manere sine subiecto.

Ad 1. autem factum in principio respondetur, Patres loqui de aqua facta vino seu in vinum conuersa: sicut enim exodi 7. v 12. dicitur, *Deuorauit virga Aaron virgas eorum*, quod intelligendum est de virga cōuersa in colubrum: ita quando Patres dicunt, aquam mistam vino offerri, benedici, consecrari, & consecratione mutari in sanguinem, intelligendi sunt, de aqua iam

vinum

vinum facta, & conuersa in vinum. Vnde Patres quorum verba referuntur de consecrat. d. 2. præsertim S. Cyprianus can. *Sic*, dicunt, aquam, vt benedicatur, & offeratür in hoc Sacramento, debere adunari vino, sicut adunatur pani, qui ex ipsa, & farina conficitur, in quo constat, non manere secundum substantiam, sed panem factam, & in panem conuersam: Quod etiā dicunt Paschasius, & D. Algerus, aquam consecrari, & sacrificari, & in sanguinem verti, aut sanguinem fieri, de illa, vt conuersa in vinum, intelligendum; quam, licet iam sit vinum facta, vt distinctam à vino connumerant: tum ob significationem, quia per vinum significatur Christus, & per aquam conuersam in vinum populus, qui Christo adunatur: tum etiam ob terminum à quo talis conuersionis, quia est aqua distincta à vino. Et eodem modo intelligendum est, quod asserunt SS. Ambros. Aug. Damasc. & Iustinus, de aqua scilicet in vinū conuersa; sic enim sanguis efficitur verbis consecrationis, & sicut Ioan. 2. v 9. dicitur, *Gustauit architriclinus aquam vinum factam*, & Psalm. 80. v. 17. *Cibauit eos ex adipe frumenti*, conuerso scilicet in panem: ita aqua facta vinum, & in ipsum conuersa dicitur consecrari, & consecratione fieri sanguinem Christi, & in ipsum conuerti.

Ad 2. respondetur maiorem intelligendam esse de toto, quod continetur in calice, vt materia Eucharistiæ; si enim culex

con-

contineretur in calice cum vino, non conuerteretur in sanguinem Christi: nec tamen propterea forma calicis esset falsa, nisi forte Sacerdos intenderet absolutè consecrare totum, tam scilicet, quod est materia, quam quod non est materia Eucharistiæ, iuxta ea, quæ diximus, hic art.2. dubio vnico con.3. ad finem. Vnde si aqua mista vino conuersa sit in ipsum, certum est secundum fidem, ipsam, ac proinde totum, quod vini, & aquæ appositum est in calice, conuerti per legitimam consecrationem in sanguinem Christi. Si vero non sit conuersa in ipsum, sed substantiam aquę retineat, falsum est, ipsam, ac proinde totum, quod continetur in calice, conuerti in sanguinem Christi, nam non totum est materia Eucharistiæ. Cumque recentiores prædicti asserant, aquam nunquam cõuerti in vinum, nunquam verificare possunt (sicut nos verificamus) totum, quod vini, & aquæ appositum est in calice, conuerti in sanguinem Christi, pertinere ad fidem: quis enim audebit dicere, de fide esse aquam non conuersam in vinum in sanguinem Christi conuerti? Sicque Patribus, & aliis illud asserentibus manifestè aduersantur.

Ad 3. respondetur negando maiorem: si enim aqua, vt ait S. August. lib. 1. de mirab. Sacr. Scrip. cap. 18. vel illius operis Auctor: *Cum per vitis arborem infunditur, in vini saporem, & colorem mutatur*, cur non poterit mista vino conuerti in vinum? Ad 1. pro-

bationem dico, Aristotelem oppositum docuisse lib. 1. de generat. cap. 5. lect. 14. apud D.Th. & cap. 10. lect. 25. apud D.Tho. Vnde S. Thom. infra q. 77. ar 8 ait: *Gutta aquæ multo vino permista transit in speciem vini, vt dicitur in primò de generatione.* Verba Arist. cap 10. citato hæc sunt: *Earum autem rerum, quæ faciendi vim habent, & patiendi, omnesque facile diuidi possunt, multa quidem cum paucis, & magna cum paruis copulata permistionem non faciunt, sed eius, quod superat amplificationem. Altera enim in eam, quæ superior est, mutatur, veluti gutta vini decem millibus amphorarum aquæ non admiscetur. Species enim tollitur, atque in totam aquam vertitur.* Vbi licet in gutta vini exemplum ponat, eadem est ratio de gutta aquæ multo vino apposita, cum tunc vinum fit res superior, vnde in ea exemplum posuerat cap. 5. dicens: *Vt cum aquam vino admisces Nam in admistionem etiam id, quod superat, vt vinum nominatur.* Apud Plinium hoc legi, lib 16. cap. 35. *Hedera mira proditur natura ad experienda vina: si vas fiat ex ligno eius, vina transfundere, ac remanere aquam, si aqua fuerit mista.* Ad quod, & quod dicunt Chymici, per immissionem medullę iunci, aut per spongiam oleo imbutam attrahi ex vino aquam, quæ illi admista est; responderi solet, hanc non esse veram aquam, sed liquorem quendam ipsius vini nondum exactè decoctum aquæ similem, eiusdem substantię cum vino saltem dum est in illo. Dici etiam potest, tunc generari aquã illã,

si

si vera est, ex vapore vini, cui aqua admista fuerat, & in illud conuersa, attracto ab hederæ ligno, vel medulla iunci, aut spongia oleo imbuta; eodem prorsus modo, quo ex terræ vapore attracto à sole generatur aqua in media aeris regione, vt docet Arist. lib. 1. Meteor. cap. 9. Ad 2. probationem hinc patet quid sit dicendum. Retorqueri etiam potest contra arguentem: nam quoque ex speciebus vini consecrati separari possent species aquæ, tuncque sub illis maneret sanguis Christi, cum tamen sint puræ aquæ. Ad 3. probationem dico, quicquid sit de illo, an scilicet aqua nutriat, vel non, Aristotelem, & D. Thom. lib. 1. de Generat. cap. 5. lect. 14. asserere, eandem esse rationem de mistione, ac de nutritione, & augmento: sicut enim cibus inquit ibi S. Doctor, *Non manet: conuertitur enim in substantiam eius, quod nutritur, & augetur; ostendit* (Aristoteles scilicet) *etiam in mistione esse simile, quando parum de aqua admiscetur multo vino*. Ad 4. probationem dico, illud ideò esse, quia aqua difficile conuertitur in ignem, cum quo non permiscetur, in liquores tamen, cum quibus permiscetur, facilè conuertitur, vt statim dicemus. Ad 5. probationem neganda est consequentia: nam, vt ait Arist. lib. 1. de Generat. cap. 10 *Humida corpora permiscentur maximè. Ex his enim, quæ diuidua sunt, id quod liqueris vim habet maximè terminari potest, nisi viscosum sit*. Sicut autem liquores, nisi viscosi sint; vt oleum, facile permiscentur; ita facilè v:

nus secundum se totum conuertitur in alium superantem. Cum autem alimentum, & materia ignis, non permisceantur cum viuentibus, aut igne, non totaliter cõuertuntur in illa, sicut aqua conuertitur in vinum. Ad 6. probationem dico, etiam viuentia pro multitudine alimenti perdere vim conuertendi illud in propriam substantiam; si enim multum sumant etiam paulatim buccellis, aut guttis acceptis, non possunt illud digerere, nam agendo repatiuntur: & quamuis illo accepto in quantitate moderata possint se ad pristinum statum reducere, hanc tamen virtutem perdunt post multum tempus, & sic tandem moriuntur. Cum autem liquores, vt vinum, careant anima viuente, non opus est, vt eodem modo, quo viuentia possint se ad pristinum statum reducere, sed semper in illis perseuerat diminutio virtutis disponẽs ad eorum corruptionem: sicque imposito liquore alio diuersæ qualitatis etiam guttatim, ac per interualla, non crescit virtus conuertendi illum in se ipsos, sed semper magis, ac magis diminuitur. Ad 7. probationem dico, etiam tenuia vina posse parũ aquę in se conuertere, & quamuis non in tam breui tempore, quo fortia; sufficiens tamen esse, quod intercedit in Missis priuatis ab Offertorio, vsque ad consecrationem; immo, & minus: nam cum aqua facile vino misceatur, vtpote humidum non viscosum, breui tempore in illud conuertitur. Et sicut requiritur aliquod tempus, vt

vt aqua in vinũ conuertatur, ita & vt qualitates vini recipiat eo modo, vt secundum apparentiam vinum censeatur. Vnde cum secundum sententiam prædictorum recentiorum aqua non possit consecrari, nisi secundum apparentiam sit vinum, non magis vitant ipsi inconueniens, & periculum nõ consecrãdi totũ liquorem contentũ in calice, quando verba statim, ac aqua est vino apposita proferũtur secundũ Rubricas Romanas, quam nos: nam qualitates, quas ipsi dicunt facere aquam vinum secundum apparentiam, nos dicimus aquam vltimo, aut saltem valdè proximè disponere ad formam vini, quæ simul est cum vltima dispositione; sicq. si illud breuissimum tempus sufficit, vt aqua vinum omnino appareat, ita & vt in vinum conuertatur. Quod si aliquando verba consecrationis proferãtur, antequam aqua tales qualitates recipiat, & in vinũ conuertatur, non propterea forma est falsa: quia Sacerdos non intendit consecrare totum, quod est in calice absolutè, sed solum totum, quod in eo est materia Eucharistię, nisi fortè habeat peruersam, & sacrilegam intentionem, iuxta ea, quæ diximus ad secundum.



QVÆSTIO LXXV.

De conuersione panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi.

ARTICVLVS I.

Vtrum in hoc Sacramento sit corpus Christi secundum veritatem.

Conclusio est affirmans.

CErta est secundum fidem diffinita in Concilio Romano sub Nicolao II. cōtra Berengarium, vt patet ex can. *Ego Berengarius*, de consecrat. distinct. 2. & in Concil. Trid. sess. 13. can. 1. contra Vviclef, & alios hæreticos nostri temporis, his verbis: *Si quis negauerit in Sāctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem vna cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, vt in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.*

Probari posset multis, sufficiant tamen nobis verba Christi Matt 26. v. 26. Marci 14. v. 22. Lucæ 22. v. 19. & 1. Corinth. 11. v. 24. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

Qui-

Quibus apertè contrarium est, quod dicũt hæretici, corpus Christi non esse in hoc Sacramento verè, & realiter, sed solum, vt in signo, vel figura: sicut præbente aliquo alijs aquam, quæ videtur vinum (qualem ego vidi, & bibi in Castro de Salsas) & dicente: Hoc est aqua; qui diceret sub illis accidentibus non esse aquam vere, & realiter, verbis eius contrarium assereret.

Respondent hęretici, hæc verba non esse prolata à Christo in sensu proprio, sed sub tropo, & figura, sensumque esse: Hoc quod do vobis, significat corpus meum, vel est figura corporis mei, sicut cum Paulus dicit 1. Corinth. 10. v. 4. *Petra autem erat Christus*, sensus est, petra erat figura Christi: & cum Ioseph dixit Pharaoni Genes. 41. v. 26. *Septem boues pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem vbertatis anni sunt*, sensus est, significat septem annos vbertatis. Contra hoc tamen est, Christus hæc verba verè proferre potuit in sensu proprio, in quo, nec Paulus, nec Ioseph proferre potuerunt, quę dixerunt; ergo in illo sunt intellegenda, & non sub tropo, & figura: nam vt ait S. August. lib. 3. de doctrina Christiana capit. 10. in sermone Dominico, id solum figuratum censendum est, quod ad fidei veritatem, vel morum honestatem propriè referri non potest. Antecedens probatur, Christus, cum in cœna accepit panem, deditque Discipulis, potuit efficere, vt sub speciebus illis panis non esset substãtia panis, sed suum corpus contineretur,

hoc enim non negabunt hæretici prædicti, nisi negantes Dei omnipotentiam velint amplius insanire, ergo cum dixit, *Hoc est corpus meum*, in proprio sensu id verè dicere potuit, nam verum esset contentum sub illis speciebus esse verè, & realiter suũ corpus, qui est sensus proprius illorum verborum. Nec opus esset, vt ante prolationem talium verborum suum corpus sub illis speciebus constitueret, sed posset efficiendo, vt corpus suum sub illis contineretur, verba illa verè proferre in sensu proprijssimo: sicut & qui efficiendo lineam diceret, hæc est linea, hoc verè diceret in proprijssimo sensu.

ARTICVLVS II.

Vtrum in hoc Sacramento remaneat substantia panis, & vini post consecrationem.

Conclusio est negans.

Dubium. An hæc conclusio sit vera, & certa secundum fidem.

PArs negans probatur 1. hoc Sacramentum Eucharistiæ sæpè vocatur panis, & vinum in Scriptura, vt 1. Corin. 10. v. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participa-*

tio

tio corporis Domini est? Et cap. 11. v. 28. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.* Et Matth. 26. v. 29. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Ergo in eo remanet substantia panis, & vini post consecrationem.

Secundò probabile est, in hoc Sacramento manere existentiam, & subsistentiam panis, & vini; ergo & manere saltem aliquid substantiæ panis, & vini, talis enim existentia, & subsistentia non accidens, sed substantia est. Antecedens probatur: Tum quia probabile est, existentiam substantiæ, & accidentis non distingui realiter; ergo cum accidentia, quæ manent in hoc Sacramento, verè existant eadem existentia, qua antea existebant, simul cum illis manet existentia panis, & vini. Tum etiam, quia talia accidentia, cum per se existant, subsistunt: sed non alia subsistentia quam panis, & vini; ergo hæc manet cum illis.

Dicendum tamen est: Conclusionem articuli veram, & secundum fidem certam esse. Probatur 1. ex Conc. Trident. sess. 13. can. 2. vbi diffinitur: *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini vna cum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi anathema sit.*

Secundò probatur ratione D. Thom. hic: Non potest Corpus Christi aliter incipere esse de nouo in hoc Sacramento, nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum;

sed quod conuertitur in aliquid, facta conuersione nõ manet; ergo in hoc sacramento non manet substantia panis post consecrationem. Idem est de substantia vini, vt simili argumento probari potest. Maiorem ait Mag. Soto in 4. d. 9. q. 2. art. 2. sumpsisse D. Thom. ex Conc. Lateran. cap. *Firmiter*, de Sum. Trinit. sicque illius impugnatores non solum contra D. Tho. sed etiam contra Sanctiones Ecclesiæ argumentari. In prædicto enim Concilio non datur alia ratio præsentiæ, nisi transubstantiatio: cum autem effectus non possit esse sine causa, rectè ait D. Thom. non posse Corpus Christi aliter incipere esse de nouo in hoc sacramento, nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum. Est tamen difficultas, an prædicta maior sit intelligenda de potentia Dei absoluta, an verò solum de potentia ordinata. Paludanus in 4. dist. 11. q. 2. Capreolus ibidem q. 1. & Ferrariensis 4. contra gentes cap. 63. intelligendam esse asserunt etiam de potentia Dei absoluta. Caiet. hic §. *Ad euidentiam*, & Mag. Soto vbi supra dicunt intelligendam esse de potentia Dei non absoluta, sed ordinata. Mihi vtramque sententiam veram esse posse videtur. Si enim maior D. Thom. accipiatur supposito eo, quod de facto contingit, corpus scilicet Christi incipere esse in hoc sacramento absque vlla sui mutatione, intelligenda est de potentia Dei absoluta, ita vt per hanc fieri non possit, vt Corpus Christi absque vlla sui mutatione incipiat

esse

esse de nouo in hoc sacramento sub speciebus panis, nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum. Insinuat hoc D.Thom. hic,& clarius in 4. d.11. q 1. ar.1. quæstiuncula 3. vbi hoc fieri non posse dicit: *Ex hoc quod impossibile est aliquid esse nunc, cum prius non fuerit, nihil ipso mutato, vel aliquo in ipsum: nec posset etiam per miraculum fieri, sicut quod esset animal rationale mortale, & nõ esset homo*. Et ad 3. *Ad hanc positionem sequitur grauius inconueniens, quam quod contradictoria sint simul vera, quia ponit diffinitionem, scilicet aliter nunc, quam prius, & non potest ponere diffinitum, scilicet motum, neque in corpore Domini, neque in substantia panis*. At non possunt etiam per Dei potentiam absolutã contradictoria esse simul vera, nec diffinitio esse sine diffinito potest; ergo nec etiam potest per Dei potentiam absolutam Corpus Christi absque vlla sui mutatione incipere esse de nouo in hoc sacramento, nisi per cõuersionem substantiæ panis in ipsum, qua substantia panis mutetur. Confirmatur, Deus quia nullo modo mutatur, non potest incipere esse de nouo in creatura, sine mutatione creaturæ; ergo nec Corpus Christi in hoc sacramento absque vlla sui mutatione, nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum, qua mutetur substantia panis. Si vero maior D.Thom. accipiatur absolutè, & simpliciter intelligenda est de potentia ordinata non absoluta Dei Per hanc enim potest Corpus Christi constitui in hoc sacramento simul cum substantia

panis, dum tamen per actionem, qua in eo constituitur, etiam si non desinat esse in cœlo, aliquo modo mutetur: quia tunc non esset diffinitio mutationis sine mutatione, hæc namque, licet non esset in substantia panis, esset tamen in Corpore Christi. Probant hoc argumenta Durandi, & Scoti, quæ hic refert Caiet. quorum solutionem hinc pendere dicit. Nulla enim apparet contradictionis implicatio, aut repugnantia, vt Corpus Christi fiat præsens huic sacramento præsentia reali per mutationem, quæ primo, & per se terminetur ad talem præsentiam, & sit sine consortio cuiuscumque alterius mutationis; ac per consequens sine conuersione panis in Corpus Christi.

Tertiò probatur conclusio alia ratione D. Thom. Si substantia panis remaneret in hoc sacramento, non esset verum, quod dicitur in forma consecrationis, *Hoc est corpus meum*, nunquam enim substantia panis est Corpus Christi, vnde potius esset dicendum, hic est corpus meum: sed hoc est falsum, & hæreticum; ergo conclusio articuli vera, & certa secundum fidem. Respondet Scotus negando maiorem: quia tunc pronomen *Hoc*, non demonstraret substantiam panis, sed contentum sub pane. Contra hoc tamen omissis alijs, quæ Caietanus hic objicit, est argumentum: nam quamuis pronomen hoc possit demõstrare contentum sub aliqua substantia, vt patet, cum quis ostensa lagena plena aqua dicit,

dicit, hoc est aqua; tamen primo, & per se demonstrat contentum sub accidētibus, quæ videntur, tanquam subiectum, quod ex natura, & vsu suo magis sunt nata efficere, & continere, & vt aliud, quam hoc subiectum demonstret, opus est, aut tale subiectum deficere, vt de facto deficit in Sacramēnto Altaris, aut continere aliud modo visibili, ita vt facilè videri possit; alias enim arreptus à dæmone ostenso suo corpore verè posset dicere hoc est dęmōn, & quilibet suo corpore ostenso, hoc est anima rationalis: at si substantia panis remaneret in hoc Sacramento, nec deficeret subiectum accidentium, quæ videntur, nec sub tali subiecto contineretur Christi Corpus visibiliter; ergo pronomen *Hoc*, non demonstraret Corpus Christi contentum sub pane, sed substantiam panis contentam sub visibilibus accidentibus. Aliam solutionem Durandi impugnant optimè Caiet. & Mag. Soto vbi supra, vide illos, præsertim M. Soto, qui tres de hac re errores refert, & refutat.

Ad 1. autem factum in principio respondetur, hoc Sacramentum vocari panem, & vinum non quia in eo remaneat subsistantia panis, & vini; sed quia ex pane, & vino conficitur, sicut Euam vocauit Adam Gen. 2. v. 23. *Os ex ossibus meis*, quia ex eius osse facta fuerat. Vel quia sensibus apparet panis, & vinum, sicut Angeli, qui apparuerūt, Abrahæ, Genes. 18. v. 2. vocantur *Tres viri*,

quia

quia viri apparebant,& hominum figuram ostendebant.

Ad 2. respondetur negando antecedens: nam cum in Concil. Trident sess. 13. can. 2. diffiniatur, totam substantiam panis conuerti in corpus, & totam substantiam vini in sanguinem Christi, non est probabile aliquid substantiæ panis, aut vini, qualis est eius existentia,& subsistētia, manere in hoc Sacramento. Ad 1. probationem dico, antecedens si quid habet probabilitatis, à concedentibus illud negandam esse consequentiam. & dicendum, accidentia in hoc Sacramento non existere eadem existentia qua antea, sed per aliam, aut per extrinsecā Dei manutenentiam. Ad 2. probationem neganda est maior: nam licet talia accidentia de facto, & actu non inhæreant, debetur tamen illis inesse ex natura rei, sicq; non per se existunt, nec subsistunt simpliciter, & absolutè, sed solum habent modum quendam per se existendi.



AR.

ARTICVLVS III.

Vtrum substantia panis, vel vini post consecrationem huius Sacramenti annihiletur.

Conclusio est negans.

Dubium. *An hæc conclusio vera sit.*

FAlsam esse probatur 1. hic inueniuntur duo transitus, seu mutationes, alter per se ab esse panis ad non esse panis, & alius à non præsentia Corporis Christi hic ad præsentiam ipsius hic: sed si secundus transitus non concomitaretur primum, primus esset annihilatio; ergo & modo formaliter est annihilatio, quia ratio eius non variatur propter illud, quod per accidens concomitatur.

Secundò. Si panis annihilaretur, & Corpus Christi poneretur hic præsens, omni eodem modo se haberet tam panis, quam Corpus Christi, sicut modo se habet, quia sicut tunc nec forma, nec materia panis maneret, ita nec nunc manet; ergo sicut tunc panis redigeretur in nihilum, & esset annihilatus, etiam nunc.

Ter-

Tertio. Id quod prius fuit aliquid, & postea est nihil, vere est annihilatum: sed panis ante consecrationem fuit aliquid, & post consecrationem est nihil, cum non sit aliquid in se, vt patet, nec in alio scilicet Corpore Christi, nam in Corpore Christi nihil plus est quam ante; ergo verè est annihilatus.

Quartò. Si in corruptione materia desineret esse sicut, & forma, iam non esset corruptio, sed annihilatio: sed hic tam materia, quam forma panis, & vini desinit esse; ergo vera est annihilatio panis, & vini.

Quintò. Si remanente Corpore Christi immutato rediret eadem substantia panis, oporteret, panem illũ creari, nam nõ fieret de substantia Corporis Christi, aut alicuius alterius, sed ex nihilo; ergo si præxistente Corpore Christi panis desinat esse, ita vt nihil de eius substantia remaneat, vt hic contingit, verè annihilabitur; eodem enim modo se habet aliquid, vt sit terminus ad quem annihilationis, & terminus à quo creationis.

Dicendum tamen est: certissimam esse conclusionem articuli, scilicet substantiam panis, aut vini post consecrationem non annihilari. Oppositum huius tenet Scotus in 4.d.11.q.4. Sed illam sic probat D. Tho. hic: substantia panis conuertitur in Corpus Christi; sed hæc conuersio tollitur posita annihilatione substantiæ panis; ergo hæc non annihilatur. Confirmat, effectus Sa-

cra-

cramenti significatur per formam: sed per verba formæ non significatur annihilatio substantiæ panis; ergo hæc non annihilatur. Quæ ratio tanti ponderis est, vt existimem, quod asserit Mag. Soto in 4. dist. 9. q. 2. art. 4. dicens: *Annihilationis opinio nescio quomodo citra errorem sustentari possit*, licet alij non admittant, ego etiam ab hac censura abstineã propter auctoritatem Scoti, & aliorum; non fuisse absque causa, & fundamento dictum. Nam præter ea, quæ ibi dicit M Soto, si verum est, quod in minori rationis factæ asserit D. Thom. *Quæ conuersio tollitur posita annihilatione substantiæ panis*; non absque causa illud dicitur, (vt quidam recentiores asserunt) cũ talis conuersio secundum fidem asserenda sit. Verum autem esse probatur: nam quamuis, quod corrumpitur possit cõuerti in aliquid aliud, quia non desinit in nihil, sed in aliquid, vt aqua in aërem: quod tamen annihilatur, non potest in aliquid aliud conuerti, quia non desinit in aliquid, sed in nihil, & in nihilũ redigitur, ac conuertitur; ergo non potest conuerti in aliquid, nam hoc cũ illo pugnat, & per illud tollitur: propter, quod Caiet. hic ait, Scotum sola voce conuersionem affirmare.

Quomodo autem non annihiletur substantia panis, & vini, variè explicant Doctores. Durandus in 4. d. 11. q. 3. num. 5. dicit, non annihilari, quia corrupta forma panis per conuersionem, materia eius manet sub forma Corporis Christi, sicut materra

teria alimenti manet sub forma nutriti. Sed hoc manifestum continet errorem contra diffinitionem Conc. Trident. sess. 13. can. 2. Cum neget conuersionem totius substantiæ panis in Corpus Christi.

Alij dicunt panē nō annihilari: quia licet substātia panis non maneat actu, & formaliter secundū se totam, aut aliquā sui partē; manet tamen virtualiter in suis accidentibus. Contra hoc tamen est; quia hinc sequeretur, Deum non posse annihilare aliquam substantiam manentibus eius accidentibus: item substantiam panis annihilari, si Deus illam cum suis accidentibus conuerteret in Corpus Christi: sed hæc falsa sunt; ergo, &c.

Alij, vt Nominales, asserunt, non annihilari substātiam panis, quia loco illius succedit substantia Corporis Christi. Sed cōtra hoc est, quia si Deus in nihil redigeret corpus aliquod intra aquam existens, etiā si loco illius succederet aqua ad supplendū vacuum, verè annihilaretur; ergo licet hic loco substantiæ panis succedat substantia Corporis Christi, non propterea illa non annihilatur. Supponit etiam hic modus dicendi panem conuerti in Corpus Christi nihil aliud esse, quam corpus Christi loco eius succedere, quod falsum est.

Alij, vt Capreolus in 4. d. 11. ad arg. contra 2. & Palud. ibidem art. 1. ad 1. affirmant, panem non annihilari, quia manet in potentia obediētiali corporis Christi, eo quod corpus Christi potest diuina virtute iterum con-

conuerti in illo numero panem. Contra hoc tamen est: quia hoc non habet corpus Christi, ex vi desitionis panis, & conuersionis in ipsum, cum etiam si panis non esset in ipsum conuersus, esset in eo potentia obediētialis, vt conuerteretur in panem, & pane in hac potentia obedientiali manente, posset à Deo annihilari; ergo modo non ideo non annihilatur, quia manet in potentia obedientiali corporis Christi. Confirmatur, quia alias nihil posset à Deo annihilari, quia quantumcumque in nihilū redigatur, in illud idem numero possunt diuina virtute alia conuerti: sed hoc est falsum; ergo, &c.

His ergo omissis, verus modus dicendi est assignatus à D. Thom. hic his verbis: *Licet post consecrationem hæc sit falsa, substantia panis est aliquid: id tamen, in quod substantia panis est conuersa, est aliquid. Et ideo substantia panis non est annihilata.* Ad rationem enim annihilationis requiritur, vt ex vi illius res vertatur in nihil, & non conuertatur in aliquid: & quia ex vi conuersionis substātia panis conuertitur in corpus Christi, ideo non annihilatur.

Ab hoc dicendi modo non differt modus dicendi Caietan. hic, & art. sequent. asserentis, panem non annihilari, quia licet post consecrationem substantia panis non sit aliquid, quod tamen erat panis, aliquid est scilicet corpus Christi, nam vt ait S. Ambros. *Quod erat panis, iam corpus Christi est.* Per id enim, quod erat panis, non

modo nihil seu non sit aliquid; cuius contrarium in proposito inuenitur: nam secundum Amb. id quod erat panis est corpus Christi. Vel clarius, iuxta solutionem D Thom ad 3. ad annihilationem requiritur, vt id quod desinit esse, & id in quod conuertitur, sit omnino nihil; quod in proposito non inuenitur: nam licet substantia panis, quæ desinit esse, non sit aliquid: id tamen in quod conuersa est, aliquid est, cum non sit conuersa in nihil, sed in corpus Christi.

Ad 3. respondet D. Th. in 4. d. 11. q. 1. art 2. ad 3. *Quod quamuis panis non sit aliquid, tamen illud, in quod conuersus est panis est aliquid conuersione facta: & ideo non sequitur, quod panis sit annihilatus*. Et ad 4. *Quod quamuis non maneat panis neque in se, neque in alio; manet tamen corpus Christi, in quod conuersus est panis: & ideo non sequitur, quod sit annihilatus*. Vide etiam Caietan. artic. sequent. §. *Ad obiecta*.

Ad 4. respondetur cum Caiet. loco proximè citato plus requiri ad annihilationē, quam desinire esse materiam, & formam, nempe desinire in nihil, in quod si non desinerent materia, & forma in corruptione, sed conuerterentur in aliquid, vt hic contingit, non esset annihilatio.

Ad 5. cum eodem Caietan. ibidem respondetur negando antecedens: nam diuina omnipotentia posset eundem numero panem restituere dupliciter, scilicet per modum creationis, & per modum reconuersionis. Et si fieret per modum creationis,

nis, corpus Christi, qui fuit terminus ad quem conuersionis, non esset terminus à quo creationis, sed terminus à quo esset nihil, ex quo panis produceretur. Si verò fieret per reconuersionem, ita vt corpus Christi conuerteretur in panem, terminus à quo esset corpus Christi, & terminus ad quem panis reproductus. Ex his autem non sequitur, modo conuersionem panis in corpus Christi esse anuihilationem: quia prima restitutio panis non haberet pro termino à quo, id quod in hac conuersione est terminus ad quem: & secunda non esset creatio, sed reconuersio, a priore conuersione solum distincta, quia prior non habuit terminum ad quem productum, secunda vero productum terminum ad quem haberet, sicut, & eum habuit conuersio vxoris Loth in statuam salis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum panis possit conuerti in corpus Christi.

Conclusio est affirmans.

Dubium. Quinam sit terminus huius conuersionis.

QVidam recentiores dicunt, terminū huius cōuersionis esse corpus Christi per eam reproductum, seu nouo mo-

ſed quod conuertitur in aliquid, facta conuerſione nõ manet; ergo in hoc ſacramento non manet ſubſtantia panis poſt conſecrationem. Idem eſt de ſubſtantia vini, vt ſimili argumento probari poteſt. Maiorem ait Mag. Soto in 4. d.9.q.2. art.2. ſumpſiſſe D.Thom. ex Conc. Lateran. cap. *Firmiter*, de Sum. Trinit. ſicque illius impugnatores non ſolum contra D. Tho. ſed etiam contra Sanctiones Eccleſiæ argumentari. In prædicto enim Concilio non datur alia ratio preſentiæ, niſi tranſubſtantiatio: cum autem effectus non poſſit eſſe ſine cauſa, rectè ait D.Thom. non poſſe Corpus Chriſti aliter incipere eſſe de nouo in hoc ſacramento, niſi per conuerſionem ſubſtantiæ panis in ipſum. Eſt tamen difficultas, an prædicta maior ſit intelligenda de potentia Dei abſoluta, an verò ſolum de potentia ordinata. Paludanus in 4. diſt.11. q.2. Capreolus ibidem q. 1. & Ferrarienſis 4. contra gentes cap.63. intelligendam eſſe aſſerunt etiam de potentia Dei abſoluta. Caiet. hic §. *Ad euidentiam*, & Mag. Soto vbi ſupra dicunt intelligendam eſſe de potentia Dei non abſoluta, ſed ordinata. Mihi vtramque ſententiam veram eſſe poſſe videtur. Si enim maior D. Thom. accipiatur ſuppoſito eo, quod de facto contingit, corpus ſcilicet Chriſti incipere eſſe in hoc ſacramento abſque vlla ſui mutatione, intelligenda eſt de potentia Dei abſoluta, ita vt per hanc fieri non poſſit, vt Corpus Chriſti abſque vlla ſui mutatione incipiat

eſſe

esse de nouo in hoc sacramento sub speciebus panis, nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum. Insinuat hoc D.Thom. hic,& clarius in 4. d.11. q 1. ar.1. quæstiuncula 3. vbi hoc fieri non posse dicit: *Ex hoc quod impossibile est aliquid esse nunc, cum prius non fuerit, nihil ipso mutato, vel aliquo in ipsum: nec posset etiam per miraculum fieri, sicut quod esset animal rationale mortale, & nõ esset homo*. Et ad 3. *Ad hanc positionem sequitur grauius inconueniens, quam quod contradictoria sint simul vera, quia ponit diffinitionem, scilicet aliter nunc, quam prius, & non potest ponere diffinitum, scilicet motum, neque in corpore Domini, neque in substantia panis*. At non possunt etiam per Dei potentiam absolutã contradictoria esse simul vera, nec diffinitio esse sine diffinito potest; ergo nec etiam potest per Dei potentiam absolutam Corpus Christi absque vlla sui mutatione incipere esse de nouo in hoc sacramento, nisi per cõuersionem substantiæ panis in ipsum, qua substantia panis mutetur. Confirmatur, Deus quia nullo modo mutatur, non potest incipere esse de nouo in creatura, sine mutatione creaturæ; ergo nec Corpus Christi in hoc sacramento absque vlla sui mutatione, nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum, qua mutetur substantia panis. Si vero maior D.Thom. accipiatur absolutè, & simpliciter intelligenda est de potentia ordinata non absoluta Dei Per hanc enim potest Corpus Christi constitui in hoc sacramento simul cum substantia

panis, dum tamen per actionem, qua in eo constituitur, etiam si non desinat esse in cœlo, aliquo modo mutetur: quia tunc non esset diffinitio mutationis sine mutatione, hæc namque, licet non esset in substantia panis, esset tamen in Corpore Christi. Probant hoc argumenta Durandi, & Scoti, quæ hic refert Caiet. quorum solutionem hinc pendere dicit. Nulla enim apparet contradictionis implicatio, aut repugnantia, vt Corpus Christi fiat præsens huic sacramento præsentia reali per mutationem, quæ primo, & per se terminetur ad talem presentiam, & sit sine consortio cuiuscumque alterius mutationis; ac per consequens sine conuersione panis in Corpus Christi.

Tertiò probatur conclusio alia ratione D. Thom. Si substantia panis remaneret in hoc sacramento, non esset verum, quod dicitur in forma consecrationis, *Hoc est corpus meum*, nunquam enim substantia panis est Corpus Christi, vnde potius esset dicendum, hic est corpus meum: sed hoc est falsum, & hæreticum; ergo conclusio articuli vera, & certa secundum fidem. Respondet Scotus negando maiorem: quia tunc pronomen *Hoc*, non demonstraret substantiam panis, sed contentum sub pane. Contra hoc tamen omissis alijs, quæ Caietanus hic obijcit, est argumentum: nam quamuis pronomen hóc possit demõstrare contentum sub aliqua substantia, vt patet, cum quis ostensa lagena plena aqua dicit,

dicit, hoc est aqua; tamen primo, & per se demonstrat contentum sub accidētibus, quæ videntur, tanquam subiectum, quod ex natura, & vsu suo magis sunt nata efficere, & continere, & vt aliud, quam hoc subiectum demonstret, opus est, aut tale subiectum deficere, vt de facto deficit in Sacramēnto Altaris, aut continere aliud modo visibili, ita vt facilè videri possit; alias enim arreptus à dæmone ostenso suo corpore verè posset dicere hoc est dęmon; & quilibet suo corpore ostenso, hoc est anima rationalis: at si substantia panis remaneret in hoc Sacramento, nec deficeret subiectum accidentium, quæ videntur, nec sub tali subiecto contineretur Christi Corpus visibiliter; ergo pro nomen *Hoc*, non demonstraret Corpus Christi contentum sub pane, sed substantiam panis contentam sub visibilibus accidentibus. Aliam solutionem Durandi impugnant optimè Caiet. & Mag. Soto vbi supra, vide illos, præsertim M. Soto, qui tres de hac re errores refert, & refutat.

Ad 1. autem factum in principio respondetur, hoc Sacramentum vocari panem, & vinum non quia in eo remaneat substantia panis, & vini; sed quia ex pane, & vino conficitur, sicut Euam vocauit Adam Gen. 2. v. 23. *Os ex ossibus meis*, quia ex eius osse facta fuerat. Vel quia sensibus apparet panis, & vinum, sicut Angeli, qui apparuerūt, Abrahæ, Genes. 18. v. 2. vocantur *Tres viri*,

quia

quia viri apparebant,& hominum figuram ostendebant.

Ad 2. respondetur negando antecedens: nam cum in Concil. Trident sess. 13. can. 2. diffiniatur, totam substantiam panis conuerti in corpus, & totam substantiam vini in sanguinem Christi, non est probabile aliquid substantiæ panis, aut vini, qualis est eius existentia,& subsistētia, manere in hoc Sacramento. Ad 1. probationem dico, antecedens si quid habet probabilitatis, à concedentibus illud negandam esse consequentiam. & dicendum, accidentia in hoc Sacramento non existere eadem existentia qua antea, sed per aliam, aut per extrinsecā Dei manutenentiam. Ad 2. probationem neganda est maior: nam licet talia accidentia de facto, & actu non inhæreant, debetur tamen illis inesse ex natura rei, sicq; non per se existunt, nec subsistunt simpliciter, & absolutè, sed solum habent modum quendam per se existendi.

AR.

ARTICVLVS III.

Vtrum substantia panis, vel vini post consecrationem huius Sacramenti annihiletur.

Conclusio est negans.

Dubium. An hæc conclusio vera sit.

FAlsam esse probatur 1. hic inueniuntur duo transitus, seu mutationes, alter per se ab esse panis ad non esse panis, & alius à non præsentia Corporis Christi hic ad præsentiam ipsius hic: sed si secundus transitus non concomitaretur primum, primus esset annihilatio; ergo & modo formaliter est annihilatio, quia ratio eius non variatur propter illud, quod per accidens concomitatur.

Secundò. Si panis annihilaretur, & Corpus Christi poneretur hic præsens, omni eodem modo se haberet tam panis, quam Corpus Christi, sicut modo se habet, quia sicut tunc nec forma, nec materia panis maneret, ita nec nunc manet; ergo sicut tunc panis redigeretur in nihilum, & esset annihilatus, etiam nunc.

Ter-

Tertio. Id quod prius fuit aliquid, & postea est nihil, verè est annihilatum: sed panis ante consecrationem fuit aliquid, & post consecrationem est nihil, cum non sit aliquid in se, vt patet, nec in alio scilicet Corpore Christi, nam in Corpore Christi nihil plus est quam ante; ergo verè est annihilatus.

Quartò. Si in corruptione materia desineret esse sicut, & forma, iam non esset corruptio, sed annihilatio: sed hic tam materia, quam forma panis, & vini desinit esse; ergo vera est annihilatio panis, & vini.

Quintò. Si remanente Corpore Christi immutato rediret eadem substantia panis, oporteret, panem illũ creari, nam nõ fieret de substantia Corporis Christi, aut alicuius alterius, sed ex nihilo; ergo si præxistente Corpore Christi panis desinat esse, ita vt nihil de eius substantia remaneat, vt hic contingit, verè annihilabitur; eodem enim modo se habet aliquid, vt sit terminus ad quem annihilationis, & terminus à quo creationis.

Dicendum tamen est: certissimam esse conclusionem articuli, scilicet substantiam panis, aut vini post consecrationem non annihilari. Oppositum huius tenet Scotus in 4.d.11.q.4. Sed illam sic probat D. Tho. hic: substantia panis conuertitur in Corpus Christi; sed hæc conuesio tollitur posita annihilatione substantiæ panis; ergo hæc non annihilatur. Confirmat, effectus Sacra-

cramenti significatur per formam: sed per verba formæ non significatur annihilatio substantiæ panis; ergo hæc non annihilatur. Quæ ratio tanti ponderis est, vt existimem, quod asserit Mag. Soto in 4. dist. 9. q. 2. art. 4. dicens: *Annihilationis opinio nescio quomodo citra errorem sustentari possit*, licet alij non admittant, ego etiam ab hac censura abstineã propter auctoritatem Scoti, & aliorum; non fuisse absque causa, & fundamento dictum. Nam præter ea, quæ ibi dicit M. Soto, si verum est, quod in minori rationis factæ asserit D. Thom. *Quæ conuersio tollitur posita annihilatione substantiæ panis*; non absque causa illud dicitur, (vt quidam recentiores asserunt) cũ talis conuersio secundum fidem asserenda sit. Verum autem esse probatur: nam quamuis, quod corrumpitur possit cõuerti in aliquid aliud, quia non desinit in nihil, sed in aliquid, vt aqua in aërem: quod tamen annihilatur, non potest in aliquid aliud conuerti, quia non desinit in aliquid, sed in nihil, & in nihilũ redigitur, ac conuertitur; ergo non potest conuerti in aliquid, nam hoc cũ illo pugnat, & per illud tollitur: propter quod Caiet. hic ait, Scotum sola voce conuersionem affirmare.

Quomodo autem non annihiletur substantia panis, & vini, variè explicant Doctores. Durandus in 4. d. 11. q. 3. num. 5. dicit, non annihilari, quia corrupta forma panis per conuersionem, materia eius manet sub forma Corporis Christi, sicut ma-

tera

teria alimenti manet sub forma nutriti. Sed hoc manifestum continet errorem contra diffinitionem Conc. Trident. sess. 13. can. 2. Cum neget conuersionem totius substantiæ panis in Corpus Christi.

Alij dicunt panē nō annihilari: quia licet substātia panis non maneat actu, & formaliter secundū se totam, aut aliquā sui partē; manet tamen virtualiter in suis accidentibus. Contra hoc tamen est: quia hinc sequeretur, Deum non posse annihilare aliquam substantiam manentibus eius accidentibus: item substantiam panis annihilari, si Deus illam cum suis accidentibus conuerteret in Corpus Christi: sed hæc falsa sunt; ergo, &c.

Alij, vt Nominales, asserunt, non annihilari substātiam panis, quia loco illius succedit substantia Corporis Christi. Sed cōtra hoc est, quia si Deus in nihil redigeret corpus aliquod intra aquam existens, etiā si loco illius succederet aqua ad supplendū vacuum, vere annihilaretur; ergo licet hic loco substantiæ panis succedat substantia Corporis Christi, non propterea illa non annihilatur. Supponit etiam hic modus dicendi panem conuerti in Corpus Christi nihil aliud esse, quam corpus Christi loco eius succedere, quod falsum est.

Alij, vt Capreolus in 4. d. 11. ad arg. contra 2. & Palud. ibidem art. 2. ad 1. affirmant, panem non annihilari, quia manet in potentia obediētiali corporis Christi, eo quod corpus Christi potest diuina virtute iterum

con-

conuerti in illo numero panem. Contra hoc tamen est: quia hoc non habet corpus Christi, ex vi desitionis panis, & conuersionis in ipsum, cum etiam si panis non esset in ipsum conuersus, esset in eo potentia obediétialis, vt conuerteretur in panem, & pane in hac potentia obedientiali manente, posset à Deo annihilari; ergo modo non ideo non annihilatur, quia manet in potentia obedientiali corporis Christi. Confirmatur, quia alias nihil posset à Deo annihilari, quia quantumcumque in nihilũ redigatur, in illud idem numero possunt diuina virtute alia conuerti: sed hoc est falsum; ergo, &c.

His ergo omissis, verus modus dicendi est assignatus à D. Thom. hic his verbis: *Licet post consecrationem hæc sit falsa, substantia panis est aliquid: id tamen, in quod substantia panis est conuersa, est aliquid. Et ideo substantia panis non est annihilata.* Ad rationem enim annihilationis requiritur, vt ex vi illius res vertatur in nihil, & non conuertatur in aliquid: & quia ex vi conuersionis substãtia panis conuertitur in corpus Christi, ideo non annihilatur.

Ab hoc dicendi modo non differt modus dicendi Caietan. hic, & art. sequent. asserentis, panem non annihilari, quia licet post consecrationem substantia panis non sit aliquid. quod tamen erat panis, aliquid est scilicet corpus Christi, nam vt ait S. Ambrof. *Quod erat panis, iam corpus Christi est.* Per id enim, quod erat panis,

non

non intelligit Caiet. (ficut nec S. Ambrof.) rationem fubftantiæ aut entis, quę antea erat in pane, eandem numero manere in corpore Chrifti, ficut eadem numero materia, quæ erat in corrupto, manet in genito. Sed fenfus eius eft, tam panem, quam eius fubftantiam, & entitatem, & quicquid erat in pane, defınere effe, & folum manere conuerfum in corpus Chrifti, hocque dici id, quod erat panis, quia panis, & quicquid erat in eo in corpus Chrifti conuerfum eft. Vnde immerito à Mag. Soto, & alijs impugnatur, quafi Caietan. dicat, fubftantiam, & entitatem, quæ erat in pane, defınere efse panem, non tamen efse fubftantiam, & entitatem.

Ad 1. autem factum in principio refpõdet Caiet. hic negando maiorem; fuppo, nit enim falfum, fcilicet inueniri hic mutationem feu trãfitum per fe ab effe panis ad non effe panis: nam vnicus eft folum tranfitus vnicaque mutatio inter duos terminos pofitiuos, fcilicet conuerfio panis in corpus Chrifti, cuius terminus à quo eft effe panis, & per fe terminus ad quem eft effe corporis Chrifti, vt eft id, quod erat panis: quia vero effe corporis Chrifti comitatur, vel fequitur non effe panis, ideo talis tranfitus, vel mutatio conuerfionis panis in corpus Chrifti concomitanter, vel confequenter eft tranfitus, vel mutatio ab effe panis ad non effe panis. Sed demus Scoto duas illas mutationes, quas fupponit in maiori; adhuc non fequitur primam

mu-

mutationem ab esse panis ad non esse panis esse annihilationem: nam sicut non esse, ad quod tendit corruptio aquæ v. g. non est terminus annihilationis, ita nec nõ esse, ad quod tendit mutatio ab esse panis ad non esse panis. Talis enim mutatio non est desitio panis in nihil, sed in corpus Christi, & quia esse corporis Christi concomitatur, vel sequitur non esse panis, ideo talis mutatio est ab esse panis ad non esse panis. Cum autem non esse vel nihil, quod est terminus annihilationis, nullam habeat connexionem, vel concomitantiam cum aliquo esse; non esse, ad quod tendit desitio panis, cum concomitatur, vel sequitur esse corporis Christi, non est terminus annihilationis. Ad id vero, quod dicitur in minori argumenti, si secundus transitus seu mutatio non concomitaretur primum transitum, primus transitus esset annihilatio, dico: tunc primum illum transitum non fore eiusdem, sed diuersę rationis à trãsitu, qui modo est (sicut si corruptionem vnius non sequeretur generatio alterius, nõ esset eadem mutatio corruptionis, sed mutatio alterius rationis) sicque non mirum si esset annihilatio.

Ad 2. respondet Caietan. negando antecedens: falsa est enim conditionalis in eo posita. Ad probationem in eodem antecedente contentam dicit, ad annihilatioñé siue per se, siue per accidẽs plus requiri, quam non manere formam neque materiam: *Exigitur enim, quod id quod erat illud, sit modo*

modo nihil seu non sit aliquid; cuius contrarium in proposito inuenitur: nam secundum Amb. id quod erat panis est corpus Christi. Vel clarius, iuxta solutionem D Thom ad 3. ad annihilationem requiritur, vt id quod desinit esse, & id in quod conuertitur, sit omnino nihil; quod in proposito non inuenitur: nam licet substantia panis, quæ desinit esse, non sit aliquid: id tamen in quod conuersa est, aliquid est, cum non sit conuersa in nihil, sed in corpus Christi.

Ad 3. respondet D. Th. in 4. d. 11. q. 1. art 2. ad 3. *Quod quamuis panis non sit aliquid, tamen illud, in quod conuersus est panis est aliquid conuersione facta: & ideo non sequitur, quod panis sit annihilatus*. Et ad 4. *Quod quamuis non maneat panis neque in se, neque in alio; manet tamen corpus Christi, in quod conuersus est panis: & ideo non sequitur, quod sit annihilatus*. Vide etiam Caietan. artic. sequent. §. *Ad obiecta*.

Ad 4. respondetur cum Caiet. loco proximè citato plus requiri ad annihilationẽ, quam desinire esse materiam, & formam, nempe desinire in nihil, in quod si non desinerent materia, & forma in corruptione, sed conuerterentur in aliquid, vt hic contingit, non esset annihilatio.

Ad 5. cum eodem Caietan. ibidem respondetur negando antecedens: nam diuina omnipotentia posset eundem numero panem restituere dupliciter, scilicet per modum creationis, & per modum reconuersionis. Et si fieret per modum creationis,

nis, corpus Christi, qui fuit terminus ad quem conuersionis, non esset terminus à quo creationis, sed terminus à quo esset nihil, ex quo panis produceretur. Si verò fieret per reconuersionem, ita vt corpus Christi conuerteretur in panem, terminus à quo esset corpus Christi, & terminus ad quem panis reproductus. Ex his autem non sequitur, modo conuersionem panis in corpus Christi esse annihilationem: quia prima restitutio panis non haberet pro termino à quo, id quod in hac conuersione est terminus ad quem: & secunda non esset creatio, sed reconuersio, a priore conuersione solum distincta, quia prior non habuit terminum ad quem productum, secunda vero productum terminum ad quem haberet, sicut, & eum habuit conuersio vxoris Loth in statuam salis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum panis possit conuerti in corpus Christi.

Conclusio est affirmans.

Dubium. Quinam sit terminus huius conuersionis.

QVidam recentiores dicunt, terminũ huius cõuersionis esse corpus Christi per eam reproductum, seu nouo mo-

modò productum. Probant 1. ex Patribus, qui dicunt in consecratione corpus Christi creari, ac fieri. S. Cyprianus namque serm. de Cœna post medium de Christo loquens ait: *Qui vsque hodie hoc veracissimū, & sanctissimum corpus suum creat*. Bessarion lib. 1. de verbis consecrat. inquit: *Tota Trinitas hoc corpus altaris creat*. S. Amb. lib. 4. de Sacram. cap. 4. dicit: *Panis iste panis est ante verba Sacramentorum; vbi accesserit consecratio, de pane fit corpus Christi*. Et inferius: *Post consecrationem dico tibi, quod iam est corpus Christi: ipse dixit, & factum est, ipse mandauit, & creatum est*. Denique D. Th. hic art. 8. docet hanc conuersionem in hoc conuenire cum creatione, & cum transmutatione naturali: *Possumus enim verè, & propriè dicere, quod ex non ente fit ens, & ex pane corpus Christi, & ex aere ignis*. Ergo terminus huius conuersionis est corpus Christi, vt factum, & productum per eam.

Secundò. Vt aliquid sit terminus conuersionis alterius rei in ipsum, debet verè produci per eam, ergo, & vt corpus Christi sit terminus huius conuersionis. Antecedens probatur ex D. Thom. supra q. 2. art. 1. vbi de diuina essentia ait: *Nec ipsa potest conuerti in aliud, cum sit incorruptibilis: nec aliud in ipsam, cum ipsa sit ingenerabilis*. Sentit ergo, vt in aliquid possit aliud conuerti, & esse terminus talis conuersionis, necessarium esse, vt possit produci per talem conuersionem, & de facto producatur, quan-

quando actu, & de facto aliud in ipsum conuertitur.

Tertiò. Vt idem alicubi existens simul existat alibi, debet ibi reproduci; ergo vt idem corpus Christi existẽs in cœlo simul existat in Sacramento, opus est, vt ibi per conuersionem panis in ipsum reproducatur, sicque reproductum terminus sit talis conuersionis. Antecedens probatur, illud potest alibi reproduci, non minus quam si annihilatum fuisset; nulla est enim maior ratio, cur Deus rem hic annihilatam possit alibi reproducere, & non rem hic existentem: at nisi ibi reproducatur, non potest ibi existere; ergo vt ibi existat, opus est, vt ibi reproducatur.

Quartò. Implicat contradictionem, vt aliqua substantia incipiat esse hic, & non adducatur ex alia parte, neque producatur hic: sed substantia corporis Christi per cõuersionem substantiæ panis in ipsam incipit esse in hoc Sacramento, vbi antea non erat, & non adducitur ex alia parte; ergo producitur in eo per talem conuersionem sicut terminus illius.

Quintò. Hæc conuersio est quid inferius ad productionem, & vera actio, & passio, de cuius ratione est, dicere nouitatem essendi, & aliquid producere in subiecto; ergo cum de illa dicat *Diu.* Thom. hic ad 1. *Est sicut in subiecto in vtraque substantia*, sicut in substantia panis efficit veram, & realem illius desitionem, ita in substantia corporis Christi producit tam esse, quod iam ha-

bebat, quam esse in Sacramento, quod nō habebat antea.

Dicendum tamen est 1. Corpus Christi per conuersionem panis in ipsum non reproduci, nec aliquo modo mutari. Conclusio hęc est omnium Theologorum antiquorum, apud quos inauditum est nomé productionis, vel reproductionis corporis Christi in hoc Sacramento, aut alicuius mutationis ipsius. Probatur 1. nam Hugo de sancto Victore lib. 2. de Sacramentis c. 9. partis 8. sic habet: *Per verba sanctificationis vera panis, & vera vini substantia in verũ corpus, & verum sanguinem Christi conuertitur. Nec sic in pane corpus Christi consecrari dicimus, vt de pane corpus Christi esse accipiat, nec quasi nouum corpus subito factum de mutata essentia, sed in ipsum corpus verum mutatã essentiam.* Idem asserit S. Bonauentura in 4. dist. 10 p. 2. quæst. 2. ait namque: *Corpus Christi in consecratione non fit.* Et inferius: *Tunc non fit eius humanitas, quia facta est in conceptione.* Et dist. 11. par. 2. quęst. 2. de termino, quem habet conuersio panis in corpus Christi, inquit: *Non habet aliquid de nouo factum, sed praexistens.* Similiter B. Albertus Magnus in 4. dist. 10. art. 6. de substantia panis dicit: *In aliud praexistens conuertitur in corpus Christi.* Et dist. 11. art. 1. de Christo ait: *Christus eodem modo se habet tunc, & ante, & post.* Vniuersi denique Scolastici in eisdem distinctionibus idem docent.

Secundò. Nam D. Thom. in 4. dist. 11.

q. 1.

q. 1. art. 3. quęstiun. 1. hanc constituit differentiam inter naturales conuersiones, & istam: *Quia in naturalibus conuersionibus transmutatur, & id quod conuertitur, & id in quod conuertitur. Sed in hac conuersione illud in quod fit conuersio, erat praexistens: vnde hoc, in quod terminatur conuersio, nullo modo transmutatur, scilicet corpus Christi, sed solum panis, qui conuertitur.* Idem docent eius antiquiores discipuli pręsertim Caiet qui hic §. *Vbi videre*, inquit, *Non oportet propter nouam hanc actionem mutationem aliquam effici in substantia corporis Christi: quia quod erat panis, de nouo est corpus Christi, non per mutationem corporis Christi, sed per mutationem panis in corpus Christi.*

Tertio. Probatur ratione sumpta ex verbis D. Th. relatis: Hæc conuersio non terminatur in id, quod non erat, sicut conuersio aquę in vinum in nuptiis Cana Galileæ, & conuersio vxoris Loth in statuam salis, sed in corpus Christi præexistens; ergo per illam non producitur corpus Christi: nam quod per aliquam actionem producitur, non præexistit illi. Confirmatur 1. quod producitur, mutatur de non esse ad esse: sed corpus Christi præexistens nō potest sic mutari, alias simul esset, & non esset; ergo non potest per conuersionem panis in ipsum produci secundum suam entitatem, & substantiam. etiam hic seu in hoc Sacramento, sicut nec in cœlo: nā, vt ait D. Thom. in 1. dist. 44. quæst. 1 ar. 4. ad 1. *Quando iam est existens actu, amittit ra-*

rationem possibilis fieri. Idem dicit 1. part. quæst. 25. art. 4. ad 2. Confirmatur 2. nã vt hic cum S. Ambros. ait D. Thom. *Hoc quod conficimus corpus ex virgine est.* At si ex pane conuerso in ipsum produceretur, non esset corpus ex virgine, sicut vinum productum ex aqua à Christo non fuit vinum ex vite, quamuis esset eiusdem speciei cũ vino ex vite; ergo &c.

Quartò, Panis potest diuina virtute cõuerti in corpus Christi, quin hoc reproducatur, ergo de facto sic conuertitur. Consequentia patet, non enim debemus miracula addere sine necessitate, præsertim hoc reproductionis corporis Christi, quod maiorem virtutem requirit, quam conuersio panis in ipsum sine tali reproductione, & quod incredulis hoc mysterium incredibilius facit. Antecedens probatur, nam vt hic ad 3. ait D. Thom. quia tota latitudo entis creati est diuinæ virtuti subiecta, & Deus habet actionem in totum ens creatum, ideo potest quicquid entitatis est in vna re conuertere in id, quod est entitatis in altera: sed id, quod est entitatis in corpore Christi iam est productum, & vt sic non minus subest diuinæ virtuti, quam vt reproducendum; ergo in illud vt productum formaliter potest Deus conuertere substantiam panis absque aliqua corporis Christi reproductione.

Quintò; Nam si corpus Christi per cõuersionem panis in ipsum reproduceretur, etiam reuniretur verbo diuino, & tot esset reu-

reuniones, quot reproductiones, sicque innumeræ iuxta numerum panum, vel hostiarum, quæ consecrantur, & in corpus Christi conuertuntur: sed hoc admittendum non est; ergo &c.

Dicendum est 2. Terminum huius conuersionis esse corpus Christi secundum suũ esse substantiale, non quomodocumque, sed vt in illud conuersus est panis, vel iuxta modum loquendi Caietani, vt est id, quod erat panis, & vt contentum sub speciebus panis, sub illisque sacramentaliter præsens. Prima pars est contra Scotum, & Paludanum relatos à Caiet. hic §. *Circa hanc*. Paludanus enim dixit conuersionẽ hanc habere pro termino ad quem corpus Christi, non secundum esse substantiale, sed secundum esse accidentale, quale est esse sacramentale, cuius est productiua: Scotus verò asseruit, hanc conuersionem non esse productiuam termini ad quem scilicet corporis Christi secundum esse substantiale, aut accidentale, sed adductiuam illius illo vbi erat terminus à quo, scilicet substantia panis, nempe sub speciebus sacramentalibus. Sed probatur, nam vt hic ait D.Th. *Hæc conuersio proprio nomine potest dicit transsubstantiatio*. Quod, & constat ex Concil. Trid. sess. 13. can. 2. dicente; *Quam conuersionem Catholica Ecclesia aptissime transubstãtiationem appellat*. Sed de ratione transubstantiationis est, vt duo termini a quo, & ad quem sint substantiæ, & substantia, in substantiam conuertatur; ergo terminus

ad quem huius conuersionis est corpus Christi secundum suum esse substantiale; alias enim non esset transubstantiatio, sicut nec talis esset, si terminus à quo non esset panis secundum suum esse substantiale, sed solum secundum accidentia, hæcque sola conuerterentur in corpus Christi.

Secunda pars etiam probatur: quia nequit intelligi aliquid de nouo esse terminũ ad quem nouæ actionis, quin de illo verificetur aliquid, quod de illo antea non verificabatur: sed hoc non verificatur de substantia corporis Christi quomodocumque sumpta, nam si præcise, & solum accipiatur secundum suum esse substantiale, hoc iam antea habebat; ergo non quomodocumque sumpta est terminus huius cõuersionis.

Tertia pars explicat quid sit hoc, quod de corpore Christi post conuersionem panis in ipsum verificatur, quod antea non verificabatur. Et quidem si hæc conuersio non esset sacramentalis, sed qua conuerteretur panis in corpus Christi, vt habens esse in cœlo, sufficeret, vt de corpore Christi verificaretur, esse id in quod conuersus est panis, vel esse id quod erat panis, quod de illo antea non erat verum. Quia tamẽ est conuersio sacramẽtalis, per quam Christi corpus est secundum suam substantiam sub speciebus panis in hoc Sacramento, ideo additum est, & vt contentũ sub speciebus panis, sub illisque sacramentaliter præsens. Hoc autem modo esse terminũ

huius

huius sacramentalis conuersionis probatur: Eo modo est terminus huius conuersionis, quo significatur per verba consecrationis, quibus efficitur hæc conuersio: sed per illa significatur corpus Christi; vt contentũ sub speciebus panis, sub illisque sacramentaliter præsens, nam sensus horum verborum, *Hoc est corpus meum*, est, contentum sub his speciebus est corpus meum; ergo vt sic est terminus huius sacramentalis cõuersionis.

Dicendum est 3. Esse contentum sub speciebus panis, sub illisque Sacramentaliter præsens (& idem est de esse id in quod conuersus est panis, vel esse id, quod erat panis) non esse aliquid reale in corpore Christi, sed solum denominationem, ac relationem rationis; pertinere tamen ad terminum huius conuersionis sacramentalis panis in corpus Christi, vt terminum intrinsecum illius, sine quo corpus Christi non esset huius conuersionis terminus.

Prima pars non caret difficultate, vnde Caiet. hic art. 2. §. *Antequam*, ita scribit: *An sacramentalis conuersionis mutatio inferat in vtroque extremo relationes reales continentię actiuę, & passiuæ: vel solum ex parte corporis Christi sit relatio realis ad species, quæ continetur sub speciebus, & per hoc denominantes species continere corpus Christi; quia corpus Christi continetur sub illis: vel in speciebus ipsis realis continentiæ relatio ad corpus Christi consurgit, ex qua corpus Christi cointelligitur referri ad species, vt con-*

tentum ad continens, non quia ipsum referatur ad species, sed quia species referuntur ad ipsum (sicut Deus realiter dicitur Dominus creaturæ, non quia ipse referatur ad creaturam seruam, sed quia creatura refertur ad ipsum) non facile dixerim.

i. Mihi tamen secũdum doctrinam D.Th. asserendum esse videtur, quod diximus in prima parte conclusionis. Etenim D. Th. in 4. d. 11. q. 1. art. 3. quæstiuncu. 1. ad 3. de successione, qua substãtia corporis Christi succedit substantiæ panis sub eius accidentibus, inquit: *Sed secundum regulam in 1. lib. dist. 26. de relatiuis datam, erit ista relatio ordinis huius successionis secundum rem quidem in ipso pane, qui mutatur, non autem in corpore Christi vero, nisi secundum rationẽ, quia ipsum immutatum manet*. Sed eadem est ratio de relatione continentiæ actiuæ, & passiuæ, quia corpus Christi nullo modo mutatur; ergo esse contentum, & præsens sub speciebus panis nihil reale est in corpore Christi, sed solum relatio rationis.

Secundò. Nam idem S. Doctor hic, q. sequent. art 6. in corpor. dicit de corpore Christi: *Non desinit esse sub sacramento per hoc quod ipsum desinat esse, sed solum per hoc, quod species huius Sacramenti desinunt esse*. Et ad 3. *Quibus cessantibus desinit esse corpus Christi sub eis: non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis Christi ad illas species: per quem modum Deus desinit esse Dominus creaturæ desinentis*. Ergo sicut esse Dominum creaturæ in Deo est relatio ratio-

rationis,ita & esse contentum,& præsens in hoc Sacramento sub speciebus panis, non est aliquid reale in corpore Christi, sed solum relatio rationis; alias non solum desineret esse sub Sacramento per hoc, quod species desinunt, sed etiam quia amitteret aliquid reale, quod habebat, & secundum hoc ipsum desineret esse.

Neque huic obstat, quod dicitur in Cōcilio Trid. sess. 13. can. 1. corpus Christi contineri in Sacramento Eucharistiæ, *Vere realiter, & substantialiter*. Nam etiam Deus vere realiter; & substantialiter est in omnibus rebus; & tamen esse in rebus non est aliquid reale in Deo, sed relatio quędam rationis, quę, vt ait D. Thom. in 1. dist. 37. q. 1. art. 3. *Non dicitur de Deo nisi ex tempore, sicut Dominus, & creator*. De quo vide eundem S. Doctor. 1. part. quęst. 13. a. 7. ad 5.

Secunda pars cōclusionis probatur, nam ex tertia parte 1. con. constat,esse contentum, & pręsens corpus Christi sub speciebus pertinere ad terminum huius conuersionis: sed cum non sit aliquid reale,sed rationis in corpore Christi, vt in prima parte huius conclusionis ostensum est,non potest pertinere ad terminum huius conuersionis,qui est substantia corporis Christi tā quam eius essentialis ratio; ergo solum pertinet tanquam modus intrinsecus illius eo modo,quo 2. 2. quęst. 1. art. 4. dub. 1. diximus,esse non visum pertinere ab obiectum fidei.

Ad 1. autem factum in principio respõdetur, Patres asserentes corpus Christi creari in hoc Sacramento, non accepisse nomen creationis propriè, aliàs enim sentirent fieri ex nihilo, quod apertè falsum est; sed latè pro actione supernaturali, & miraculosa, qua dicitur fieri, non quia producatur, aut mutetur, sed quia per mutationem, & conuersionem panis in ipsum incipit esse in hoc Sacramento: sicut de Deo dicitur factum esse refugium nobis; & factum esse hominem, non quia Deus productus, aut mutatus fuerit, sed per mutationem alterius, vt docet D. Thom. supra q. 16. a. 6. ad 2. Cum verò hic art. 8. dicit, posse propriè, & verè dici, ex pane fieri corpus Christi, sicut ex non ente fit ens, & ex aere fit ignis, non intelligit eodem modo hec omnia fieri, nam ens, & ignis fiunt per productionem, & mutationem sui, corpus vero Christi vere, & proprie dicitur fieri ex pane, non tamen per productionem, & mutationem sui, sed per mutationem alterius scilicet panis, absque vlla mutatione sui, eo modo, quo Deus absque vlla sui mutatione vere, & proprie dicitur factus homo, & refugium nobis.

Ad 2. respondetur negando antecedens. Ad probationem dico, D. Tho. ibi expresse loqui de conuersione formali, qua elementa conuertuntur in mista, & ex elementis fit mistum; propter quod consultò dixit in diuinam naturam non posse aliud conuerti, non quia est improducibilis, sed

quia

quia eſt ingenerabilis. Quę ratio vt ibi notat Caietan. non valeret, ſi loqueretur de quacumque conuerſione: *Quia ex hoc, quod aliquid eſt ingenerabile, non ſequitur, quod nõ poſſit diuina virtute tranſubſtantiari in ipſum, quin potius de facto in corpus Chriſti glorioſum, quod eſt incorruptibile, & ingenerabile conuertitur panis in Euchariſtia.* Quamuis ergo id in quod aliud conuertitur conuerſione formali debeat eſſe generabile, & de facto generari, & produci per talem cõuerſionem; id tamen, in quod aliud conuertitur cõuerſione totali per tranſubſtantiationem, non debet neceſſario produci per talem conuerſionem, nec per illam eſſe producibile, quamuis producibile eſse debeat per aliam actionem, ſicut, & quod alteratur producibile eſse debet ſecundum ſuam ſubſtantiam, non tamen per alterationem; ſed per aliam actionem. Si quæras cur in diuinam eſſentiam nõ poſſit aliquid conuerti conuerſione etiam totali; in illamque tranſubſtantiari, cum hoc nullam inferat mutationem in termino talis conuerſionis, vt diximus de corpore Chriſti? Reſpondetur, triplicem eſſe huius rationem. Prima quia licet id, in quod aliud conuertitur, nõ opus ſit, vt per talẽ conuerſionẽ producatur aut aliquo modo mutetur; neceſſariũ tamẽ eſt, vt producibile, & mutabile ſit per aliã actionem, eiuſque proinde creatum ſit, quod diuinæ naturæ repugnat. Sicut licet eſſe dexteram non ſit aliquid reale, ſed rationis in columna; ipſi conueniens abſque

vlla sui mutatione; hæc tamen dexteritas Deo conuenire non potest, quia supponit esse corporeum, quod Deo repugnat. Secunda, quia, vt hic ait D. Thom. id quod conuertitur, quam id in quod aliud conuertitur, debet esse diuinæ virtuti subiectũ: diuina autem essentia nullo modo subiecta est diuinæ virtuti. Tertia, quia id in quod aliud conuertitur, debet esse in potentia obedientiali eius; quod in ipsum conuertitur, vt colligitur ex D.Thom. in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. ad 3. dicente: *In hac substantiali conuersione inest potentia obedientia, vt hæc substantia conuertatur in illam.* In potentia autem obedientiali alicuius est, id ad quod est in potentia. Vnde cum diuina essentia nõ sit in potentia obedientiali creaturæ alicuius, nam hoc imperfectionem inuoluit, nulla creatura potest in ipsam conuerti.

Ad 3. respondetur negando antecedens: nam vt ait S. Bonauentura vbi supra, q. 1. *In transubstantiatione fit, vt id quod erat alicubi, sine sui mutatione sit alibi.* Ad probationem respondetur 1. negando minorem: nam potest ibi existere per conuersionem rei ibi existentis in ipsum, sine ipsius productione, vt ostendimus concl. 2. ratione 4. Resp. 2. neg. maiorem: nam si annihilatũ fuisset alibi sicut, & vbi ante annihilationẽ erat, produci posset, quia mutari posset non solum de non esse hic, ad esse hic, quod est quoddam esse accidentale, sed etiam de non esse simpliciter, ad esse simpliciter, & sub-

substantiale. Dum tamen est existens, nec vbi existit, nec alibi produci potest, quia nequit mutari de non esse simpliciter ad esse simpliciter, alias simul esset, & non esset. Vnde sicut teste D. Tho. infra q.81. art.4. si hoc Sacramentum fuisset seruatum tempore mortis Christi, qui in Cruce mortuus fuit, mortuus etiam fuisset in Sacramento, quia implicat, idem mortuum hic, & alibi esse viuum: ita dum corpus Christi est existens non potest simpliciter non esse, nec in Sacramento; in quo non esse, non est non esse simpliciter, sed non esse sacramentaliter, sicque nec reproduci etiam in Sacramento, cum reproduci, mutari de non esse simpliciter ad esse simpliciter includat.

Ad 4. respondetur negando maiorem; potest enim incipere esse hic per conuersionem alterius substantiæ hic existentis in ipsam, absque vlla eius productione.

Ad 5. respondetur negando antecedens; quamuis enim hæc conuersio sit vera actio, non tamen omnis actio est productiua, sed præter hanc datur actio destructiua, qualis est annihilatio, & actio conuersiua vnius in aliud præexistens, qualis est hæc conuersio. De qua licet D. Thom. hic ad 1. dicat esse in vtraque substantia sicut in subiecto; non tamen loquitur de subiecto inhæsionis, sed denominationis: quia scilicet substantia vtraque denominatur ab illa, substantia quidem panis, tanquam id quod conuertitur, substantia vero corporis Chri-

sti

sti, tanquam id, in quod conuertitur. Si verò sit sermo de subiecto inhæsionis, cum idem S.D. in 4.d.11.q.1.ar t3. quæstiunc.1. ad 3. dicat, ordinem, quem hęc conuersio importat, esse secundum rem in pane, qui mutatur, & in corpore Christi solum esse secundum rationem, colligitur, subiectum inhæsionis huius conuersionis esse substantiam panis, quę mutatur, sicut subiectum annihilationis est, quod annihilatur; corpus vero Christi, quod immutatum manet, solum esse terminum ad quem illius modo explicato in secunda conclus.

Circa articulum quintum, sextum, septimum, & octauum nihil se offert scribendum.

QVÆSTIO LXXVI.

De modo quo Christus est in hoc Sacramento.

ARTICVLVS I.

Vtrum totus Christus contineatur sub hoc Sacramento.

Conclusio est affirmans.

Dubium. Quomodo omnia, quæ sunt in Christo, contineantur sub hoc Sacramento.

DVpliciter inquit D. Tho. hic, quod est aliquid Christi, potest in hoc Sacramento contineri. *Vno modo quasi ex vi sacramenti, alio modo ex naturali concomitantia.* Explicandum ergo est, quo ex his modis singula quę sunt in Christo, contineantur sub hoc Sacramento.

Dicendum est 1. corpus, & sanguinem ex vi Sacramenti contineri sub hoc Sacramento. Docet hoc Conc. Trident. sess. 13. cap. 3. Probatur etiam, nam vt hic ait D. Thom. *Ex vi Sacramenti est sub speciebus huius Sacramenti id, in quod directe conuertitur substantia panis, & vini præexistens, prout significatur per verba formæ.* Sed corpus, & sanguis Christi est id, in quod directe conuertitur substantia panis, & vini, & quod significatur per verba formę; ergo &c.

Est tamen difficultas, quid intelligatur nomine corporis, quod ex vi Sacramenti est in hoc Sacramento. Gabriel in 4. d. 11. q. 1. & in Can. Missę, lect. 42. per corpus intelligit materiam primam, sine forma substantiali, affectam tamen quantitate, & qualitatibus sensibilibus. Sed hæc sententia communiter reijcitur: quia materia prima non potest esse sine aliqua forma substantiali, & sine hac non est immediate ca-

capax alicuius accidentis, & non potest vere dici corpus.

Scotus in 4.d.11.q.3.per corpus intelligit materiam primam informatam forma corporeitatis, quæ substantialis est, & realiter distincta ab anima, & eadem in corpore viuo, & mortuo. Sed hęc sententia ex his, quæ contra sequentem dicemus, falsam esse constabit.

Recentiores quidam hic dicunt, in animalibus præter ipsam animam dari formas substantiales partiales, quæ constituũt singulas partes corporis organici, & vni dant rationem carnis, alteri rationem ossis &c. Quæ simul omnes materiam informantes constituunt corpus organicum, nõ quidem, vt integram substantiam, sed vt partem essentialem animalis vlterius per ipsam animam perfectibilem, & animabilem. Sicque nomine corporis, quod ex vi Sacramenti est in hoc Sacramento, intelligunt corpus Christi constans materia prima, & formis partialibus heterogeneis cõstituentibus corpus organicum, quo ad esse suum substantiale. Contra hanc tamen sententiam est 1. nam sic eadem forma substantialis constituens singulas partes corporis, eademque ex illis composita esset in corpore viuo, & mortuo, idemque corpus esset viuum, & mortuum, eademq; eius caro, idemque os, &c. Sed hoc licet concedant prędicti recentiores, falsum est & contra Arist. qui 7. Metaph. tex. 35. lect. 10. apud D.Thom. de his partibus ait non posse

posse esse separatas: *Neque enim quocumque modo se habens digitus animalis, sed æquiuocus, qui mortuus*. Et lib. 2. de anima tex. 9. lect. 2. apud D. Thom. de oculo inquit materiam esse animi; *Quo detracto non est oculus, nisi forte eiusdem nomini, veluti lapideus, & pictus*. Et idem dicit de corpore, *Non est corpus ex quo animus excesserit, illud, quod vita facultatem habere dicebamus*. Ergo, &c.

Secundò. Nam si in homine præter animam rationalem esset alia forma substantialis simplex, aut composita ex alijs partialibus tribuens esse corporeum, etiam esset in eo alia anima tribuens esse sensitiuum, & alia tribuens esse vegetatiuum; nulla est enim maior ratio, cur illa sit constituenda, quam hæ: sed vt ostendimus 1. p. q. 76 ar. 3. temerarium est asserere in homine præter animam intellectiuam esse aliam animam; ergo, nec est in eo alia forma, nam anima intellectiua, vt ibi ait D. Thom. *Virtute continet omnes inferiores formas, & facit ipsa sola quicquid imperfectiores formæ in alijs faciunt*.

Tertiò. Caro, ossa, &c. ab ea forma habent substantialem rationem carnis, & ossis, quæ est principium actionis, qua producuntur, nutriuntur, & augentur, nam talis actio non introducit, aut vnit materiæ alienam formam substantialem, nisi illam, quę est eius principium, & cuius virtute procedit, & forma carnis, & ossis non potest introduci per aliam actionem: sed pręter animam non est alia forma, quæ sit

prin-

principium talis actionis, nam sola anima est principium nutritionis, & augmenti, productionisque partium viuentis; ergo, &c.

Quartò: Contra prædictam sententiam procedũt rationes D.Th.1.p.q.76.a.3.& 4. Si enim in homine essent plures formæ, non esset homo aliquid vnum simpliciter, & anima eius non daret esse simpliciter. Sequeretur etiam in homine esse plures existentias saltem partiales, quod falsum esse ostendimus 1. part. quæstione 3. articulo 4.

Vera ergo sententia est, quæ colligitur ex D.Thom.q.preced ar.6. ad 2. nomine corporis, quod ex vi Sacramenti est in hoc Sacramento intelligendam esse materiam informatam anima, quatenus dat esse corporeum, inquit enim S. Doct. *Anima est forma corporis dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet esse, & esse corporeum, & esse animatum, & sic de alijs. Conuertitur igitur forma panis in formam corporis Christi secundum quod dat esse corporeum, non autem secundum, quod dat esse animatum tali anima*. Cumque eodem D.Tho. hic docente, ex vi Sacramenti sit in hoc Sacramento id, in quod directè cõuertitur substantia panis, corpus, vt includit materiam, & formam quatenus dat esse corporeum, erit, quod ex vi Sacramenti continetur in hoc Sacramento. Quod corpus carnem, ossa, neruos, & alia, quæ ad substantiam, & integritatem corporis humani pertinent, comprehendit,

dit, & altera pars est hominis, quæ ipsum componit cum anima rationali, quæ est alia pars, vt dat esse animatum, vegetans, sentiens, & rationale. Quamuis enim includat materiam, & formam, quatenus dat esse corporeum organicum, est tamen quid incompletum, vtpote vlterius actuabile per animam, quæ est actus corporis physici organici, vt patet ex eius diffinitione, quam expliculmus 1. par. q. 75. ar. 1. & cum D. Thom. diximus, corpus organicum, cuius actus est anima, non ab alio habere esse corporis organici, quam ab anima; esse tamen illius subiectum, seu materiam proximam, quia, vt habens tale esse ab anima secundum rationem communem formæ corporis, præsupponitur ad ipsam secundum rationem particularem animæ. Cum vero iuxta communem Metaphysicorum sententiam genus sumatur à materia, sicut differentia à forma, à corpore, quod est materia proxima, & subiectum animæ, sumitur genus corporis directè cōtentum in prædicamento substantiæ, à quo differt, sicut pars à toto, & sicut id, quod habetur ab habente illud. Sicut enim, vt docet D. Thom. 5. Metaph. lect. 7. *Natura sensitiua non est genus hominis, sed pars. Habens etiam naturam sensitiuam, quod nomine animalis significatur, est hominis genus*. Ita corpus, quod est materia proxima, & subiectum animæ, non est genus eiusdem hominis, sed pars: & genus hominis est habens corpus, quod nomine corporis conten

tenti directè in prædicamento substa
significatur. Quia tamen corpus, quo
vi verborum existit sub specie panis,
tem Christi esse insinuat Cōc. Trid. se
cap. 3 videtur nomine corporis, quo
vi Sacramenti est in hoc Sacramento,
intelligendum esse, quod est materia
xima, & subiectum animæ, vnaq. ex
tibus Christi hominis. Existimo tam
etiam rationē genericam corporis, qua
in Christo contineri in hoc Sacrament
vi Sacramenti: nam etiam est pars sal
metaphysica, & illam Christus dicere
tuit corpus meum.

Si hoc Sacramentum confectum fu
in triduo mortis Christi, in quo anim
separata erat a corpore, quod ex vi Sa
menti contineretur in hoc Sacramento
set corpus, vt dicit materiam informat
orma cadaueris, quatenus dat esse cor
reum. Quod corpus, vtpote mortuu
fic ut, & quod iacebat in sepulchro, quā
cum corpore nato ex Virgine, & dato
scipulis in Cœna, & quod modo, postq
Christus resurrexit non amplius moritur
recipimus in Eucharistia viuum, simpli
ter idem numero esset propter identi
tem suppositi, iuxta doctrinam D. Tho
supra q. 50. ar. 5. *Quia non habuit aliam h
postasim viuum, & mortuū præter hypostasim v
bi Dei*; non tamen esset idem secundu
speciem humanæ naturæ, iuxta doctrina
eiusdem S. Th. ibidem ad 2. Modo nam
que, quia viuum est, corpus humanum e

sim-

simpliciter, & absolutè: tunc verò, quia mortuum erat, solum æquiuoce erat corpus humanum, vnde de illo ait D. Thom. in 3.d.22.q.1.a.1. *Nec illud corpus erat humanum, nisi æquiuocè.*

Contra hanc D. Thom. & communem sententiam multa obijciunt prædicti recentiores, & quia nonnulla ex illis ex prædictis manent soluta, solum proponam, quę specialiori indigent solutione. Primum est, quia cum verba consecrationis sint practica, necessario debent versari circa rem certam, & determinatam, illamque practicè significare; ergo corpus, quod ex vi illorum est in hoc Sacramento, esse corporis ab aliqua certa, & determinata forma debet habere, & non modo dum est viuum ab vna, scilicet anima, & alio tempore dum erat mortuum ab alia, scilicet forma cadaueris.

Secundum, quia iuxta prædictam sententiam vi verborum poneretur sub specie panis anima Christi: sed hoc repugnat Cōcil. Trid sess. 13. c. 3. asserenti animam Christi sub vtraque specie existere: *Vt naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini inter se copulantur*, ergo, &c.

Tertium, quia prædicta sententia supponit in corpore mortuo gigni aliquam formam substantialem, quam vocat formam cadaueris: sed hoc est falsum; ergo, &c. Minor probatur: Tum quia videmus ea omnia, ex quibus possumus colligere diuer-

Ad 1. autem factum in principio respõdetur, Patres asserentes corpus Christi creari in hoc Sacramento, non accepisse nomen creationis propriè, aliàs enim sentirent fieri ex nihilo, quod apertè falsum est; sed latè pro actione supernaturali, & miraculosa, qua dicitur fieri, non quia producatur, aut mutetur, sed quia per mutationem, & conuersionem panis in ipsum incipit esse in hoc Sacramento: sicut de Deo dicitur factum esse refugium nobis, & factum esse hominem, non quia Deus productus, aut mutatus fuerit, sed per mutationem alterius, vt docet D. Thom. supra q. 16. a. 6. ad 2. Cum verò hic art. 8. dicit, posse propriè, & verè dici, ex pane fieri corpus Christi, sicut ex non ente fit ens, & ex aere fit ignis, non intelligit eodem modo hec omnia fieri, nam ens, & ignis fiunt per productionem, & mutationem sui, corpus vero Christi vere, & proprie dicitur fieri ex pane, non tamen per productionem, & mutationem sui, sed per mutationem alterius scilicet panis, absque vlla mutatione sui, eo modo, quo Deus absque vlla sui mutatione vere, & proprie dicitur factus homo, & refugium nobis.

Ad 2. respondetur negando antecedens. Ad probationem dico, D. Tho. ibi expresse loqui de conuersione formali, qua elementa conuertuntur in mista, & ex elementis fit mistum; propter quod consultò dixit in diuinam naturam non posse aliud conuerti, non quia est improducibilis, sed

quia

quia est ingenerabilis. Quę ratio vt ibi notat Caietan. non valeret, si loqueretur de quacumque conuersione: *Quia ex hoc, quod aliquid est ingenerabile, non sequitur, quod nõ possit diuina virtute transubstantiari in ipsum, quin potius de facto in corpus Christi gloriosum, quod est incorruptibile, & ingenerabile conuertitur panis in Eucharistia.* Quamuis ergo id in quod aliud conuertitur conuersione formali debeat esse generabile, & de facto generari, & produci per talem cõuersionem; id tamen, in quod aliud conuertitur cõuersione totali per transubstantiationem, non debet necessario produci per talem conuersionem, nec per illam esse producibile, quamuis producibile esse debeat per aliam actionem, sicut, & quod alteratur producibile esse debet secundum suam substantiam, non tamen per alterationem; sed per aliam actionem. Si quæras cur in diuinam essentiam nõ possit aliquid conuerti conuersione etiam totali; in illamque transubstantiari, cum hoc nullam inferat mutationem in termino talis conuersionis, vt diximus de corpore Christi? Respondetur, triplicem esse huius rationem. Prima quia licet id, in quod aliud conuertitur, nõ opus sit, vt per talẽ conuersionẽ producatur aut aliquo modo mutetur; necessariũ tamẽ est, vt producibile, & mutabile sit per aliã actionem, eiusque proinde creatum sit, quod diuinæ naturæ repugnat. Sicut licet esse dexteram non sit aliquid reale, sed rationis in columna; ipsi conueniens absque

vlla sui mutatione; hæc tamen dext
Deo conuenire non potest, quia sup
esse corporeum, quod Deo repugnat.
cunda, quia, vt hic ait D. Thom. id
conuertitur, quam id in quod aliud
uertitur, debet esse diuinæ virtuti subie
diuina autem essentia nullo modo sub
est diuinæ virtuti. Tertia, quia id in
aliud conuertitur, debet esse in poten
obedientiali eius; quod in ipsum conu
tur, vt colligitur ex D.Thom. in 4. di
q.1. art.3. quæstiunc.3. ad 3. dicente:
hac substantiali conuersione inest potentia
dientia, vt hæc substantia conuertatur in il
In potentia autem obedientiali alic
est, id ad quod est in potentia. Vnde
diuina essentia nõ sit in potentia obed
tiali creaturæ alicuius, nam hoc imp
ctionem inuoluit, nulla creatura potest
ipsam conuerti.

Ad 3. respondetur negando anteced
nam vt ait S. Bonauentura vbi supra,
In transubstantiatione fit, vt id quod erat a
bi, sine sui mutatione sit alibi. Ad proba
nem respondetur 1. negando minorem
nam potest ibi existere per conuersion
rei ibi existentis in ipsum, sine ipsius
ductione, vt ostendimus concl.2. ration
Resp. 2. neg. maiorem: nam si annihi
fuisset alibi sicut, & vbi ante annihilati
erat, produci posset, quia mutari po
non solum de non esse hic, ad esse hic, q
est quoddam esse accidentale, sed etiam
non esse simpliciter, ad esse simpliciter,
sub

substantiale. Dum tamen est existens, nec vbi existit, nec alibi produci potest, quia nequit mutari de non esse simpliciter ad esse simpliciter, alias simul esset, & non esset. Vnde sicut teste D. Tho. infra q. 81. art. 4. si hoc Sacramentum fuisset seruatum tempore mortis Christi, qui in Cruce mortuus fuit, mortuus etiam fuisset in Sacramento, quia implicat, idem mortuum hic, & alibi esse viuum: ita dum corpus Christi est existens non potest simpliciter non esse, nec in Sacramento; in quo non esse, non est non esse simpliciter, sed non esse sacramentaliter, sicque nec reproduci etiam in Sacramento, cum reproduci, mutari de non esse simpliciter ad esse simpliciter includat.

Ad 4. respondetur negando maiorem; potest enim incipere esse hic per conuersionem alterius substantiæ hic existentis in ipsam, absque vlla eius productione.

Ad 5. respondetur negando antecedens; quamuis enim hæc conuersio sit vera actio, non tamen omnis actio est productiua, sed præter hanc datur actio destructiua, qualis est annihilatio, & actio conuersiua vnius in aliud præexistens, qualis est hæc conuersio. De qua licet D. Thom. hic ad 1. dicat esse in vtraque substantia sicut in subiecto; non tamen loquitur de subiecto inhæsionis, sed denominationis: quia scilicet substantia vtraque denominatur ab illa, substantia quidem panis, tanquam id quod conuertitur, substantia vero corporis Christi

sti, tanquam id, in quod conuertitur. Si verò sit sermo de subiecto inhæsionis, cum idem S.D. in 4.d.11.q.1.art3. quæstiunc.1. ad 3. dicat, ordinem, quem hęc conuersio importat, esse secundum rem in pane, qui mutatur, & in corpore Christi solum esse secundum rationem, colligitur, subiectum inhæsionis huius conuersionis esse substantiam panis, quę mutatur, sicut subiectum annihilationis est, quod annihilatur; corpus vero Christi, quod immutatum manet, solum esse terminum ad quem illius modo explicato in secunda conclus.

Circa articulum quintum, sextum, septimum, & octauum nihil se offert scribendum.

QVÆSTIO LXXVI.

De modo quo Christus est in hoc Sacramento.

ARTICVLVS I.

Vtrum totus Christus contineatur sub hoc Sacramento.

Conclusio est affirmans.

Du-

Dubium. Quomodo omnia, quæ sunt in Christo, contineãtur sub hoc Sacramento.

DVpliciter inquit D. Tho. hic, quod est aliquid Christi, potest in hoc Sacramento contineri. *Vno modo quasi ex vi sacramenti, alio modo ex naturali concomitantia.* Explicandum ergo est, quo ex his modis singula quę sunt in Christo, contineantur sub hoc Sacramento.

Dicendum est 1. corpus, & sanguinem ex vi Sacramenti contineri sub hoc Sacramento. Docet hoc Conc. Trident. sess. 13. cap. 3. Probatur etiam, nam vt hic ait D. Thom. *Ex vi Sacramenti est sub speciebus huius Sacramenti id, in quod directe conuertitur substantia panis, & vini præexistens, prout significatur per verba formæ.* Sed corpus, & sanguis Christi est id, in quod directe conuertitur substantia panis, & vini, & quod significatur per verba formę; ergo &c.

Est tamen difficultas, quid intelligatur nomine corporis, quod ex vi Sacramenti est in hoc Sacramento. Gabriel in 4. d. 11. q. 1. & in Can. Missę, lect. 42. per corpus intelligit materiam primam, sine forma substantiali, affectam tamen quantitate, & qualitatibus sensibilibus. Sed hæc sententia communiter reijcitur: quia materia prima non potest esse sine aliqua forma substantiali, & sine hac non est immediate

ca-

capax alicuius accidentis, & non potest vere dici corpus.

Scotus in 4.d.11.q.3. per corpus intelligit materiam primam informatam forma corporeitatis, quæ substantialis est, & realiter distincta ab anima, & eadem in corpore viuo, & mortuo. Sed hęc sententia ex his, quæ contra sequentem dicemus, falsam esse constabit.

Recentiores quidam hic dicunt, in animalibus præter ipsam animam dari formas substantiales partiales, quæ constituũt singulas partes corporis organici, & vni dant rationem carnis, alteri rationem ossis &c. Quæ simul omnes materiam informantes constituunt corpus organicum, nõ quidem, vt integram substantiam, sed vt partem essentialem animalis vlterius per ipsam animam perfectibilem, & animabilem. Sicque nomine corporis, quod ex vi Sacramenti est in hoc Sacramento, intelligunt corpus Christi constans materia prima, & formis partialibus heterogeneis cõstituentibus corpus organicum, quo ad esse suum substantiale. Contra hanc tamen sententiam est 1. nam sic eadem forma substantialis constituens singulas partes corporis, eademque ex illis composita esset in corpore viuo, & mortuo, idemque corpus esset viuum, & mortuum, eademq; eius caro, idemque os, &c. Sed hoc licet concedant prędicti recentiores, falsum est & contra Arist. qui 7. Metaph. tex. 35. lect. 10. apud D. Thom. de his partibus ait non posse

posse esse separatas: *Neque enim quocumque modo se habens digitus animalis, sed æquiuocus, qui mortuus*. Et lib. 2. de anima tex. 9. lect. 2. apud D. Thom. de oculo inquit materiam esse animi; *Quo detracto non est oculus, nisi forte eiusdem nominis, veluti lapideus, & pictus.* Et idem dicit de corpore, *Non est corpus ex quo animus excesserit, illud, quod vita facultatem habere dicebamus*. Ergo, &c.

Secundò. Nam si in homine præter animam rationalem esset alia forma substantialis simplex, aut composita ex alijs partialibus tribuens esse corporeum, etiam esset in eo alia anima tribuens esse sensitiuum, & alia tribuens esse vegetatiuum; nulla est enim maior ratio, cur illa sit constituenda, quam hæ: sed vt ostendimus 1. p. q. 76 ar. 3. temerarium est asserere in homine præter animam intellectiuam esse aliam animam; ergo, nec est in eo alia forma, nam anima intellectiua, vt ibi ait D. Thom. *Virtute continet omnes inferiores formas, & facit ipsa sola quicquid imperfectiores formæ in alijs faciunt*.

Tertiò. Caro, ossa, &c. ab ea forma habent substantialem rationem carnis, & ossis, quæ est principium actionis, qua producuntur, nutriuntur, & augentur, nam talis actio non introducit, aut vnit materiæ alienam formam substantialem, nisi illam, quę est eius principium, & cuius virtute procedit, & forma carnis, & ossis non potest introduci per aliam actionem: sed pręter animam non est alia forma, quæ sit prin-

principium talis actionis, nam sola anima est principium nutritionis, & augmenti, productionisque partium viuentis; ergo, &c.

Quartò: Contra prædictam sententiam procedũt rationes D.Th.1.p.q.76.a.3.& 4. Si enim in homine essent plures formæ, non esset homo aliquid vnum simpliciter, & anima eius non daret esse simpliciter. Sequeretur etiam in homine esse plures existentias saltem partiales, quod falsum esse ostendimus 1. part. quæstione 3. articulo 4.

Vera ergo sententia est, quæ colligitur ex D.Thom.q.preced ar.6. ad 2. nomine corporis, quod ex vi Sacramenti est in hoc Sacramento intelligendam esse materiam informatam anima, quatenus dat esse corporeum, inquit enim S. Doct. *Anima est forma corporis dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet esse, & esse corporeum, & esse animatum, & sic de alijs. Conuertitur igitur forma panis in formam corporis Christi secundum quod dat esse corporeum, non autem secundum, quod dat esse animatum tali anima*. Cumque eodem D.Tho.hic docente, ex vi Sacramenti fit in hoc Sacramento id, in quod directè cõuertitur substantia panis, corpus, vt includit materiam, & formam quatenus dat esse corporeum, erit, quod ex vi Sacramenti continetur in hoc Sacramento. Quod corpus carnem, ossa, neruos, & alia, quæ ad substantiam, & integritatem corporis humani pertinent, comprehendit,

dit, & altera pars est hominis, quæ ipsum componit cum anima rationali, quæ est alia pars, vt dat esse animatum, vegetans, sentiens, & rationale. Quamuis enim includat materiam, & formam, quatenus dat esse corporeum organicum, est tamen quid incompletum, vtpote vlterius actuabile per animam, quæ est actus corporis physici organici, vt patet ex eius diffinitione, quam explicuimus 1. par. q. 75. ar. 1. & cum D. Thom. diximus, corpus organicum, cuius actus est anima, non ab alio habere esse corporis organici, quam ab anima; esse tamen illius subiectum, seu materiam proximam, quia, vt habens tale esse ab anima secundum rationem communem formæ corporis, præsupponitur ad ipsam secundum rationem particularem animæ. Cum vero iuxta communem Metaphysicorum sententiam genus sumatur à materia, sicut differentia à forma, à corpore, quod est materia proxima, & subiectum animæ, sumitur genus corporis directè côtentum in prædicamento substantiæ, à quo differt, sicut pars à toto, & sicut id, quod habetur ab habente illud. Sicut enim, vt docet D. Thom. 5. Metaph. lect. 7. *Natura sensitiua non est genus hominis, sed pars. Habens etiam naturam sensitiuam, quod nomine animalis significatur, est hominis genus*. Ita corpus, quod est materia proxima, & subiectum animæ, non est genus eiusdem hominis, sed pars: & genus hominis est habens corpus, quod nomine corporis con-

ten-

tenti directè in prædicamento substantiæ significatur. Quia tamen corpus, quod ex vi verborum existit sub specie panis, partem Christi esse insinuat Cōc. Trid. sess. 13. cap. 3. videtur nomine corporis, quod ex vi Sacramenti est in hoc Sacramento, illud intelligendum esse, quod est materia proxima, & subiectum animæ, vnaq. ex partibus Christi hominis. Existimo tamen etiam rationē genericam corporis, quæ est in Christo contineri in hoc Sacramento ex vi Sacramenti: nam etiam est pars saltem metaphysica, & illam Christus dicere potuit corpus meum.

Si hoc Sacramentum confectum fuisset in triduo mortis Christi, in quo anima separata erat a corpore, quod ex vi Sacramenti contineretur in hoc Sacramento, esset corpus, vt dicit materiam informatam or ma cadaueris, quatenus dat esse corporeum. Quod corpus, vtpote mortuum, sic ut, & quod iacebat in sepulchro, quāuis cum corpore nato ex Virgine, & dato Discipulis in Cœna, & quod modo, postquā Christus resurrexit non amplius moriturus, recipimus in Eucharistia viuum, simpliciter idem numero esset propter identitatem suppositi, iuxta doctrinam D. Thom. supra q. 50. ar. 5. *Quia non habuit aliam hypostasim viuum, & mortuū præter hypostasim verbi Dei*; non tamen esset idem secundum speciem humanæ naturæ, iuxta doctrinam eiusdem S. Th. ibidem ad 2. Modo namque, quia viuum est, corpus humanum est

sim-

ſimpliciter, & abſolutè: tunc verò, quia mortuum erat, ſolum æquiuoce erat corpus humanum, vnde de illo ait D. Thom. in 3.d.22.q.1.a.1. *Nec illud corpus erat humanum, niſi æquiuocè.*

Contra hanc D. Thom. & communem ſententiam multa obijciunt prædicti recentiores, & quia nonnulla ex illis ex prædictis manent ſoluta, ſolum proponam, quę ſpecialiori indigent ſolutione. Primum eſt, quia cum verba conſecrationis ſint practica, neceſſario debent verſari circa rem certam, & determinatam, illamque practicè ſignificare; ergo corpus, quod ex vi illorum eſt in hoc Sacramento, eſſe corporis ab aliqua certa, & determinata forma debet habere, & non modo dum eſt viuum ab vna, ſcilicet anima, & alio tempore dum erat mortuum ab alia, ſcilicet forma cadaueris.

Secundum, quia iuxta prædictam ſententiam vi verborum poneretur ſub ſpecie panis anima Chriſti: ſed hoc repugnat Cōcil. Trid ſeſſ. 13. c. 3. aſſerenti animam Chriſti ſub vtraque ſpecie exiſtere: *Vt naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini inter ſe copulantur*; ergo, &c.

Tertium, quia prædicta ſententia ſuppoſiit in corpore mortuo gigni aliquam formam ſubſtantialem, quam vocat formam cadaueris: ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Minor probatur: Tum quia videmus ea omnia, ex quibus poſſumus colligere diuer-

uersitatem , vel identitatem formæ substantialis , manere sæpe eodem in corpore viuo , & mortuo , hoc solo excepto , quod ex defectu videamus animam abesse. Tum etiã, quia nulla potest assignari causa, quæ talem formam inducat , præsertim , quando animal strangulatur , vel caput subito præscinditur. Tum deinde, quia si esset ponenda forma cadaueris, quæ succederet animę discedenti ; similiter in embrione deberet poni forma substantialis , quæ pelleretur per animationem , quod tamen falsum est. Tum denique , quia indecens videtur inducere formam cadaueris in corpus Christi mortuum ; falsum etiam , quia tunc corpus Christi fuisset verè corruptum contra illud Act. 2. *Neque caro eius vidit corruptionem*. Cadauer etiam Christi fuisset natura in esse substantię omnino completa, & integrum suppositum : atque ita aliqua completa natura præter humanam fuisset verbo hypostaticè vnita , & cum eo constituisset integrum suppositum; de quo per communicationem idiomatum potuissent omnia dici, quæ dicuntur de Christo : & consequenter hæ fuissent veræ : cadauer est Deus : cadauer mundum condidit : natum est ex Virgine, redemit nos, fuit datum Apostolis in Cœna, &c.

Sed ad hęc facilè respondetur. Ad 1. quando verba consecrationis proferuntur, semper circa rem certam, & determinatã versari, & illa practicè significare, nempe corpus Christi, vt habeat esse corporeum

à

à forma, à qua tunc informatur, quæ certa, & determinata est, qualis est modo anima. Si verò sit sermo de verbis abstrahendo ab hoc, vel illo tempore, quo proferuntur, corpus significatum per illa etiam abstrahit ab hac, vel illa forma, quę ei dat esse corporeum, sicut, & abstrahit ab esse humano simpliciter, aut æquiuocè.

Ad 2. respondetur negando minorem: Concilium enim loquitur de anima, vt dat esse animatum, non vt dat esse corporeum: nam, vt sic non consideratur secundum rationem particularem animę, sed secundum rationem communem formæ; & quamuis sit eadem entitas, potest secundum vnam rationem esse ex vi Sacramenti in hoc Sacramento, & non secundum aliam: sicut licet eadem entitas sit corpus animatum Christi, in hoc tmen Sacramento est ex vi Sacramenti secundum rationem corporis, & non secundum rationem animati. Si dicas, anima non aliter informat materiã, nisi animando; ergo non dat esse corporeum, sed solum esse animatum. Respondetur negando antecedens: sicut enim albedo non solum informat subiectum illud secundum rationem propriam albedinis de albando, sed etiam secundum rationem cõmunem coloris coloratum efficiendo: ita anima non solum informat materiam secundum propriam rationem animæ animando, seu esse animatum præbendo, sed etiam secundum rationem communem

for-

formæ dando esse substantiale, & corporeum.

Ad 3. respondetur negando minorem: talem enim formam in corpore mortuo gigni, manifesta ratio ostendit: corruptio namque vnius est generatio alterius, vt dicitur lib.1. de generat. tex. 17. ergo cum viuens moritur, & corrumpitur, aliquid aliud generatur. At generari non potest, nisi gignatur aliqua forma substantialis; ergo hæc in corpore mortuo est constituenda, quæ non est alia, quam forma cadaueris. Ad 1. probationem dico, eo ac videmus animam abesse, videmus etiam ibi aliam formam substantialem esse: nam necesse est formæ deperditæ aliam succedere, sicut, & corruptioni generationem. Quæ autem ibi manere videntur, non sunt eadem cum præcedentibus, sed eis solum aliquo modo similia. Ad 2. probationem dico, licet non possit assignari causa vniuoca, assignari tamen posse æquiuocam causam, eandem scilicet, quæ formam viuentis abstulit: ex necessitate namque materiæ sequitur ad corruptionem viuentis forma cadaueris; sicque, quod est causa corruptionis viuentis, est etiam causa generationis formæ cadaueris. Ad 3 probationem dico, illud expresse afferi à D. Thom. 1. p. q. 118. art. 2. ad 2. cuius rationem reddit: *Quod cum generatio vnius semper sit corruptio alterius, necesse est dicere, quod tam in homine, quam in animalibus alijs, quando perfectior forma aduenit,*

fit

sit corruptio prioris. Et non est inconueniens, formam embrionis pelli per easdem causas, per quas fuit introducta: nam per formæ perfectioris introductionem expellunt imperfectiorem, quam prius introduxerant. Ad 4. probationem dico, non esse magis indecens inducere formam cadaueris in corpus Christi, quam ipsum mortuum fuisse afferere, nam corpus mortuum cadauer est hominis. Quæ mors licet aliquando Petro visa fuerit indecens Christo, à Domino tamen tunc dictum est ei. *Non sapis, quæ Dei sunt*, Matth.8.v.33. Corpus autem Christi vere fuisse corruptum, non falsum, sed verissimum est, cuius oppositum videtur error Gaianitarum, qui, vt refertur 24. q. 3. can. *Quidam*, dicebant corpus in Christo esse naturam incorruptam. Id vero, quod dicitur Act. 2: exponit Sanctus Damascenus libro 3. de fide capit. 28. relatus à D Tho. supra quæstione 51. articul. 3. *De corruptione, quæ est per resolutionem in elementa*. Glossa Interlinearis ibi exponit, de corruptione putredinis, & vermium. Præter naturam autem humanam vnitam fuisse verbo naturam cadaueris, concedunt communiter Theologi, quamuis dicant, non fuisse nouam vnionem, sed ex vi antiquæ assumptionis factam. Negant tamen propositiones illas, cadauer est Deus, &c. nam talis natura cadaueris non fuit assumpta ex primaria intentione, sed veluti in via, & propter aliud. Dici etiam potest, eandem esse difficultatem de illis propositionibus,

ac esset, si Deus (vt potest) naturam irrationalem bruti assumeret, de quo supra, q 4. art.1. Vnde sicut tunc non esset absolutè asserendū brutum irrationale est Deus, propter indecentiam locutionis, sed circūloquio tollente locutionis indecentiam verificandum esset id: ita & in nostro casu de cadauere Christi verificari possunt prædictæ propositiones, asserendo scilicet, suppositum naturæ cadaueris esse Deum, &c. Ideo enim de homine id verificatur, quia nomina concreta, quale est nomen homo. supponunt hypostasim naturæ; vt docet D. Thom. supra q.16 art.4.& 5.

Dicendum 2. Animam rationalem Christi esse in hoc Sacramento, non ex vi Sacramenti, aut verborum, sed per concomitantiam. Docet hoc Concil. Trident. sess.13.cap.3.

Probatur deinde, nam vt hic ait D. Tho. *Ex naturali concomitantia est in hoc Sacramento illud, quod realiter est coniunctum ei, in quod prædicta conuersio terminatur.* Sed anima rationalis Christi est realiter coniuncta corpori, & sanguini Christi, in quæ conuersio panis, & vini terminatur, & quæ per verba formæ significantur, in ipsam verò non terminatur hæc conuersio, nec ipsa per verba formæ significatur; ergo in hoc sacramento est, nō ex vi sacramenti, aut verborum, sed per concomitantiam.

Si obijcias, D Thom. q.præced. art.6. ad 2. ait: *Conuertitur forma panis in formam corporis Christi, secundum quod dat esse corporeum.*

Sed

Sed hæc forma corporis Christi est anima; ergo in animam conuertitur forma panis, ac proinde ex vi sacramenti est anima in hoc Sacramento. Respondetur, realiter quidem eandem esse animam, quæ dat esse corporeum, & quæ dat esse animatũ; ratione tamen, & virtualiter distingui, secundum quod dat esse corporeum, à se ipsa, secundum quod dat esse animatum, hocque sufficere, vt in ipsam, secundum quod dat esse corporeum, conuertatur panis,& non secundum quod dat esse animatum. Sicut similis distinctio, quæ est inter Filium,& diuinam essentiam, sufficit vt Filius generetur, & producatur à Patre, non verò diuina essentia. Vnde cum absolutè dicatur anima secundum quod dat esse animatum, absolutè dicendum est panem non conuerti in animam, & animam non esse ex vi Sacramenti in hoc Sacramento, sed solum per concomitantiam.

Aduertendũ est autem quod hic ad 1. ait D. Th. *Anima realiter fuit separata à corpore. Et ideo si in illo triduo mortis fuisset hoc Sacramentum celebratum, non fuisset ibi anima Christi, nec ex vi Sacramenti, nec ex reali concomitantia. Sed quia Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, anima eius semper est realiter corpori eius vnita. Et ideo in hoc Sacramento corpus quidem Christi est ex vi Sacramenti, anima autem Christi ex reali concomitantia.*

Si quæras, an in triduo mortis esset in Sacramento alia forma? Respondetur, fore formam cadaueris: vt dantem quidem

esse corporeum ex vi Sacramenti; vt dantem verò esse cadaueris per concomitantiam, si tamen tunc fuisset Sacramentum celebratum. Si ante iam confectum esset, & conseruatum fuisset vsque ad illud triduum, forma cadaueris solum per concomitantiam esset in Sacramento, & non ex vi Sacramenti, etiam quatenus dat esse corporeum: quia quando fuit Sacramentum confectum, terminus conuersionis nō fuit forma cadaueris, sed anima prout dabat esse corporeum, cui ex necessitate naturæ, & non ex vi Sacramenti, aut verborum succederet forma cadaueris. Quid ergo esset tunc ibi ex vi Sacramenti? Corpus Christi, ad quod, vt q. præced. artic 6. ait Caiet. *Sufficit fuisse factam conuersionem in corpus Christi remanens semper idem numero per quamcumque formam constituatur: quia semper remanet non solum eadem materia, sed eadem hypostasis.*

Dicendum est 3. Sub specie vini corpus, & sub specie panis sanguinem, & sub vtraque specie diuinitatem in hoc sacramento contineri non ex vi sacramenti, sed per cōcomitantiam. Docet hoc Concil. Trident. sess 13. cap. 3. Probatur. Corpus non significatur per verba consecrationis vini, nec sanguis per verba consecrationis panis, nec diuinitas per verba consecrationis vtriusq; corpus tamen est realiter coniunctum cū sanguine, & sanguis cum corpore, & diuinitas cum vtroque; ergo non ex vi verborum, aut Sacramenti continentur sub prædi-

dictis speciebus, sed per concomitantiam.

Dicendum est 4. Personam Filij per cōcomitantiam esse in hoc Sacramento, non tamen personam Patris, nec personam Spiritus Sancti. Prima pars colligitur ex Conc. Trid. sess. 13. cap. 3. dicente totum, & integrum Christum contineri sub vtraque specie, solum tamen corpus, & sanguinem eius esse ex vi verborum in hoc sacramento.

Probatur etiam. Persona Filij est realiter vnita corpori, & sanguini Christi, & in ipsam non conuertitur panis. aut vinum, nec significatur per verba consecrationis, nam licet D.Thom. infra q. 78. art. 2. ad 4. dicat: *Per hoc pronomen meum exprimitur persona Christi*, hoc intelligendum est in obliquo; ergo per concomitantiam est in hoc sacramento, & non ex vi sacramenti, nam quod hoc modo in eo continetur debet in recto per verba significari, sicut significatur corpus, & sanguis.

Secunda pars est contra Gabrielem in Canonem Missæ lect. 41. & alios asserentes etiam personam Patris, & Spiritus Sancti esse in hoc sacramento per concomitantiā. Sed probatur 1. Nam Concil. Trid. sess. 13. cap. 3. diligenter enumerat omnia, quæ in hoc sacramento, tam ex vi sacramenti, quam per concomitantiam continentur: at nullam mentionem facit personæ Patris, aut Spiritus Sancti; ergo signum est non constitui has duas personas in hoc sacra-

mento ex vi sacramenti, aut per concomitantiam.

Secundò. Quando sumimus hoc sacramentum, vel illud offerimus, non dicimus sumere, vel offerre Patrem, aut Spiritum Sanctum, sed tantum Christum, seu Dei Filium; ergo Pater, & Spiritus Sanctus nō sunt ibi sacramentaliter etiam per concomitantiam, quod enim hoc modo est ibi sumere, & offerre dicimus, quando sumimus, & offerimus hoc sacramentum.

Tertiò. Pater, & Spiritus Sanctus non vniuntur hypostaticè cum corpore, aut sanguine Christi, aut eius anima; ergo non sunt in hoc sacramento etiam per concomitantiam: Concilium Tridentinum sess. 13.cap.3. ideo dixit, *Diuinitatem esse in* sacramento per concomitantiam, quia est vnita hypostaticè cum corpore, & anima Christi.

Dices, Pater, & Spiritus Sanctus vniuntur per realem identitatem cum Diuinitate, quæ est in hoc sacramento per concomitantiam; ergo per concomitantiam, saltem mediatè, sunt etiam in hoc sacramento. Respondetur negando consequentiam: nam vt per concomitantiam sit aliquid in hoc sacramento, requiritur, vt in vnitate suppositi vniatur cum termino primario, & formali conuersionis, & cum illo constituat, vel pertineat ad idem suppositum: propter hoc namque vestimenta Christi, quando ipse consecrauit, non continebantur per concomitantiam in hoc sacra-

cramento; benè vero eius diuinitas,& anima, & accidentia. Vnde cum Pater, & Spiritus Sanctus non hoc modo vniantur cum corpore,& sanguine Christi, non continētur in hoc sacramento etiam per concomitantiam.

Quamuis autem sacramentaliter ex vi sacramenti, aut per concomitantiam non contineantur Pater, & Spiritus Sanctus in hoc sacramento, hic tamen esse modo quodam speciali concedendum est, quatenus conuersionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, quæ est effectus ad extra specialissimus, & supra totum ordinem naturæ, tota Trinitas operatur.

ARTICVLVS II.

Vtrum totus Christus contineatur sub vtraque specie huius Sacramenti.

Conclusio est affirmans.

CErta est secundum fidem, & patet ex Conc. Trid sess.13. cap.3. Et quamuis vt ibidem dicitur, & hic docet D. Tho. sanguis non contineatur sub speciebus panis ex vi sacramenti, continetur tamen sub illis per concomitantiam, & eodem

iv T mo-

modo corpus continetur sub speciebus vini. Sicut autem corpus contentum in hoc sacramento complectitur carnem, ossa, & reliquas partes solidas, quæ omnes ab anima, quatenus dat esse corporeum, habent esse substantiale, cum hoc sit quoddam esse corporeum; cuius distinctio in diuersas partes, licet formaliter sit à quantitate, radicaliter tamen est ab anima tribuente diuersos modos corporeitatis iuxta diuersitatem dispositionum materiæ: ita sanguis contentus in hoc sacramento complectitur omnes quatuor humores, qui vt diximus 1.p.q.76.art.8.dub.1.con.2. pertinent ad integritatem naturæ humanæ, & informantur anima, à qua, vt dat esse corporeum fluidum, habent esse substantiale, quod in quolibet est partialiter ab esse substantiali alterius ob diuersos modos corporeitatis, quos iuxta diuersitatem dispositionum, anima materiæ tribuit. Sicut autem loco proximè citato diximus, sanguinem, qui informatur anima, esse naturalem, non nutrimentalem: ita nunc dicimus, sanguinem contentum in hoc sacramento non esse nutrimentalem, sed naturalem. Vnde quando Christus in cœna confecit hoc Sacramentum, sanguis eius nutrimentalis nō fuit in sacramento, sicut nec in eo fuerunt cibi, qui in stomaco Christi existebant.

Si tempore passionis, & mortis Christi fuisset hoc sacramentum celebratum, inquit D.Thom. hic: *Sub speciebus panis fuisset corpus Christi sine sanguine, & sub speciebus*

vini

vini sanguis sine corpore: sicut erant in rei veritate. Quibus verbis indicat S. Doct., Christum in sua passione totum sanguinem fudisse, ita vt nihil sanguinis manserit in eius corpore. Quod maxime credibile est, ob nimiam charitatem, qua dilexit nos. Nec obstat, quod dicitur Ioan. 19. v. 34. *Exiuit sanguis, & aqua*, de corpore scilicet Christi iam mortui. Nam illud miraculosum fuisse communiter docent sacri interpretes. Et quamuis non totum sanguinem fudisset, sed aliquid sanguinis mansisset in eius corpore, adhuc dicunt multi, talem sanguinem in casu prædicto non contineri ratione concomitantiæ cum corpore sub speciebus panis: quia dicunt Philosophi in morte discontinuari partes fluidas à solidis; sicque sanguis ille non fuisset realiter vnitus corpori, sicut nec effusus, nisi forte eo modo, quo cibus existens in stomacho, quod non sufficit, vt per concomitantiam esset sub speciebus panis, vbi esset corpus.



V B AR.

ARTICVLVS III.

Vtrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum panis, vel vini.

Conclusio est affirmans.

FActa diuisione, vel separatione partium specierum ab inuicem per fractionem hostiæ, sub qualibet parte Christum totum contineri, certum est secundum fidem, vt patet ex diffinitione Conc. Trid. sess. 13. can. 3. *Si quis negauerit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub vna quaque specie, & sub singulis cuiuscumque speciei partibus, separatione facta totum Christum contineri; anathema sit.*

Etiam ante separationem, inquit D. Tho. *Totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente, & non solum cum frangitur.* Quod adeo certum est, vt oppositum sit error in fide, illud enim docet Conc. Trident. sess. 13. cap. 3. Probatur etiam: de fide est post separationem totũ Christum contineri in singulis partibus: sed non est de nouo in illis ex vi separationis, aut fractionis, nam hæc est actio humana, & naturalis, quæ potest fieri à non Sacerdote, & non habet virtutem supernaturalem ad constituendum Christum, vbi antea non erat: ergo ante separationem

erat

erat in illis ex vi consecrationis. Confirmatur, si partes specierum vini diuisæ iterum reuniantur, sub illis est totus Christus, sicut antequam reunirentur; ergo & ante diuisionem.

Si quæras, an in partibus ante separationem sit totus Christus semel, aut pluries? Quidam recentiores hic pluries esse dicũt, & toties esse Christum replicatum, totque esse Christi replicationes, quot sunt partes, hasque replicationes non esse continuas, sed contiguas, sicut arenę in cumulo. Sed hic modus loquendi ineptior videtur modo loquendi Marsilij dicentis corpus Christi in hostia esse pluribus vicibus partialibus. De quo ait M. Soto in 4. dist. 10. q. 1. ar. 3. *Est ineptum dicere, plures vices partiales, nam vices diuisionem dicit.* Hanc etiam, & plures esse Christos multo magis dicit, Christum esse replicatum; sicut & esse duplicatum, vel triplicatum. Respondetur ergo cum Mag. Soto ibidem subdente: *Sicut substantia panis ante consecrationem non est plures sub suis dimensionibus, ita neque corpus illi succedens est, nisi semel sub illis: sicut anima licet sit in qualibet parte corporis, non nisi semel est in toto.* Quod non est coincidere cum sententia reiecta ab omnibus Theologis præsertim à D. Th. hic. Nam talis sententia non reijcitur à Theologis, quia dicit Christum semel tantum esse in integra hostia, sed quia asserit, hostia integra manente, non esse totum Christum sub qualibet eius parte, sed solũ

cum frangitur: sicut nec imago est tota in qualibet parte speculi, dum integrum manet, sed solum eo fracto, quia tunc singula integræ imagines apparent in singulis partibus. Non pluries autem, sed tantum semel esse Christum sub vna hostia ante fractionem docet expresse D. Thom. hic ad 1. dicens: *Numerus sequitur diuisionem. Et ideo quandiu quantitas manet indiuisa actu nec substantia alicuius est plures sub dimensionibus proprijs, nec corpus Christi sub dimensionibus panis, perconsequens nec infinities, sed toties in quot partes diuiditur.*

De partibus minoribus minima, quę per se non possunt subsistere, inquit Mag. Soto vbi supra, audiuisse à quibusdam sustentabile esse, corpus Christi non esse sub illis, immo hanc opinionem S. Bonauenturæ impingere. Hoc ego apud prędictos recentiores legi. Sed Mag. Soto hæresim esse dicit, quam S. Bonauentura non docuit. Alij temerarium, & proximum errori esse asserunt. Certè Concilium Trid. sess. 13. cap. 3. sine limitatione dicit, totum Christum contineri sub quāuis cuiuscumque speciei parte. Et cum totus panis conuertatur in corpus Christi, nulla potest esse speciei particula, in qua corpus Christi non sit, alias substantia panis, quæ sub illa particula erat non fuisset conuersa in corpus Christi, vnde ait M. Soto: *Quamuis separata minima parte, si illa diuideretur, desineret esse corpus, quia desineret species panis tamen in toto, quia conseruatur illic species, n*

da-

datur tam parua pars, quin sub quauis minori sit corpus.

De punctis, lineis, & superficiebus asserendum est, etiam in illis esse corpus Christi. Probatur. Christus in hoc sacramento indiuisibiliter, sicut Angelus est alicubi; ergo sicut Angelus alicubi existens est totus in toto, & totus in qualibet parte, & etiam in punctis, & terminis indiuisibilibus eius, in quo existit, vt colligitur ex D. Thom. 1.p.q.52 art.2. ita & Christus est in hoc sacramento.

Si dicas corpus Christi non est, nisi vbi erat substántia panis: sed hæc non erat in puncto, quia erat corporea, ac proinde trinam dimensionem, sub qua esset, requirebat; ergo nec Christus. Respondent quidam in substantia panis. & qualibet alia corporea dari etiam indiuisibilia substantialia correspondentia indiuisibilibus terminantibus quantitatem, sicque corpus Christi esse sub indiuisibilibus quantitatiuis, sub quibus erant indiuisibilia substãtialia panis, nam hæc in corpus Christi conuersa sunt. Sed respond. neg. min. nam quamuis substantia corporea sit capax trinæ dimensionis, secundum se tamen est indiuisibilis, sicque non solum est sub quantitate, sed etiam sub puncto, & alijs eius indiuisibilibus.

AR-

ARTICVLVS IV.

Vtrum tota quantitas dimensiua corporis Christi sit in hoc Sacramento.

Conclusio est negans.

QVamuis quantitas dimensiua corporis Christi non sit in hoc Sacramento ex vi Sacramenti, per cōcomitantiam tamen esse tam ipsam, quam omnia alia accidentia corporis Christi, quæ sunt ei intrinseca, & non sunt per comparationem ad extrinsecum continens, necesse est: sicut enim anima, & diuinitas hoc modo sunt in hoc sacramento, quia realiter coniunguntur cū corpore Christi, vt patet ex Conc. Trident. sess. 13. cap. 3. ita quia quantitas, & alia accidentia intrinseca realiter sunt coniuncta cum Christi corpore, in hoc sacramento per concomitantiam existere necessarium est.

Si quæras an saltem de potentia Dei absoluta possit corpus Christi esse in hoc sacramento sine quantitate, & aliis accidentibus intrinsecis, quæ habet in propria specie? Respondetur, multorum esse sententiā, id esse possibile, quam tenet Mag. Soto in 4. d. 10. q. 1. artic. 2. & 5. Sed communior discipulorum D. Thom. opinio est, impossibile esse. Tum quia contradictionem impli-

plicat, idem simul esse quantum, & non quantum, album, & non album, &c. cum hæc contradictoriè opponantur: at si corpus Christi esset in hoc sacramento sine quantitate, & alijs accidentibus intrinsecis, quæ habet in propria specie, simul esset quantum, & non quantum, album, & non album, &c. ergo nec per Dei potentiam absolutam est id possibile. Tum etiam, nam eodem modo posset corpus Christi esse in hoc sacramento sine anima, & diuinitate, quæ realiter illi coniunguntur in propria specie: sed hoc est falsum, nam simul esset animatum, & inanimatum, viuũ & non viuum, existens, & non existens, vnum supposito cum Christo, & non vnum supposito cum eo, quæ omnia contradictionem implicant; ergo &c. Tum denique quia ad existendum in hoc sacramento per cõcomitantiam nihil aliud requiritur quã esse realiter coniunctum cum corpore Christi; ergo dum quantitas est illi coniũcta, non potest non esse in hoc sacramento per concomitantiam, corpore Christi in eo existente ex vi Sacramenti.

Circa art. 5. vide quæ dicemus art. seq.



AR-

Vtrum corpus Christi sit mobiliter in hoc Sacramento.

Conclusio est negans.

Dubium. An corpus Christi in hoc Sacramento nec per se, nec per accidens moueri possit.

NVllo ex his modis moueri posse, probatur 1. corpus Christi in hoc sacramento nec per se, nec per accidens potest calefieri, aut frigefieri, nam cũ species calefiunt, aut frigefiunt corpus Christi ratione illarum nõ calefit, aut frigefit; ergo nec ad motum specierum potest localiter moueri etiam per accidens. Confirmatur, corpus Christi non frangitur, nec conteritur per accidens ad fractionem, vel contritionem specierum; ergo nec mouetur localiter ad earum localem motum.

Secundo. Corpus Christi prout est in hoc sacramento non est capax motus localis, nec potest esse talis motus subiectum, cum sit hic indiuisibiliter; ergo non potest moueri localiter etiam per accidens ad motum hostiæ: nam id quod mouetur localiter eo modo, quo mouetur, debet esse subiectum motus, & diuisibile. Confirmatur,

tur, corpus Christi nullo modo est in hoc Sacramento tanquam in loco; ergo nullo modo mouetur in eo secundum locum.

Tertiò. Quod mouetur per accidens ad motum alterius, ab alio mouetur etiam contra suam voluntatem: Sed Christus non potest hoc modo moueri, cum per solam suam voluntatem contineatur sub speciebus; ergo,&c. Confirmatur,quia alias corpus Christo moueretur motibus contrariis simul, si enim vnus Sacerdos eleuaret vnā hostiam, moueretur rursum,& si tunc alius Sacerdos aliam hostiam deprimeret, simul deorsum moueretur:sed hoc est absurdum; ergo, &c.

Dicendum tamen est 1. Corpus Christi in hoc Sacramento, aut secūdum esse,quod habet in eo non moueri per se: moueri tamen per accidens motu locali ad motum specierum. Vtramque partem conclusionis docet D.Thom.hic dicens: *Secundum hoc esse non mouetur Christus per se secundum locum, sed solum per accidens: quia Christus nō est in hoc Sacramento, sicut in loco, sicut prædictum est: quod autem non est in loco non mouetur per se in loco, sed solum ad motum eius, in quo est.*

Primam partem negant quidam recentiores hic asserentes, Christum, vt est in Sacramento, non posse quidem se moueré,& moueri motu progressiuo,quia ad hoc requiritur extensio ad locum, & vt vna pars moueatur ante aliam, & consequenter, vt sit in diuerso loco; posse tamen se

mo-

mouere,& moueri motu simplici,sicut grauia feruntur deorsum: tum extra species egrediendo: tum etiam simul cum speciebus; quod fecisse dicunt in casibus, quibus legimus, hostias sacras quandoque inuisibiliter motas nemine eas tãgente;tunc enim non ad motum earum Christus est motus, sed potius ipsæ hostiæ ad motum Christi motæ sunt, Christo eas secum trahente.

Sed hæc sententia falsa, & absurdissima est. Primò, nam quomodo Christus, vt est in Sacramento, potest se mouere,& moueri motu simplici egrediendo extra species,cum egressus extra species iam non sit in Sacramento?

Secundò. Christus egressus extra species, & extra Sacramentũ existens extensionem habet ad locum, & partem extra partem, & in ordine ad locum; cur ergo non potest se mouere,& moueri motu progressiuo, sicut, & simplici?

Tertiò. Sicut ad motum progressiuum corporum requiritur, vt vna pars moueatur ante alteram: ita ad motum simplicem, quo grauia feruntur deorsum, requiritur, vt vna pars prius occupet vnam partem loci, quam altera, & vt quod per se mouetur tali motu, partim sit in termino à quo, & partim in termino ad quem; ergo eadem est ratio de vno, ac de alio.

Quartò. Nam si in aliquo casu visa est hostia moueri nemine eam tangente, credendum est ab Angelo fuisse motam. Et quamuis motor ipsius fuerit Christus sub

ea

ea existens, non sequitur ipsum, per se fuisse motum, & ad motum ipsius hostiam, illamque secum traxisse, sicut homo sindone coopertus currens secum trahit sindonem; sed solum fuisse motum per accidens, sicut, & teste D. Thom. 1. p. q. 51. art. 3 ad 3. *Angeli mouentur per accidens ad motum corporum*; & q. 75. at. 1. ad 1. *Est mouens, quod non mouetur per se, sed mouetur per accidens. Et tale mouens est anima.*

Quintò. Quia quod non est per se in loco, non mouetur per se ad locum: sed Christus in hoc Sacramento non est per se in loco; ergo, nec per se mouetur ad locum. Maiorem docet D. Th. hic. Minor probatur cum eodem ar. præced. nam non est localiter sub dimensionibus, vel speciebus, ita vt hæ rationem habeant loci respectu illius; sicut enim non habebant rationem loci respectu substātiæ panis, nec hæc sub illius localiter continebatur: ita nec respectu corporis Christi, quod substantiæ panis succedit. Nec est etiam per se localiter in loco specierum: nam non comparatur ad illum mediantibus proprijs dimensionibus, sicut ad illam comparabatur substantia panis, sed mediantibus dimensionibus alienis; ergo, &c. Confirmatur, quia si esset per se in loco, maxime diffinitiue: sed hoc modo non est, vt probat D. Thom. ar. prçced. ad 1. *Quia sic non esset alibi, quam in hoc altari, vbi conficitur hoc Sacramentum: cum tamen sit, & in cœlo in propria specie, & in multis alijs altaribus sub specie*

cie Sacramenti ; ergo , &c.

Secundam partem negat Durandus in 4. dist.10.q.3.num. 5. Sed probatur , nam in Conc.Trid.sess.13.c.5 & 6. canon.6.dicitur Christum in Sacramento Eucharistiæ in processionibus per vias , & loca publica circumferri , & circumgestari , & ad infirmos deferri : sed quod defertur , circumfertur , & circumgestatur , mouetur ; ergo Christus mouetur in hoc Sacramento . At non per se ; ergo per accidens ad motum specierum, & Sacramenti .

Aduertendum tamen est , quòd ait Diu. Thom.in 4.d.10.q.1.a.3.quæstiunc.4. *Quod moueri in loco includit esse in loco : unde ad hoc, quod aliquid per se moueatur in loco, oportet, quod per se sit in loco, & quod per se moueatur , non ad motum alterius . Sed per accidens mouetur in loco dupliciter . Vno modo , quia per accidens est in loco , sicut formæ mouentur per accidens . Alio modo , quia per se est in loco, sed per accidens mouetur in loco , sicut patet in his , qui vehuntur , quia locus quem mutant , est per se eorum poprius locus , non communis . Corpus autem Christi in loco, quam species transmutant, non est per se, neque , sicut in loco proprio, neque sicut in loco communi : & ideò per se in illo moueri non potest , neque per accidens , sicut corpora per accidens mouentur ; sed hoc modo, quo aliquid, & per accidens est in loco,& per accidens mouetur .* Tales hic ad 1. dicit esse formas , & spirituales substantias . & subdit : *Ad quem modum potest reduci,quod dicimus Christum moueri per accidens secundũ*

esse ,

esse, quod habet in hoc Sacramento, in quo non est, sicut in loco. Ex quo infertur Christum in hoc Sacramento non moueri per accidens ad motum specierum efficienter, sicut homo, qui vehitur naui, mouetur per accidens ad motum nauis efficienter, quia nauis suo motu, quasi impellit eum, & ita est causa motus in ipso: sed per accidens ad motum specierum, formaliter ipso motu specierum, à quo extrinsecè denominatur Christus motus, sicut formæ mouentur, nec enim quando homo mouetur, causat in anima aliquem motum localem in ipsa receptum, sed motu ipso recepto in homine anima formaliter moueri dicitur. Et eodem modo Christus formaliter moueri dicitur motu ipso recepto in speciebus, nō motu aliquo in ipso causato, & recepto. Vide, quæ diximus 1.p. quæst. 52. artic. 1. dub. 2.

Dicendum est 2. Corpus Christi secundum esse, quod habet in hoc Sacramento non desinere esse sub eo per se, sed solum, quia desinunt esse species Sacramentales. Oppositum huius tenent quidam recentiores. Sed illud expressè docet Diu. Thom. hic, sic enim habet; *Similiter, neque per se mouetur secundum esse, quod habet in hoc Sacramento, quacumque alia mutatione, puta quantum ad hoc, quod desinat esse sub hoc Sacramento*. Et inferius: *Non desinit esse sub hoc Sacramento, per hoc, quod ipsum desinat esse, sed solum per hoc, quod species huius Sacramenti desinunt esse*,

Se-

Secundò probatur non desinere per se secundum aliquod esse substantiale. Non desinit esse secũdum esse substantiale, quod habet in cœlo, nec quod sit in hoc Sacramento reproductum, ergo secundum nullum. Antecedens, quo ad primam partem certissimum est. Quo ad secundam negatur à prædictis recentioribus. Sed probatur: Tum ex dictis supra q. 75. ar. 4. dubio vnico, con. 1. vbi ostendimus corpus Christi non reproduci in hoc Sacramento. Tum etiã, quia admittendæ essent innumerę corporis Christi substantiales desitiones, quod absurdum est. Tum denique, quia tale esse substantiale in hoc Sacramento reproductum annihilaretur, desineret enim, & redigeretur in nihilum, eiusque desitio pro termino non haberet aliquid, sed nihil: sed hoc est falsum; ergo, &c. Respondent, non annihilari, quia non desinit absolute, nam absolute perseuerat, sed secundum quid, scilicet secundum esse sacramentale. Sed contra hoc est, nam esse sacramentale non est esse subantiale, ergo si solum desinit secundum hoc esse, non desinit corpus Christi secundũ aliquod esse substantiale. Si verò esse substantiale, quod habet in hoc Sacramento desinit, vel absolute debet desinere, & nullibi manere, vel si alibi manendo potest in Sacramento desinere, etiam potest in Sacramento annihilari, desitio enim totius entitatis non minus repugnat eius permanentiæ, quam annihilatio talis entitatis: vnde si idem corpus posset esse in duobus lo-

locis, ſicut manendo in vno poſſet in alio mori, & deſinere eſſe, ita poſſet in alio annihilari.

Tertiò probatur non deſinere ſecundum aliquod eſſe reale etiam accidentale. Nam vt hic in corp. ait D. Thom. Chriſtus deſinit eſſe ſub Sacramento, *Sicut Deus deſinit eſſe in aliqua creatura*, & ſicut, vt ad primum dicit, *Deſinit eſſe Dominus creaturæ deſinentis*: ſed Deus non deſinit eſſe in creatura, nec eſſe Dominus illius ſecundum aliquod eſſe reale: ergo nec corpus Chriſti ſecundum aliquod eſſe reale deſinit eſſe in hoc Sacramento, ſed ſolum, quia deſinentibus ſpeciebus tollitur habitudo corporis Chriſti ad ſpecies, quam ſignificabat eſſe ſub hoc Sacramento, ſicut deſinente creatura tollitur habitudo Domini, & exiſtentiæ in illa, quam in Deo ſignificat eſſe Dominum creaturæ, & exiſtere in illa; quę habitudo, ſicut in Deo non eſt aliquid reale, ſed rationis: ita & in corpore Chriſti habitudo ad ſpecies. Confirmatur, ſi corpus Chriſti deſineret eſſe in Sacramento ſecundũ aliquod eſſe reale etiam accidentale, vere, & realiter mutaretur: ſed non ſic mutatur, ſed abſq. vlla ſui mutatione per ſolã deſitionẽ, & mutationẽ ſpecierũ deſinit eſſe in hoc Sacrm. ſicut Deus abſq. vlla ſui mutatione deſinit exiſtere in creatura, & eſſe Dominus illius per ſolam deſitionem, & mutationem creaturæ, vt hic docet D. Thom. ergo &c. Si dicas, quando corpus Chriſti deſinit eſſe in hoc Sacramento, deſinit eſſe in eo, præ-

ſentia

sentia Sacramentalis, aliqua etiam propinquitas, vel distantia, quam non habet in cœlo: sed hæ sunt modi quidam reales, qui tanquam in subiecto intrinsece in Christo existebant; ergo desinit secundum aliquod esse reale saltem accidentale. Respondetur negando minorem: nam vt diximus 1. p. q. 52. art. 1. dub. 1. ad 1. & q. 53. artic. 1. dubio 3. cum Caietano propinquitas, & distantia, nec in Angelis, nec in Christi corpore in Eucharistia est intrinsecè, & tãquam in subiecto, sed solum conuenit eis extrinsece ratione corporum, in quibus sunt Angeli, aut ratione specierum, sub quibus est corpus Christi. Præsentia etiam Sacramentalis, (licet corpus Christi dicatur, & sit vere, & realiter præsens) non est aliquid reale in corpore Christi, sed relatio, & habitudo rationis ad species: sicut licet Deus vere, & realiter sit in omnibus locis, & vbique præsens, talis præsentia, & modus essendi non est aliquid reale in Deo, sed relatio, & habitudo rationis ad loca creata. Vide quæ diximus supra q. 75. art. 4. dubio vnico, conclus. 3.

Ad 1. autem factum in principio respõdetur negando consequentiam; nam sicut anima, licet calefacto corpore, nullo modo calefiat; moto tamen localiter corpore ipsa per accidens mouetur, vt docet Diu. Thom. 1. p. q. 75. art. 1. ad 1. ita corpus Christi, licet non calefiat calefactis speciebus, his tamen localiter motis, per accidens mouetur: quia ad primum requiritur, vt calo-

calorem, & calefactionem in se recipiat; ad secundum verò sufficit, vt sit contentum in eo, quod per se mouetur. Ad confirmationem quidam negant antecedens nam in confessione Berengarij can. *Ego Berengarius*, De consecrat. dist. 2. dicitur: *Manibus Sacerdotum frangi, & fidelium dentibus atteri*. Sed respondetur negando consequentiam: nam fractio, & contritio non importat solum motum localem, sed inuoluit etiam alias mutationes, & alterationes, quæ non possunt competere corpori Christi, prout est in hoc Sacramento, sicut nec calefieri calefactis speciebus.

Ad 2. respondetur negando consequentiam: quia vt diximus con. 1. vt per accidens ad motum alterius, non efficienter, sed formaliter moueatur, non requiritur, vt sit motum subiectum. Ad confirmationem dico, corpus Christi, licet non habeat species Sacramentales pro loco, esse tamen in loco specierum ratione illarum, & per accidens, sicque etiam ad motum illarum per accidens moueri modo explicato.

Ad 3. respondetur, quamuis ea, quæ ita sunt in aliquo, illique coniungantur, vt non possint se libere ab eo subtrahere, sed vnio, & coniunctio cum illo naturalis, aut necessaria sit, possint per accidens ad motum illius contra suam voluntatem moueri, vt patet in anima, quæ ad motum violentum corporis, cui naturaliter est vnita, potest contra suam voluntatem per accidens moueri: & in homine naui alligato,

qui ad motum nauis potest per accidens moueri contra suam voluntatem. Ea tamen, quę ita sunt in aliquo, vt possint se ab illo subtrahere, vnioque, & coniunctio cum illo non naturalis, sed libera est, dum libere in illo manent: etiam si ad motum illius violentum moueantur per accidens, non mouentur contra suam voluntatem; vt patet in Angelo existente in corpore hominis alicuius, qui, dum vult manere in tali homine, ibique suam virtutem applicatam habere, licet per accidens ad motum illius etiam violentum moueatur, non tamen contra suam voluntatem, & violenter. Et quia Christus in hoc Sacramento hoc modo est, quia voluntate, qua illud instituit, voluit in eo manere, vnionemque, ac coniunctionem Sacramentalem cum speciebus habere, dum species permanent, cum tamen possit, si voluerit, sub illis permanentibus desinere esse: ideo licet species motu violento moueantur, & Christus ad motum illarum per accidens moueatur; non tamen contra suam voluntatem, & violenter. Ad confirmationem dico, nullum esse inconueniens, & absurdum, Christum existentem in diuersis hostijs per accidens moueri motibus contrarijs, in vna scilicet sursum, & in alia deorsum, aut in vna moueri, & in alia non. Hoc enim sequitur ex diuersis esse sacramentalibus, quæ habet in diuersis hostiis: sicut si vera esset sententia asserentium, idem corpus posse esse in diuer-

diuersis locis, nullum esset inconueniens, in illis moueri per se simul motibus contrariis, aut in vno quiescere, & in alio moueri. Et cum constet cœlos simul in eodem loco moueri motibus contrariis, naturali scilicet, & raptus, cur inconueniens reputabitur, Christum in diuersis hostiis existentem moueri motibus contrariis?

ARTICVLVS VII.

Vtrum corpus Christi prout est in hoc Sacramento, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato.

Conclusio est negans:

Circa solutionem secundi non modica est difficultas de sensu illorum verborum, *Oculus corporalis Christi videt se ipsum sub Sacramento existentem.* Quidam recentiores dicunt: illud *sub Sacramento*, nõ esse coniungendum cum obiecto visionis, quod significatur illa particula *Seipsum*, sed cum oculo vidente: qui etiam sub Sacramento habet visionem sui ipsius, nõ prout in Sacramento est, sed prout in propria specie existit. Habet autem hic (inquiunt) illam visionem, non per se primo hic elicitam, sed per concomitantiam: nam quia in cœlo habet visionem sui, illa visio

in Sacramento per concomitantiam ponitur. Sed non video quomodo hic sensus possit verbis Diu. Thom. congruere, cum illud *Sub Sacramento*, necessario coniungendum sit cum illa particula *Existentem*, & hæc cum illa *Seipsum*, cum qua conuenientiam grammaticalem facit. Sēsus ergo verborum D.Thom.videtur esse, oculum corporalem Christi videre se ipsū, non solum existentem in propria specie, sed etiam existentem sub Sacramento. Cuius rationem reddit: *Quia etiam ipse oculus Christi est sub hoc Sacramento*. Sub quo si non esset non videret se ipsum sub Sacramento: nam vt idem S.Doctor ait in 4.d. 10.q.2.ar.4.quæstiuncula 1. ad 1. *Si oculus Christi esset extra species Sacramenti, non videret substantiam suam infra species contentam*. Vnde licet oculus non existens sub Sacramento non possit videre corpus Christi cōtentum sub Sacramento; bene tamen oculus sub Sacramento existens. Cuius ratio esse potest, quia corpus, vt ait M.Soto in 4. d.11.q.1.art.7. circa finem; *Licet in Sacramento non possit multiplicare species per mediū, potest tamen illas multiplicare per se ipsum*. Vt autem videri possit ab oculo existente extra Sacramentum, species visibiles multiplicare deberet per medium, sicque illas ad talem oculum emittere, quod non requiritur, vt videri possit ab oculo, qui etiā est sub Sacramento, sed sufficit, vt illas per se ipsum multiplicet, sicque ad talem oculum emittat. Quamuis autem hoc modo

Chri-

Christus oculo corporis videat se ipsum sub Sacramento existentem: *Non tamen potest videre ipsum modum essendi quo est sub Sacramento, quod pertinet ad solum intellectum.* Inquit D. Thom. Cuius exemplum esse potest, in ipsomet Christo, quando ianuis clausis ad discipulos intrauit: vidit enim oculo corporis se ipsum in loco ianuarum; non tamen modum supernaturalem, quo ibi erat, hunc enim solum per intellectum cognouit. Ex his sequitur, visionem sui in Sacramento corpori Christi sub Sacramento existenti non conuenire per concomitantiam, sed primo, & per se, & eidem corpori Christi in propria specie existenti, quasi consequenter conuenire, eo modo, quo si in Sacramento annihilaretur, consequenter annihilaretur in propria specie.

Si quæras, an Christus in Eucharistiæ existens oculo corporis, non solum se ipsum, sed etiam alios videat? Respondetur, Nominales id absolutè concedere. Mihi tamen asserendum videtur, id naturaliter esse impossibile; quia sicut corpus Christi in Eucharistia existens (etiam dum erat passibile, vt in die Cœnæ) non potest pati ab extrinsecis agentibus sola naturali virtute operantibus; ita nec eius oculus naturaliter potest recipere species visibiles ab obiectis externis, sicque, nec illa videre. Supernaturaliter tamen, & diuina virtute id posse, & de facto fieri, sicque verificari, quod communiter fi-

deles sentiunt, Christum ex Sacramento ipsos, & quę coram Sacramento agunt, videre. Nam si Diu. Thom. in 4. distinct. 10. quæstione 1. artic. 4. quæstiuncula prima ad 1. & 2. indicat oculum glorificatum, & comprehensores per miraculum forte videre corporali visione corpus Christi sub Sacramento; multo magis, sine forte asserendum videtur, Christum in Sacramento existentem oculo corporis diuina virtute videre alios, & obiecta externa, ne nobis obiiciatur, esse ibi, sicut lapidem, aut aliud insensibile: Si diceremus Christum à Cœlo oculo corporis (sicut è terra ipsum vidit Stephanum stantem in cœlo) videre omnia, quæ sunt, & aguntur in terra, asserere etiam deberemus hanc visionem per concomitantiam eidem in hoc Sacramento existenti conuenire, & ex Sacramento illa omnia videre.

Circa articulum 8. nihil se offert dicendum.



QEAE.

QVAESTIO LXXVII.

De accidentibus remanentibus in Sacramento.

ARTICVLVS I.

Vtrum accidentia remaneant sine subiecto in hoc Sacramento.

Conclusio est affirmans.

NOmine subiecti hic non quodcumque intelligit D. Thom. cum art. seq. dicat alia accidentia esse, sicut in subiecto in quantitate; sed subiectum vltimum, quod est substantia, in qua, aut immediatè, aut mediatè omnia accidentia inhærent. Et sic intellecta conclusio est de fide: ex Concilio enim Trident. sess. 13. can. 2. constat, accidentia manere, sine substantia panis, & vini, in qua antea inhærebant, ex Conc. vero Const. manere, sine subiecto, cum §. 8. damnetur hęc propositio: *Accidentia panis non manent, sine subiecto in eodem Sacramento.*

Vt accidentia remaneant, sine subiecto, necesse est, vt supernaturaliter conseruentur à Deo; Vnde D. Th. hic probat possibi-

le esse accidentia manere, sine subiecto in hoc Sacramento: *Cum enim effectus magis dependeat à causa prima, quam a secunda, Deus qui est prima causa substantiæ, & accidentis, per suam infinitam virtutem conseruare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quã conseruabantur in esse, sicut per propriam causam*, Ex quo patet, non conseruari à Deo accidentia sine subiecto per eum concursum, qui ipsa in subiecto conseruabat, ille enim naturalis erat. Animam rationalem à corpore separatam naturali concursu, quo eam in corpore conseruabat, Deus conseruat, quia anima non dependet in conseruari à corpore. At accidentia à subiecto in conseruari dependent; sicque sine illo naturaliter conseruari non possunt, sol enim cum solo concursu generali non posset lumen productum in aere, hoc annihilato, conseruare. Necesse est ergo, vt accidentia sine subiecto maneant, & conseruentur, Deum concursu speciali supernaturaliter ea conseruare.

An vero Deus, sic illa conseruando, det eis aliquid reale, quod succedat inhęrentię, & sustentationi subiecti, non est concors omnium sententia. M. Soto in 4. d. 10 q. 2. art. 2. & alij recentiores cum Scoto in 4. d. 12. q. 1. nihil reale eis tribuere existimant, sed cũ existentia, quã in subiecto habebant, illa conseruare per suam manutenentiã absque additione alteriùs entitatis, aut modi realis: Caiet. vero hic docet, nouum modum essendi scilicet per modũ sub-

substantiæ eis conferre. Quæ opinio conformior videtur D. Tho. hic enim ad 4. de his accidentibus dicit: *Non habent ipsa esse, sed post consecrationem ipsa accidentia, quæ remanent, habent esse: unde sunt composita ex esse, & quod est.* Nec satisfacit, quod ait M. Soto, non sic intelligendum esse D. Th. vt nouum esse acquirant. Nam nec Caietan. hoc dicit, sed tantum acquirere nouum modum essendi, scilicet esse id quod est, quem antea non habebant, sed solum esse id quo est. *V*ide Caietanum ipsum.

Circa articulum secundum, tertium, & quartum, nihil se offert scribendum.

ARTICVLVS *V*.

Vtrum ex speciebus Sacramentalibus possit aliquid generari.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An quando ex speciebus generatur aliquid, producatur à Deo materia prima, ex cuius potẽtia educatur forma substantialis geniti.

PArtem negantem tenent Ferrar. 4. cõtra gentes c. 66. probat 1. ex D. Tho. hic dicente. *In ipsa consecratione mira-*

culosè datur quantitati dimensiua panis, & vini, quod sit primum subiectum subsequentium formarum: hoc autem est proprium materiæ. Et ideo ex consequenti datur prædicta quãtitati dimensiua omne illud, quod ad materiam pertinet. Et ideo quicquid posset generari ex materia panis, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiua panis, & vini: non quidem nouo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti. Et ad 1. *Quamuis non sit ibi materia, ex qua aliquid generetur, quantitas tamen dimensiua supplet vicem materiæ.* Et ad 2. *Species Sacramentales sunt quidem accidentia, habent tamen actum, & vim substantiæ.* Sentit ergo D. Thom. in generatione substantiæ ex speciebus sacramentalibus non aduenire nouam materiam, in qua forma substantialis rei genitæ recipiatur, sed quãtitatem ipsam esse loco materiæ, & formam substantialem huiusmodi recipi in ipsa tanquam in primo subiecto, virtute diuina hoc sibi dante in consecratione.

Secundo ex eodem S. Doctore 4. contra gentes cap. 66. ad finem, vbi dicit, *In ipsa consecratione miraculosè accidentibus confertur quod subsistant, quod est propriũ substantiæ, & per consequens, quod omnia possint facere, & pati; quæ substantia posset facere, & pati, si substantia adesset*. At si substantia panis adesset, sic corrumperetur in aliam substantiam, vt eius Materia esset subiectum formę substantialis genitę ex ipsa; ergo similiter dicendum est de quantitate. Confirmat; nam ibidem ait D. Thom. ex ipsis acciden-

cidentibus generari substantiam sine miraculo: at creatio nouæ materiæ, aut conuersio dimensionis in materiam non esset sine nouo miraculo; ergo &c.

Tertiò probatur, si produceretur tunc materia à Deo, vel produceretur sine vlla forma, aut cum forma aliqua. Sine forma nequit produci, sicut nec esse: forma autem, cum qua producatur, nequit assignari: nam si produceretur cum forma geniti ex speciebus, hæc ex illa non educeretur virtute agentis naturalis; cum alia autem non produci constat, ergo &c.

Dicendum tamen est: Quando ex speciebus Sacramentalibus aliquid generatur, produci à Deo materiam primam, ex cuius potentia educitur forma substantialis geniti, & in qua recipitur, & non in quantitate. Docet hoc D. Thom. in 4. dist 12. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 4. in corp. & ad 3. & 4. vbi ait: *Aliquid in hac generatione esse miraculosum, & aliquid naturale: reditus enim substantiæ, vel creatio materiæ, vel conuersio dimensionum in materiam est miraculum sed quod materia iam existens recipiat talem formam, cuius dispositiones præcesserunt in dimensionibus, hoc est naturale.* Expositio autem Ferrariensis, per conuersionem dimensionum in materiam non intelligere Diu. Thom. desitionem dimensionum, & successionem materiæ loco ipsarum; sed proprietatem ipsarum in proprietatem materiæ, in quibus manentibus, & vim substantiæ retinentibus recipitur forma sub-

stantialis; contra S. Doctorem est non solum ibi, sed etiam hic: nam in corp ar. ait: *Manentibus speciebus panis, & vini, manet corpus, & sanguis Christi*. Manente autem corpore, & sanguine Christi, quomodo potest in illis suscipi forma substantialis vermis, aut alterius rei genitæ? Et ad 3. dicit; quantitatem, quæ miraculosè accepit vim & proprietatem substantiæ in consecratione, *transire in substantiam*, rei scilicet genitæ ex ipsa; ergo ipsa habens proprietatem substantiæ non manet, nec suscipit formam substantialem rei genitæ.

Secundo probatur, alias enim res genità ex speciebus Sacramentalibus esset composita ex quantitate proprietatem materiæ habente, & forma substantiali in ipsa recepta: sed hoc est falsum; nam compositũ substantiale constaret ex aliquo accidente tanquam ex parte physica essentiali, & intrinseca, & non esset, ens per se, sed ens per accidens, vt pote compositum ex substantia, & accidente: & contra D. Thom. hic art. 6. ad 2. ergo &c. Confirmatur, nam alias si aliquis nutriretur speciebus cõsecratis partim componeretur ex quantitate, & forma substantiali, & partim ex hac, & vera materia prima. Item res omnes, quæ ex speciebus consecratis gignerẽtur, & aliæ quęcumque ex his rebus genitę vsque ad finem mundi, sola quantitate, & forma substantiali constarent, & nulla ex generationibus sequentibus omnino naturalis esset, sed hęc falsa, & absurda sunt; ergo &c. Vn-

Vnde Caiet. hic optime dicit, sententiam & viam, quam tenet D. Th. esse: *Quod per modum conuersionis seu transitionis quantitas transit in materiam: ita quod virtute primi miraculi datum est quantitati, vt sit vice materiæ durante Sacramento, & in termino Sacramenti, hoc est in primo non esse Sacramenti, sit vere materia*. Cuius sensus non est, ipsam quantitatem in eiusmodi mutationibus fieri ipsam materiam, ita vt eadem omnino res, quæ antea erat quantitas sit postea materia prima; sed datum esse quantitati, vt sit vera materia, hoc est vt conuertatur in materiam, ipsa desinente quoad omnes eius gradus per talem conuersionem, & nihil eius manente. Et eodem modo intelligendum est, quod ait D. Th. in 4. vbi supra: *Ipsi dimensioni virtute diuina dabitur natura materiæ, vt sic illud generatum sit compositum ex materia, & forma*. Sicut enim cum dicitur Ioan. 2. v. 9. *Aquam vinum factam*, & Matth. 11. v. 5. *Cæci vident*, sensus non est, aquam manente natura aquę fuisse factam vinum, & cęcos videre manente cæcitate, sed cæcitate remota, & sublata natura aquæ: ita quando D. Th. & Caiet. dicunt dimensioni dari naturam materię, aut vt sit vere materia, hoc non est intelligendum manente aliquo ipsius dimensionis, sed hac omnino desinente quo ad omnia, quæ habebat.

Quidam recentiores hic dicunt, eodem instanti quo species, ita sunt alteratę, vt non posset sub ijs naturaliter cōseruari substan-

stantia panis,& vini,desinere ibi esse corpus Christi, & Deum ibi creare materiam primam, eique vnire quatitatem panis, & vini cum qualitatibus, quę ei illo instanti inhærent, per quas iam est vltimo disposita ad susceptionem alicuius formę substantialis, quam eodem instanti producit illud agens, quod eam produxisset, si ibi prius fuisset substantia panis, & vini.

Sed hæc sententia à discipulis D. Thom, amplectenda non est, sed reijcienda. Quãuis enim probabile sit, taleque esse insinuat S. Doct. in 4. vbi supra, materiam creari à Deo; hic tamen non creari docet, sed produci per conuersionem quantitatis in ipsã, in corp. art. & ad 3. & artic. seq. in corp. & ad 2. Hic etiam dicit, *Manentibus speciebus panis, & vini, manet corpus, & sanguis Christi*. Ergo Deus non vnit eas materiæ ab ipso creatæ, alias simul cum tali materia maneret corpus, & sanguis Christi. Præterea contra D. Thom. est, quantitatem immediatè vniri materiæ. Denique, si quantitas esset in sua substantia antiqua, reuera corrumperetur ad corruptionem talis substantiæ, & non maneret eadem numero in substantia genita, alias migraret de subiecto in subiectum, & non fieret resolutio vsque ad materiam primam, quod est contra D. Thom. ergo etiam hic corrumpitur, & desinit esse, quando substantia panis, & vini corrumperetur, & conseruari non posset naturaliter, sicque Deus eam non vnit materiæ denuo creatæ ab ipso. Ample-

plectenda est ergo sententia Caiet.
Ad 1. autem factum in principio respondetur, sensum D. Thom. non esse, quem Ferrar. putat, Sed quem Caiet. hic & Capreolus in 4. d. 12. q. 1. artic. 3. tradiderunt, nempe, quantitati dari virtute primi miraculi, vt sit vice materiæ, & primum subiectum formarum subsequentium accidentalium, & dispositionum, quæ introducuntur ab agente naturali vsque ad instans corruptionis specierum, & generationis substantię, In quo quantitas conuertitur in materiam primam virtute diuina, ex cuius potentia agens naturale educit formam substantialem, vltimam dispositionem introducendo, sicque compositum substantiale ab eo generatur.
Ad 2. eodem modo respondetur, solum enim confertur accidentibus posse omnia facere & pati, quæ posset substãtia, si adesset. vsque ad instans generationis, in quo iam non manent accidentia, sed desinunt esse per conuersionem ipsorum in materiã primã. Ad confirmationem neganda est minor: productio enim materiæ per conuersionem quantitatis in ipsam, quamuis miraculosa sit, sine nouo tamen miraculo fit virtute miraculi prius facti, vt hic ait D. Thom.
Ad 3. respondetur, materiam produci à Deo, non quidem existentem sine omni forma, sed simul cum forma rei, quæ generatur ex speciebus sacramentalibus: non tamen ita, vt hæc forma producatur à so-
lo

lo Deo eadem actione, qua producitur materia, sicut producta est forma cœli ab ipso, quando creauit cœlum; sed ita vt licet simul, & in eodem instanti sit productio materiæ habentis esse à forma, & formæ dantis esse materiæ; non tamen sit eadem productio: sicut licet simul cum corpore humano producatur anima rationalis; non tamen eadem productione, cum illud producatur per generationem, hæc per creationem, sicquæ forma rei genitæ ex speciebus educi potest virtute agentis naturalis ex potentia materiæ producta à solo Deo: nam ad hoc non requiritur proprietas téporis, aut instantis in materia, vel subiecto, sed sufficit prioritas naturæ in genere causæ materialis, cum constet, quando Deus produxit Angelos, licet simul esset condens naturam, & largiens gratiam, hanc eduxisse de potentia obedientiali naturæ Angelicæ, quia non per creationem, sed per aliam productionem eam largitus est.

Circa articulum 6. & 7. nihil se offert dicendum.



AR-

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aliquis liquor possit vino consecrato commisceri.

Conclusio est affirmans.

DE hac nulla est difficultas, cum, vt ait D. Thom. in argum. *Sed contra*, ad sensum pateat, alium liquorem posse permisceri vino post cõsecrationem, sicut & ante.

Tota ergo difficultas est, an per hanc permistionem desinat esse ibi sanguis Christi? Ad quam his verbis respondet S. Doctor: *Si fiat permistio liquoris cuiuscumque, quod pertingat ad totum vinum consecratum, & fiat permistum, erit aliud numero, & non remanebit ibi sanguis Christi. Si vero fiat tam parua alicuius liquoris adiunctio, quod non possit diffundi per totum, sed vsque ad aliquam partem specierum, desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alia.*

Quidam recentiores hic dicunt, hanc sententiam D.Thom. summas pati difficultates; existimant enim S.Doctorem nomine *liquoris cuiuscumque* intelligere etiam illum, qui non solum est eiusdem speciei cum vino. quod consecratum fuit, sed etiã earundem omnino qualitatum, quale est vi-

vinum eiusdem dolij ex quo sumptum est vinum ad consecrandum. Sed hoc asserunt quidem Paludanus in 4. d.12. q.5. & Capreolus d 13. q.1. non tamen docet D. Thom. vt communiter eius discipuli recentiores cum Mag Victoria,& Cano affirmant. Solum enim loquitur de quocumque liquore, ex quo, & vino consecrato fit permistum, vt indicant illa verba, *& fiat permistum*. Quando autem liquor est eiusdem speciei, & earundem omnino qualitatum non fit permistum: nam hoc est quoddam tertium resultans ex miscibilibus contrarias qualitates habentibus, & quæ sunt ad inuicem passiua, & vnum alterat aliud, vt colligitur ex Arist. lib. 1. de generat.cap.10. & D.Thom. ibidem lect. 25. & in 2. d.17.q.3 art.1.& in hoc articulo;quod non contingit, quando liquores sunt non solum eiusdem speciei, sed etiam earumdem omnino qualitatum, qualia sunt vina quæ ex eodem dolio hauriuntur.

Vnde quando liquor appositus speciebus vini consecrati est huiusmodi, verum est quod ait Durandus in 4.d.12.q.3.num.6 *Siue illud quod apponitur speciebus vini consecrati sit maius, siue æquale. siue minus, species vini præexistentes non desinunt esse,nec sanguis Christi sub eis*. Quod probat: *Quia omnes Doctores cõmuniter dicunt, quod sanguis Christi non desinit esse sub speciebus vini consecrati, nisi per talem alterationem, seu immutationem, per quam desineret ibi esse substantia vini, si sub esset: sed constat, quod per appositionem vini omnino*

nina similis substantia vini pracedens nullo modo desineret ibi esse ; ergo per appositionem vini similis in substantia , & qualitate vino consecrato , & speciebus eius non desinit sanguis Christi esse sub speciebus prioribus vini consecrati .

Nec obstat argumentum Paludani , & Capreoli : Duo vina quantumuis sint omnino similia, secundum omnem sui partem miscentur etiam minorem minima ; ergo singula diuiduntur in minores particulas , quam sint eæ, sub quibus earum substantia possit naturaliter conseruari ; ac proinde si vnum sit consecratum , sub eius speciebus desinit esse sanguis Christi. Respondetur enim eodem argumento probari posse , quando duæ aquæ miscentur , vtramque corrumpi,& generari tertium,quod est incredibile . Vnde dico , licet illa duo vina diuidantur in partes minores minima , sub quibus non potest substantia eorum naturaliter conseruari , si separarentur à toto , bene tamen si ab illo non separarentur : nā quamuis in partibus minoribus minima separati à toto non conseruetur substantia rei , conseruatur tamen in illis in toto existentibus . Ex quo fit, si ex illis duobus vinis vnum sit consecratum , & alterum nō , quantitates eorum etiam diuisas in partes minores minima continuari,& sub partibus quantitatis vini consecrati esse sanguinem Christi, sub partibus vero quantitatis vini non consecrati esse substantiam vini : si autem vtrumque sit consecratum sub vtriusque

apponitur habet qualitates, quæ sufficienter posſent diſponere ad corruptionem ſubſtantiæ vini, ſi ibi eſset, illamque corrumpere, etiam corrumpere ſpecies conſecratas, dimenſiones ſcilicet, quæ alijs accidentibus ſubſunt: & tale videtur iudicari à D. Thom. vinum rubeum ſi apponatur ſpeciebus conſecratis vini albi, aut è contra, nulla enim alia vina qualitates magis contrarias habent, quam vinum album & rubeum.

QVÆSTIO LXXVIII.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum hæc ſit forma huius Sacramenti: Hoc eſt corpus meum: & Hic eſt calix ſanguinis mei.

Concluſio eſt affirmans.

que quantitatis partibus contineri sanguinem Christi; idem enim ferendum est iudicium de vinis consecratis, ac si non esset consecrata. Vnde si duo vina consecrata non habentia contrarias qualitates, sed omnino similes misceantur, non fit vera mistio, sed continuatio vtriusque vini: nam vt vbi supradicunt Arist. & D.Thom. *Mistio est miscibilium alteratorum vnio*. Idem dicendum esse existimat Durandus vbi supra num. 7. si liquor appositus sit eiusdem speciei quo ad substantiam, non autem quo ad aliquas qualitates, sicut si vino rubeo consecrato apponatur vinum album non consecratum, non desinere scilicet ibi esse sanguinem Christi. Quod verum esse censeo, quamuis exemplum displiceat: nam est contra D.Thom. hic asserentem, si vnũ vinum esset album, & aliud rubeum, ex illis commixtis resultare tertium numero distinctum à miscibilibus, in quo non remanet sanguis Christi. Asserendum est ergo, quando vinum, quod apponitur speciebus consecratis solum habet qualitates, quæ non possent corrumpere [illegible] vini, si ibi esset, sed [illegible]
qualitates, & [illegible]
etiam c[illegible]
que [illegible]
vt [illegible]

apponitur habet qualitates, quæ sufficienter possent disponere ad corruptionem substantiæ vini, si ibi esset, illamque corrumpere, etiam corrumpere species consecratas, dimensiones scilicet, quæ alijs accidentibus subsunt: & tale videtur iudicari à D. Thom. vinum rubeum si apponatur speciebus consecratis vini albi, aut è contra, nulla enim alia vina qualitates magis contrarias habent, quam vinum album & rubeum.

QVÆSTIO LXXVIII.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum hæc sit forma huius Sacramenti: Hoc est corpus meum: ...c est calix san...inis mei.

...sio est...

stantialis; contra S. Doctorem est non solum ibi, sed etiam hic: nam in corp ar. ait: *Manentibus speciebus panis, & vini, manet corpus, & sanguis Christi*. Manente autem corpore, & sanguine Christi, quomodo potest in illis suscipi forma substantialis vermis, aut alterius rei genitæ? Et ad 3. dicit; quantitatem, quæ miraculosè accepit vim & proprietatem substantiæ in consecratione, *transire in substantiam*, rei scilicet genitæ ex ipsa; ergo ipsa habens proprietatem substantiæ non manet, nec suscipit formam substantialem rei genitæ.

Secundo probatur, alias enim res genità ex speciebus Sacramentalibus esset composita ex quantitate proprietatem materiæ habente, & forma substantiali in ipsa recepta: sed hoc est falsum; nam compositū substantiale constaret ex aliquo accidente tanquam ex parte physica essentiali, & intrinseca, & non esset, ens per se, sed ens per accidens, vt pote compositum ex substantia, & accidente: & contra D. Thom. hic art. 6. ad 2. ergo &c. Confirmatur, nam alias si aliquis nutriretur speciebus cōsecratis partim componeretur ex quantitate, & forma substantiali, & partim ex hac, & vera materia prima. Item res omnes, quæ ex speciebus consecratis gignerētur, & aliæ quęcumque ex his rebus genitę vsque ad finem mundi, sola quantitate, & forma substantiali constarent, & nulla ex generationibus sequentibus omnino naturalis esset, sed hęc falsa, & absurda sunt; ergo &c. Vn-

Vnde Caiet. hic optime dicit, sententiam & viam, quam tenet D. Th. esse: *Quod per modum conuersionis seu transitionis quantitas transit in materiam: ita quod virtute primi miraculi datum est quantitati, vt sit vice materiæ durante Sacramento, & in termino Sacramenti, hoc est in primo non esse Sacramenti, sit vere materia*. Cuius sensus non est. ipsam quantitatem in eiusmodi mutationibus fieri: ipsam materiam, ita vt eadem omnino res, quæ antea erat quantitas sit postea materia prima; sed datum esse quantitati, vt sit vera materia, hoc est vt conuertatur in materiam, ipsa desinente quoad omnes eius gradus per talem conuersionem, & nihil eius manente. Et eodem modo intelligendum est, quod ait D. Th. in 4. vbi supra: *Ipsi dimensioni virtute diuina dabitur natura materiæ, vt sic illud generatum sit compositum ex materia, & forma*. Sicut enim cum dicitur Ioan. 2. v. 9. *Aquam vinum factam*, & Matth. 11. v. 5. *Cæci vident*, sensus non est, aquam manente natura aquę fuisse factam vinum, & cęcos videre manente cæcitate, sed cæcitate remota, & sublata natura aquæ: ita quando D. Th. & Caiet. dicunt dimensioni dari naturam materię, aut vt sit vere materia, hoc non est intelligendum manente aliquo ipsius dimensionis, sed hac omnino desinente quo ad omnia, quæ habebat.

Quidam recentiores hic dicunt, eodem instanti quo species, ita sunt alteratę, vt non posset sub ijs naturaliter cōseruari substan-

ſtantia panis,& vini,deſinere ibi eſſe corpus Chriſti, & Deum ibi creare materiam primam, eique vnire quatitatem panis, & vini cum qualitatibus, quę ei illo inſtanti inhærent, per quas iam eſt vltimo diſpoſita ad ſuſceptionem alicuius formę ſubſtantialis, quam eodem inſtanti producit illud agens, quod eam produxiſſet, ſi ibi prius fuiſset ſubſtantia panis, & vini.

Sed hæc ſententia à diſcipulis D. Thom, ampleċtenda non eſt, ſed reijcienda. Quãuis enim probabile ſit, taleque eſſe inſinuat S. Doċt.in 4. vbi ſupra, materiam creari à Deo; hic tamen non creari docet, ſed produci per conuerſionem quantitatis in ipsã, in corp.art.& ad 3. & artic. ſeq. in corp. & ad 2. Hic etiam dicit, *Manentibus ſpeciebus panis, & vini, manet corpus, & ſanguis Chriſti*. Ergo Deus non vnit eas materiæ ab ipſo creatæ, alias ſimul cum tali materia maneret corpus, & ſanguis Chriſti. Præterea contra D. Thom. eſt, quantitatem immediatè vniri materiæ. Denique, ſi quantitas eſſet in ſua ſubſtantia antiqua, reuera corrumperetur ad corruptionem talis ſubſtantiæ, & non maneret eadem numero in ſubſtantia genita, alias migraret de ſubieċto in ſubieċtum, & non fieret reſolutio vſque ad materiam primam, quod eſt contra D. Thom. ergo etiam hic corrumpitur, & deſinit eſſe, quando ſubſtantia panis, & vini corrumperetur, & conſeruari non poſſet naturaliter, ſicque Deus eam non vnit materiæ denuo creatæ ab ipſo. Am-

ple-

plectenda est ergo sententia Caiet.

Ad 1. autem factum in principio respondetur, sensum D. Thom. non esse, quem Ferrar. putat, sed quem Caiet. hic & Capreolus in 4. d. 12. q. 1. artic. 3 tradiderunt, nempe, quantitati dari virtute primi miraculi, vt sit vice materiæ, & primum subiectum formarum subsequentium accidentalium, & dispositionum, quæ introducuntur ab agente naturali vsque ad instans corruptionis specierum, & generationis substantiæ, in quo quantitas conuertitur in materiam primam virtute diuina, ex cuius potentia agens naturale educit formam substantialem, vltimam dispositionem introducendo, sicque compositum substantiale ab eo generatur.


Ad 2. eodem modo respondetur, solum enim confertur accidentibus posse omnia facere & pati, quæ posset substātia, si adesset. vsque ad instans generationis, in quo iam non manent accidentia, sed desinunt esse per conuersionem ipsorum in materiā primā. Ad confirmationem neganda est minor: productio enim materiæ per conuersionem quantitatis in ipsam, quamuis miraculosa sit, sine nouo tamen miraculo fit virtute miraculi prius facti, vt hic ait D. Thom.

Ad 3. respondetur, materiam produci à Deo, non quidem existentem sine omni forma, sed simul cum forma rei, quæ generatur ex speciebus sacramentalibus: non tamen ita, vt hæc forma producatur à so-

lo

lo Deo eadem actione, qua producitur materia, sicut producta est forma cœli ab ipso, quando creauit cœlum; sed ita vt licet simul, & in eodem instanti sit productio materiæ habentis esse à forma, & formæ dantis esse materiæ; non tamen sit eadem productio: sicut licet simul cum corpore humano producatur anima rationalis; non tamen eadem productione, cum illud producatur per generationem, hæc per creationem, sicque forma rei genitæ ex speciebus educi potest virtute agentis naturalis ex potentia materiæ producta à solo Deo: nam ad hoc non requiritur proprietas téporis, aut instantis in materia, vel subiecto, sed sufficit prioritas naturæ in genere causæ materialis, cum constet, quando Deus produxit Angelos, licet simul esset condens naturam, & largiens gratiam, hanc eduxisse de potentia obedientiali naturæ Angelicæ, quia non per creationem, sed per aliam productionem eam largitus est.

Circa articulum 6. & 7. nihil se offert dicendum.



AR

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aliquis liquor possit vino consecrato commisceri.

Conclusio est affirmans.

DE hac nulla est difficultas, cum, vt ait D. Thom. in argum. *Sed contra*, ad sensum pateat, alium liquorem posse permisceri vino post cõsecrationem, sicut & ante.

Tota ergo difficultas est, an per hanc permistionem desinat esse ibi sanguis Christi? Ad quam his verbis respondet S. Doctor: *Si fiat permistio liquoris cuiuscumque, quod pertingat ad totum vinum consecratum, & fiat permistum, erit aliud numero, & non remanebit ibi sanguis Christi. Si vero fiat tam parua alicuius liquoris adiunctio, quod non possit diffundi per totum, sed vsque ad aliquam partem specierum, desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alia.*

Quidam recentiores hic dicunt, hanc sententiam D.Thom. summas pati difficultates; existimant enim S.Doctorem nomine *liquoris cuiuscumque* intelligere etiam illum, qui non solum est eiusdem speciei cum vino. quod consecratum fuit, sed etiã earundem omnino qualitatum, quale est vi-

vinum eiusdem dolij ex quo sumptum est vinum ad consecrandum. Sed hoc asserunt quidem Paludanus in 4. d.12. q.5. & Capreolus d 13. q.1. non tamen docet D. Thom. vt communiter eius discipuli recentiores cum Mag Victoria,& Cano affirmant. Solum enim loquitur de quocumque liquore, ex quo, & vino consecrato fit permistum, vt indicant illa verba, *& fiat permistum*. Quando autem liquor est eiusdem speciei, & earundem omnino qualitatum non fit permistum: nam hoc est quoddam tertium resultans ex miscibilibus contrarias qualitates habentibus, & quæ sunt ad inuicem passiua, & vnum alterat aliud, vt colligitur ex Arist. lib. 1. de generat.cap.10. & D.Thom. ibidem lect. 25. & in 2. d.17.q.3 art.1.& in hoc articulo;quod non contingit, quando liquores sunt non solum eiusdem speciei, sed etiam earumdem omnino qualitatum, qualia sunt vina quæ ex eodem dolio hauriuntur.

Vnde quando liquor appositus speciebus vini consecrati est huiusmodi, verum est quod ait Durandus in 4.d.12.q.3.num.6 *Siue illud quod apponitur speciebus vini consecrati sit maius, siue æquale. siue minus, species vini præexistentes non desinunt esse, nec sanguis Christi sub eis*. Quod probat: *Quia omnes Doctores cōmuniter dicunt, quod sanguis Christi non desinit esse sub speciebus vini consecrati, nisi per talem alterationem, seu immutationem, per quam desineret ibi esse substantia vini, si sub esset: sed constat, quod per appositionem vini omnino*

nina similis substantia vini praecedens nullo modo desineret ibi esse ; ergo per appositionem vini similis in substantia , & qualitate vino consecrato , & speciebus eius non desinit sanguis Christi esse sub speciebus prioribus vini consecrati .

Nec obstat argumentum Paludani, & Capreoli: Duo vina quantumuis sint omnino similia, secundum omnem sui partem miscentur etiam minorem minima; ergo singula diuiduntur in minores particulas, quam sint eae, sub quibus earum substantia possit naturaliter conseruari, ac proinde si vnum sit consecratum, sub eius speciebus desinit esse sanguis Christi. Respondetur enim eodem argumento probari posse, quando duae aquae miscentur, vtramque corrumpi, & generari tertium, quod est incredibile. Vnde dico, licet illa duo vina diuidantur in partes minores minima, sub quibus non potest substantia eorum naturaliter conseruari, si separarentur à toto, bene tamen si ab illo non separarentur: nā quamuis in partibus minoribus minima separati à toto non conseruetur substantia rei, conseruatur tamen in illis in toto existentibus. Ex quo fit, si ex illis duobus vinis vnum sit consecratum, & alterum nō, quantitates eorum etiam diuisas in partes minores minima continuari, & sub partibus quantitatis vini consecrati esse sanguinem Christi, sub partibus vero quantitatis vini non consecrati esse substantiam vini: si autem vtrumque sit consecratum sub vtriusque

apponitur habet qualitates, quæ sufficienter possent disponere ad corruptionem substantiæ vini, si ibi esset, illamque corrumpere, etiam corrumpere species consecratas, dimensiones scilicet, quæ alijs accidentibus subsunt: & tale videtur iudicari à D. Thom. vinum rubeum si apponatur speciebus consecratis vini albi, aut è contra, nulla enim alia vina qualitates magis contrarias habent, quam vinum album & rubeum.

QVÆSTIO LXXVIII.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum hæc sit forma huius Sacramenti: Hoc est corpus meum: & Hic est calix sanguinis mei.

Conclusio est affirmans.

Du-

Dubium. An ijs solis his verbis consistat forma huius Sacramenti illisque solis prolatis conficiatur Sacramentum.

Est de hac re inter Catholicos prima sententia Scoti in 4. d 8. q 2. vt conficietur Sacramentum, necessario esse præmittenda verba illa Canonis Missę, *Qui pridie quam pateretur, &c.* Fundamentum eius est: quia nisi, illa præmittantur, non significat Sacerdos, se loqui in persona Christi, ac per consequens cum dicit, *Hoc est corpus meum*, non significat ibi esse corpus Christi, sed corpus suum; ergo falsam profert formam, ac proinde non conficit sacramentum.

Secunda sententia est Paludani in 4. d. 8. q 3. & Capreoli ibidem q. 1. ar. 3. formam calicis consistere, non solum in his verbis, *Hic est calix sanguis mei*, sed etiam in alijs, quæ sequuntur, scilicet, *Noui, & æterni testamenti, &c.* vsque *In remissionem peccatorum;* sicque nisi omnia proferantur, non confici Sacramentum.

Probatur 1. ex D Thom. hic enim art. 3. dicit. *Omnia prædicta verba sunt de substantia formæ*, supra verò q. 60. ar. 8 ait: *Si dimittatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, non perficitur Sacramentum.* Sentit ergo nisi omnia prædicta verba proferantur, non confici Sacramentum, om-

nia-

niaque ad essentiam formę pertinere. Confirmatur, nam idem S.Doctor in 4. dist. 8. q.2.ar.2.quæstiunc.2.inquit: *Totum quod sequitur, est de forma*. Et ad 3. *Illa, quæ sequuntur, sunt essentialia sanguini, prout in hoc Sacramento consecratur*. Ergò, & sunt essentialia formę, sicq. nisi omnia proferantur, non conficitur Sacramentum.

Secundò probatur ratione D.Thom. hic ar.3. *Sacerdos eodem ritu, & modo, scilicet tenendo calicem in manibus omnia hæc verba profert. Lucæ etiam 22. interponuntur verba sequentia verbis præmissis, cum dicitur, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*. Ergo omnia sunt essentialia, & in omnibus consistit forma huius Sacramenti.

Tertiò. Nam in Conc.Florent dicitur, formam huius Sacramenti esse verba Christi, quibus hoc confecit Sacramentum. Sed in Cap. cum *Marthæ*, De celeb. Miss. dicitur omnia illa esse verba Christi; ergo omnia pertinent ad formam, & sunt de essentia, & necessitate Sacramenti.

Dicendum tamen est 1. Non esse necessario præmittenda verba illa, *Qui pridie quã pateretur &c.* vt Sacramentum hoc conficiatur. Oppositum huius ante Scotum dixerunt quidam, quos hic ad 4. refert Diu. Thom. illosque sic impugnat: *Sed hoc patet esse falsum, tum ex verbis Amb. supra inductis, tum etiam, quia Canon Missæ non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diuersa sunt à diuersis apposita*. S.Greg.lib.7.epist. 63.scribit, Apostolos ad solam Dominicam

ora-

orationem Eucharistiam consecrare solitos. *Vnde dicendum est* (subdit D. Thom.) *quod si Sacerdos sola verba prædicta proferret cũ intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum: quia intentio faceret, vt hęc verba intelligerentur, quasi ex persona Christi prolata, etiam si verbis præcedentibus hoc non recitaretur.*

Probatur deinde conclusio cum Caietan. hic: nam vt dicitur in Conc. Florent. *Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum*: sed vt in persona Christi loquatur, non requiritur, vt pręmittat verba illa formam antecedentia, sed sufficit intentio gerendi personam Christi, quam habet eo ipso, ac intendit conficere Sacramentum; ergo, vt hoc Sacramentum conficiat, non debet necessario præmittere verba illa. Minor asseritur à D. Th. & probatur, nam etiam si Sacerdos præmittat illa verba, si non habet intentionem gerendi personam Christi, & conficiendi Sacramentum, quando profert formam, non loquitur in persona Christi, sed solum refert, ac recitat, quod Christus dixit; & vt in persona Christi loquatur, non requiritur vt referat, Christum verba formæ dixisse, sicut vt Angelus qui dixit Moysi. Exod. 3. v. 6. *Ego sum Deus patris tui*, loqueretur in persona Dei, non opus fuit, vt referret Moysi, Deum verba illa dixisse; ergo sufficit intentio gerendi personam Christi, & conficiendi Sacramentum, cum hæc intentio sit volitio loquendi in persona Christi, &

Sa-

Sacerdos, qui sic loqui volens loquitur, in persona Christi loquatur.

Dicendum est 2. In solis his verbis *Hoc est corpus meum, & Hic est calix sanguinis mei,* consistere essentialiter formam huius Sacramenti, illisque solis prolatis confici Sacramentum. Probatur 1. ex *Diu.* Thom. hic, cuius conclusio est, hanc esse formam huius Sacramenti, & ad 4. dicit: *Si Sacerdos sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc sacramentum.* Vbi per verba prędicta ea intelligit, quę in titulo articuli posuerat, quæ, & à nobis in conclusione posita sunt. Et art. 3. in cuius titulo verbis consecrationis vini hic ab ipso, & à nobis commemoratis addit, & cætera, dicit: *Omnia prædicta verba sunt de substantia formæ; sed per prima verba cum dicitur, Hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa cõuersio vini in sanguinem eo modo, quo dictum est in forma consecrationis panis.* At forma huius Sacramenti in solis illis verbis consistit, illisque solis prolatis conficitur sacramentum, per quæ significatur, ac proinde efficitur (nam efficiunt, quod significant) conuersio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi; ergo sicut propter hoc dixerat S. Doct. ar. 2. formã consecrationis panis essentialiter solum cõsistere in illis verbis, *Hoc est corpus meum:* ita & ar 3. sentit, formam consecrationis vini essentialiter solum consistere in illis verbis, *Hic est calix sanguis mei,* sicque in solis prædictis verbis formã totius Sacramenti.

Secundò. Quia vt testantur Durandus in 4.dist.8.q 2.num.16. & Caiet.hic,qui de hoc certificatos se fuisse asserunt, in forma Græcorum, quæ habetur in Liturgia S.Basilij, tam in consecratione panis, quam vini deest particula *Enim*, & in consecratione vini desunt particula *Æterni*, *& Mysterium fidei*, in ea etiam quæ habetur in Liturgijs S.Iacobi, S.Marci, Æthiopum, referunt multi, omitti alia, quæ in nostra forma continentur, solumque constanter retineri prædicta verba à nobis in conclusione relata; ergo sola illa sunt essentialia, & in quibus forma huius sacramenti essentialiter consistit, & quibus solis prolatis conficitur sacramentum, alias Græci non conficerent verum sacramentum, nec legitima, & integra forma vterentur, quod ex Concilio Florentino falsum esse constat.

Aduertendum est tamen, quod ait Diu. Thom. hic ar. 3. ad 1. Cum dicitur *Hic est calix sanguis mei*, esse loquutionem figuratiuam, idemque esse, ac si diceretur, *Hic est sanguis meus*: & quocumque modo proferatur sufficere ad formam huius sacramenti; in forma enim Græcorum hoc secundo modo dicitur.

Ad fundamentum autem sententiæ Scoti respondetur negando antecedens: nam vt patet ex dictis con 1. vt sacerdos loquatur in persona Christi, sufficit intentio conficiendi hoc sacramentum.

Ad primum secundæ sententiæ respondetur cum Caiet.hic: *Quod verba aliqua*

esse

esse de substantia formæ contingit dupliciter: primo quod sine illis non sit forma: alio modo, quod sine illis non est forma perfecta. Supra ergo q.6.ar. 8. esse de substantia formæ accepit D.Th.primo modo; hic verò artic.3. secundò modo, quod colligit Caiet. ex solutione eiusdem articuli, & ex ratione illata in corpore. Vide illum. Colligitur etiam apertè ex his, quæ immediatè subiungit post verba citata in argumento. *Sed per prima verba &c.* vt patet ex dictis à nobis conclus2. Vnde sicut brachia, & pedes, licet sint de substantia corporis humani, quia ad eius integritatem substantialem pertinent; non tamen sunt de eius essentia, nam sine illis esset corpus humanum, quamuis non integrum, & perfectum: ita licet verba sequentia, scilicet, *Noui, & æterni, &c.* sint de substantia formæ consecrationis vini; quia ad eius integritatem, quasi substātialem pertinent, & sine illis non est talis forma perfecta: non tamen sunt de eius essentia, ita vt sine illis non sit forma. Ad confirmationem dico, ideo D.Th. asseruisse totum, quod sequitur esse de forma, quia totum pertinet ad substantiam, & integritatem formę, & non solum ad perfectionem accidentalem, qua ratione verba illa, quæ præcedunt, *Accipite, & comedite* dixit Eusebius pertinere ad formam huius Sacramenti, vt illam explicat D.Thom. hic ad 2. Quod verò loco citato in argumento subdit S.Doctor illa, quæ sequuntur esse essentialia sanguini, prout in hoc Sacramen-

to consecratur, non conuincit esse essentialia formæ: nam sicut cùm dicitur homo est animal constans corpore, & anima sentiente, licet quod dicitur constans corpore, & anima sentiente sit de essentia animalis, non tamen est de essentia enuntiationis, sed solum pertinet ad eius maiorem explicationem, & quasi substantiam: ita licet, quę sequuntur sint essentialia sanguini, prout in hoc Sacramento consecratur: non tamen sunt de essentia formæ, sed ad eius maiorem explicationem pertinent, & quasi substantiam; vnde ibi subdit S. Doct. *Et ideò oportet, quod sint de substantia formæ.* Eodem scilicet modo, quo in corp. illius quæstiunculæ dixerat: *Conditiones appositæ ad subiectum, vel prædicatum sunt de integritate locutionis alicuius.*


Ad 2. respondetur negando consequentiam: sufficit enim, vt sint de substantia, & integritate formæ modo explicato.

Ad 3. respondetur, licet omnia illa sint verba, quibus vsus est Christus: non tamen omnia sunt, quibus hoc Sacramentũ confecit, sed tantum priora, sicque in solis prioribus consistit essentialiter forma. Aduertunt tamen nonnulli, licet statim, ac prolata sunt priora verba, sit iam consecratio, & Sacramentum; Sacerdotem tamen non debere alligare suam intentionem, vt solis illis verbis fiat consecratio, sed omnia verba proferre debere cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quia cum op-

po-

posita sententia non sit damnata, nec omnino improbabilis censeatur à Theologis, intentionem, quæ iuxta omnem sententiam, & extra controuersiam sufficit, haberre oportet. Necessarium est etiam, Sacerdotem Ecclesiæ Latinæ omnia verba proferre, necessitate præcepti, non quidem diuini, nam Græcos etiam obligaret, sed Ecclesiastici. Vnde si illa omitteret, mortaliter peccaret. Et idem est si omitteret cõiunctionem, *Enim*: nam vt hic art. 2. ad 5. ait D. Thom. *Hæc coniunctio, Enim, apponitur in hac forma secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ à B. Petro Apostolo deriuatam.* Quã non seruare graue peccatum est: & quamuis nonnulli dicant solum esse veniale ob leuitatem materiæ; communis tamen Theologorum sententia affirmat esse peccatum mortale, sicut, & de omissione mistionis aquæ cum vino diximus supra q. 74 ar 6.

Circa articulum secundum, & tertium, præter hæc dicta, & circa articulum quartum præter dicta supra q. 62. ar. 4. nihil se offert dicendum.



ARTICVLVS V.

Vtrum prædictæ locutiones sint veræ.

Conclusio est affirmans.

VEras esse has locutiones *Hoc est corpus meum*, & *Hic est sanguis meus*, certum est secundum fidem: nam vt hic in argum. *Sed contra*, D.Thom. *Hæc verba proferuntur ex persona Christi, qui de se dicit Ioan. 14. Ego sum veritas*. Quomodo autem verificentur, hic labor est, & varietas opinionum, quas referunt D.Thom. hic, & Mag. Soto in 4. d. 21. q. 1. ar. 5. Quibus omissis, vt sententiam D.Th. explicemus.

Aduertendum est 1. Sacerdotem licet recitatiuè proferat hæc verba, quasi à Christo dicta, vt patet ex præcedentibus, *Fregit, & dixit*; simul tamen ea proferre significatiuè, hoc est significando, affirmando, & enuntiando, quod facit: non quidem ex sua propria persona, nam sensus esset, hoc esse corpus ipsius Sacerdotis; sed ex persona Christi, propter cuius infinitam virtutem, hæc verba vim consecratiuam sunt consecuta, à quocunque Sacerdote dicantur, ac si Christus ea præsentialiter proferret. Quare nihil obstat quominus Sacerdos referat formam consecrationis tanquam à Christo dictam, & simul ex institutione

ipsius

ipsius Christi eius repræsentans personam applicet verba ad ea, quæ sibi præsens est, materiam enuntiando *Hoc est corpus meum.* Sic autem proferens verba vere loquitur: sicut, & Angelus repræsentans Dei personam vere dixit Moysi Exod. 3. v. 6. *Ego sum Deus patris tui, &c.*

Secundo aduertendum est, pronomen *Hoc*, vel *Hic*, in forma consecrationis non demonstrare accidentia ipsa, seu species sacramentales, nam esset falsa locutio, cũ cõstet accidentia, & species non esse corpus Christi: nec substantiã panis, nam etiam locutio esset falsa, cũ substantia panis non sit corpus Christi, & quãdo hoc sub speciebus est, illa iam sub eis non contineatur: nec denique corpus Christi, nam sensus esset corpus meum est corpus meum, sicque forma nihil faceret, quia hoc fuit etiam ante prolationem verborum. Demonstrat ergo contentum sub speciebus: vnde, vt ait D. Thom. *Non faciunt hæc verba, quod corpus Christi sit corpus Christi: nec quod panis sit corpus Christi, sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi.* Contentum autem sub speciebus idem esse ac substantiam in communi sine forma determinata, seu absque determinatione propriæ naturæ contentam sub accidentibus, hancque significare, ac demonstrare pronomen *Hoc*, constat ex S. Doct. in fine corp. art. & ad 1. & 2. Cuius oppositum non asserit Caietan. hic dicens: *Mihi videtur quod demonstret indiuiduum substan-*


tia, id est hanc substantiam. Nam per indiuiduũ substantiæ nõ intelligit indiuiduũ certum, & determinatum, sicque non asserit, eandem omnino substantiam, quæ est panis, esse postea corpus Christi, vt ei imponit Mag. Soto, sed indiuiduum vagum. Pro indiuiduo vero vago supponere, illudque significare, patet: nam non supponit pro substantia, quæ est genus supremum, sed pro substantia singulari, non quidem determinate, sed vage sumpta, quæ superior est ad substantiam panis, & substantiã corporis Christi, quæ sunt singularia determinata. Sic autem sumpto pronomine *Hoc*, veras esse locutiones supradictas constat: nam sensus huius *Hoc est corpus meum*, est: contentum vel substantia contenta sub his speciebus est corpus meũ: & huius *Hic est sanguis meus*, contentum vel substãtia contenta sub his speciebus est sanguis meus, quibus quid verius?

Tertiò aduertendum est, locutiones prædictas esse practicas, atque adeo ad veritatem illarum non requiri, vt præsupponatur res significata, sed vt faciant eam. Cum autem eam faciant in vltimo instanti prolationis verborum, pro tali instanti terminatiuo verificantur, ad illudque instans veritas illarum refertur. Vnde licet dum proferuntur, adhuc non sit res significata per illas, veræ tamen sunt in toto rigore sermonis, quia earum significatum efficitur in instanti terminatiuo illarum, illudque non significant esse, dum proferuntur, sed

cum

cum completæ fuerint in vltimo instanti prolationis verborum. In quo instanti, vt ait D. Thom. hic ad 3. significatio earũ præintelligitur rei significatæ ordine naturæ, sicut causa naturaliter est prior effectu. Quę significatio adhuc in illo priori naturę vera est, & propositiones, seu locutiones ipsę, quatenus veræ, sunt causę rei significatæ, vt docet M. Soto vbi sup. Nec obstat, quod ait Arist. 1. Perihermenias, ab eo, quod res est, vel non est, propositionem esse veram vel falsam. Nam eodem temporis instanti incipit esse sub speciebus corpus Christi, & propositio esse vera; nec datur instans, in quo vnum sit sine alio: prioritas autem naturæ nihil dicit nisi causam, scilicet quia hoc est, illud est. Et quamuis in genere causæ efficientis prius natura propositio sit vera, quam conuersio fiat: in genere tamẽ causæ obiectiuæ prius natura est corpus illic existere, quam propositionem esse veram.

Circa art. 6. nihil se offert dicendum.



QVÆSTIO LXXIX.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum per hoc Sacramentum conferatur gratia.

Conclusio est affirmans.

Dubium. Quam gratiam conferat hoc Sacramentum.

HÆretici nostri temporis Lutherus, Kemnitius, & Caluinus, asserunt præcipuum, & primarium effectũ huius Sacramenti non esse augmentum gratiæ, aut iustificationis, sed gratiam reconciliationis, & remissionis peccatorum mortalium, etiam quorum homo conscientiam habet: immo addunt sine peccatis mortalibus nullum debere accedere ad communicandum, & nisi adsint peccata mortalia frustra sumi Eucharistiam,

Probant: Tum quia Christus dixit, *Non veni vocare iustos sed peccatores.* Tum etiam quia Eucharistia vocatur Lucæ 22. Testamentum nouum, in quo includitur pactũ

de

de remissione peccatorum, vt patet Ierem. 31. vnde in consecratione calicis dicitur: *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Tum deinde, quia in omnibus liturgiis habeatur praeces, vt Deus faciat Sacramentum nobis esse in remissionem peccatorum. Tum denique, nam si ab omni peccato liberum esse hominem oportet, quis ad Eucharistiam accedere audebit, cum nullus certus sit se esse sine peccato mortali.

Dicendum tamen est 1. praecipuum, & primarium effectum huius Sacramenti non esse gratiam reconciliationis, & remissionis peccatorum. Diffinit hoc Conc. Trident. sess. 13. canon. 5. contra praedictos haereticos his verbis: *Si quis dixerit, vel praecipuum fructum sanctissimae Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire; anathema sit.*

Secundò probatur cum Diu. Thom. hic ex modo, quo traditur hoc Sacramentum nempe per modum cibi, & potus, iuxta illud Ioan. 6. v. 55. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Sed effectus proprius cibi, & potus non est suscitare mortuos, nec illum sumere competit mortuis; ergo effectus praecipuus, & primarius huius Sacramenti non est remissio peccatorum, per quam à morte spirituali animae suscitatur homo, nec illud sumere competit mortuis in peccatis. Si dicas, hoc argumento probari hoc Sacramentum in nullo casu etiam per accidens causare re-

bebat
hab:b
Dic
per co
produc
clusio
tiquor
produ
Christi
murati
de sanc
9. parti
nis vera
corpus,
tur. N
dicimus,
nec qua
ta essent
essentiam
4. dist.
pus Chri
Tunc n
concept
termin
corpus
nouo f
bertus
stantia
meritem
de Chr
tunc,
Scolal
docen
Sec

quando
cibus co
quae non p
vini sibi
quae traten
etiam co
quae sub
vt ait D
Species
cumque
a ...
essenti

quem in anima operatur di-
est adunatio hominis ad Chri-
r gratiam homo Christo incor-
oris eius vnitur , consequens
Sacramentum sumentibus di-
tur, omnemque effectum, quem
& potus, quo ad vitam agunt
tando , augendo , reparando ,
cramentum hoc quo ad vitam
lem.

t 3. Hoc Sacramentum
se , causare etiam quandã
em , nempe excitationem
ctualem refectionem cum
et hoc D. Th. hic ad 2. vbi
amentum, quantum est ex sui
m habitus gratiæ , & virtutis
iam excitatur in actum secun-
nth. 5. charitas Christi vrget
quod ex virtute huius Sacra-
itualiter reficitur, per hoc quod
er delectatur , & quodammo-
lcedine bonitatis diuinæ. Vbi
illud , *Quantum est ex sui vir-*
incapacitate subiecti , qualis
s ob defectum vsus rationis ,
dispositione , qualis est in eis,
tractione,& absque attentione,
actuali ad hoc Sacramentum
ie effectus spiritualis delecta-
ditur;
o postea remoto impedimento
s conferatur, quidam affirmant,
, Affirmans tamen sententia

com-

Secundò. Quia vt testantur Durandus in 4.dist.8.q 2.num.16. & Caiet.hic,qui de hoc certificatos se fuisse asserunt, in forma Græcorum, quæ habetur in Liturgia S.Basilij, tam in consecratione panis, quam vini deest particula *Enim*, & in consecratione vini desunt particula *Æterni*, *& Mysterium fidei*, in ea etiam quæ habetur in Liturgijs S.Iacobi, S.Marci, Æthiopum, referunt multi, omitti alia, quæ in nostra forma continentur, solumque constanter retineri prædicta verba à nobis in conclusione relata; ergo sola illa sunt essentialia, & in quibus forma huius sacramenti essentialiter consistit, & quibus solis prolatis conficitur sacramentum, alias Græci non conficerent verum sacramentum, nec legitima, & integra forma vterentur, quod ex Concilio Florentino falsum esse constat.

Aduertendum est tamen, quod ait Diu. Thom. hic ar. 3. ad 1. Cum dicitur *Hic est calix sanguis mei*, esse loquutionem figuratiuam, idemque esse, ac si diceretur, *Hic est sanguis meus*: & quocumque modo proferatur sufficere ad formam huius sacramenti; in forma enim Græcorum hoc secundo modo dicitur.

Ad fundamentum autem sententiæ Scoti respondetur negando antecedens: nam vt patet ex dictis con 1. vt sacerdos loquatur in persona Christi, sufficit intentio conficiendi hoc sacramentum.

Ad primum secundæ sententiæ respondetur cum Caiet.hic: *Quod verba aliqua*

esse

esse de substantia formæ contingit dupliciter: primo quod sine illis non sit forma: alio modo, quod sine illis non est forma perfecta. Supra ergo q.6.ar. 8. esse de substantia formæ accepit D.Th.primo modo; hic verò artic.3. secundò modo, quod colligit Caiet. ex solutione eiusdem articuli, & ex ratione illata in corpore. Vide illum. Colligitur etiam apertè ex his, quæ immediatè subiungit post verba citata in argumento, *Sed per prima verba &c.* vt patet ex dictis à nobis cõclusæ. Vnde sicut brachia, & pedes, licet sint de substantia corporis humani, quia ad eius integritatem substantialem pertinent; non tamen sunt de eius essentia, nam sine illis esset corpus humanum, quamuis non integrum, & perfectum: ita licet verba sequentia, scilicet, *Noui, & æterni, &c.* sint de substantia formæ consecrationis vini; quia ad eius integritatem, quasi substãtialem pertinent, & sine illis non est talis forma perfecta: non tamen sunt de eius essentia, ita vt sine illis non sit forma. Ad confirmationem dico, ideo D.Th. asseruisse totum, quod sequitur esse de forma, quia totum pertinet ad substantiam, & integritatem formę, & non solum ad perfectionem accidentalem, qua ratione verba illa, quæ præcedunt, *Accipite, & comedite* dixit Eusebius pertinere a d formam huius Sacramenti, vt illam explicat D.Thom. hic ad 2. Quod verò loco citato in argumento subdit S.Doctor illa, quæ sequuntur esse essentialia sanguini, prout in hoc Sacramen-


to consecratur, non conuincit esse essentialia formæ: nam sicut cum dicitur homo est animal constans corpore, & anima sentiente, licet quod dicitur constans corpore, & anima sentiente sit de essentia animalis, non tamen est de essentia enuntiationis, sed solum pertinet ad eius maiorem explicationem, & quasi substantiam: ita licet, quę sequuntur sint essentialia sanguini, prout in hoc Sacramento consecratur; non tamen sunt de essentia formæ, sed ad eius maiorem explicationem pertinent, & quasi substantiam; vnde ibi subdit S. Doct. *Et ideò oportet, quod sint de substantia formæ.* Eodem scilicet modo, quo in corp. illius quæstiunculæ dixerat: *Conditiones appositæ ad subiectum, vel prædicatum sunt de integritate locutionis alicuius.*

Ad 2. respondetur negando consequentiam: sufficit enim, vt sint de substantia, & integritate formæ modo explicato.

Ad 3. respondetur, licet omnia illa sint verba, quibus vsus est Christus: non tamen omnia sunt, quibus hoc Sacramentũ confecit, sed tantum priora, sicque in solis prioribus consistit essentialiter forma. Aduertunt tamen nonnulli, licet statim, ac prolata sunt priora verba, fit iam consecratio, & Sacramentum; Sacerdotem tamen non debere alligare suam intentionem, vt solis illis verbis fiat consecratio, sed omnia verba proferre debere cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quia cum opo-

posita sententia non sit damnata, nec omnino improbabilis censeatur à Theologis, intentionem, quæ iuxta omnem sententiam, & extra controuersiam sufficit, habere oportet. Necessarium est etiam, Sacerdotem Ecclesiæ Latinæ omnia verba proferre, necessitate præcepti, non quidem diuini, nam Græcos etiam obligaret, sed Ecclesiastici. Vnde si illa omitteret, mortaliter peccaret. Et idem est si omitteret cōiunctionem, *Enim*: nam vt hic art. 2. ad 5. ait D. Thom. *Hæc coniunctio, Enim, apponitur in hac forma secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ à B. Petro Apostolo deriuatam.* Quā non seruare graue peccatum est; & quamuis nonnulli dicant solum esse veniale ob leuitatem materiæ; communis tamen Theologorum sententia affirmat esse peccatum mortale, sicut, & de omissione mistionis aquæ cum vino diximus supra q. 74 ar 6.

Circa articulum secundum, & tertium, præter hæc dicta, & circa articulum quartum præter dicta supra q. 62. ar. 4. nihil se offert dicendum.



ARTICVLVS V.

Vtrum prædictæ locutiones sint veræ.

Conclusio est affirmans.

VEras esse has locutiones *Hoc est corpus meum*, & *Hic est sanguis meus*, certum est secundum fidem: nam vt hic in argum. *Sed contra*, D.Thom. *Hæc verba proferuntur ex persona Christi, qui de se dicit Ioan.14. Ego sum veritas*. Quomodo autem verificentur, hic labor est, & varietas opinionum, quas referunt D.Thom. hic, & Mag.Soto in 4. d. 21. q.1. ar. 5. Quibus omissis, vt sententiam D.Th. explicemus.

Aduertendum est 1. Sacerdotem licet recitatiuè proferat hæc verba, quasi à Christo dicta, vt patet ex præcedentibus, *Fregit, & dixit*; simul tamen ea proferre significatiuè, hoc est significando, affirmando, & enuntiando, quod facit: non quidem ex sua propria persona, nam sensus esset, hoc esse corpus ipsius Sacerdotis; sed ex persona Christi, propter cuius infinitam virtutem, hæc verba vim consecratiuam sunt consecuta, à quocunque Sacerdote dicantur, ac si Christus ea præsentialiter proferret. Quare nihil obstat quominus Sacerdos referat formam consecrationis tanquam à Christo dictam, & simul ex institutione

ipsius

ipsius Christi eius repręsentans personam applicet verba ad ea, quæ sibi præsens est, materiam enuntiando *Hoc est corpus meum.* Sic autem proferens verba vere loquitur: sicut, & Angelus repræsentans Dei personam vere dixit Moysi Exod.3. v.6. *Ego sum Deus patris tui, &c.*

Secundo aduertendum est, pronomen *Hoc*, vel *Hic*, in forma consecrationis non demonstrare accidentia ipsa, seu species sacramentales, nam esset falsa locutio, cũ cõstet accidentia, & species non esse corpus Christi: nec substantiã panis, nam etiam locutio esset falsa, cũ substantia panis non sit corpus Christi, & quãdo hoc sub speciebus est, illa iam sub eis non contineatur: nec denique corpus Christi, nam sensus esset corpus meum est corpus meum, sicque forma nihil faceret, quia hoc fuit etiam ante prolationem verborum. Demonstrat ergo contentum sub speciebus: vnde, vt ait D. Thom. *Non faciunt hæc verba, quod corpus Christi sit corpus Christi: nec quod panis sit corpus Christi, sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi.* Contentum autem sub speciebus idem esse ac substantiam in communi sine forma determinata, seu absque determinatione proprię naturę contentam sub accidentibus, hancque significare, ac demonstrare pronomen *Hoc*, constat ex S. Doct. in fine corp. art. & ad 1. & 2. Cuius oppositum non asserit Caietan. hic dicens: *Mihi videtur quod demonstret indiuiduum substan-*


tia, id est hanc substantiam. Nam per indiuiduũ substantiæ nõ intelligit indiuiduũ certum, & determinatum, sicque non asserit, eandem omnino substantiam, quæ est panis, esse postea corpus Christi, vt ei imponit Mag. Soto, sed indiuiduum vagum. Pro indiuiduo vero vago supponere, illudque significare, patet: nam non supponit pro substantia, quæ est genus supremum, sed pro substantia singulari, non quidem determinate, sed vage sumpta, quæ superior est ad substantiam panis, & substantiã corporis Christi, quæ sunt singularia determinata. Sic autem sumpto pronomine *Hoc*, veras esse locutiones supradictas constat: nam sensus huius *Hoc est corpus meum*, est: contentum vel substantia contenta sub his speciebus est corpus meũ: & huius *Hic est sanguis meus*, contentum vel substã-tia contenta sub his speciebus est sanguis meus, quibus quid verius?

Tertio aduertendum est, locutiones prædictas esse practicas, atque adeo ad veritatem illarum non requiri, vt præsupponatur res significata, sed vt faciant eam. Cum autem eam faciant in vltimo instanti prolationis verborum, pro tali instanti terminatiuo verificantur, ad illudque instans veritas illarum refertur. Vnde licet dum proferuntur, adhuc non sit res significata per illas, veræ tamen sunt in toto rigore sermonis, quia earum significatum efficitur in instanti terminatiuo illarum, illudque non significant esse, dum proferuntur, sed

cum

cum completæ fuerint in vltimo instanti prolationis verborum. In quo instanti, vt ait D. Thom. hic ad 3. significatio earũ præintelligitur rei significatæ ordine naturæ, sicut causa naturaliter est prior effectu. Quę significatio adhuc in illo priori naturę vera est, & propositiones, seu locutiones ipsę, quatenus veræ, sunt causę rei significatæ, vt docet M. Soto vbi sup. Nec obstat, qũod ait Arist. 1. Perihermenias, ab eo, quod res est, vel non est, propositionem esse veram vel falsam. Nam eodem temporis instanti incipit esse sub speciebus corpus Christi, & propositio esse vera, nec datur instans, in quo vnum sit sine alio: prioritas autem naturæ nihil dicit nisi causam, scilicet quia hoc est, illud est. Et quamuis in genere causæ efficientis prius natura propositio sit vera, quam conuersio fiat: in genere tamẽ causæ obiectiuæ prius natura est corpus illic existere, quam propositionem esse veram.

Circa art. 6. nihil se offert dicendum.



V X QVÆ-

QVÆSTIO LXXIX.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum per hoc Sacramentum conferatur gratia.

Conclusio est affirmans.

Dubium. Quam gratiam conferat hoc Sacramentum.

HÆretici nostri temporis Lutherus, Kemnitius, & Caluinus, asserunt præcipuum, & primarium effectũ huius Sacramenti non esse augmentum gratiæ, aut iustificationis, sed gratiam reconciliationis, & remissionis peccatorum mortalium, etiam quorum homo conscientiam habet: immo addunt sine peccatis mortalibus nullum debere accedere ad communicandum, & nisi adsint peccata mortalia frustra sumi Eucharistiam,

Probant: Tum quia Christus dixit, *Non veni vocare iustos sed peccatores.* Tum etiam quia Eucharistia vocatur Lucæ 22. Testamentum nouum, in quo includitur pactũ

de

de remiſſione peccatorum, vt patet Ierem. 31. vnde in conſecratione calicis dicitur: *Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Tum deinde, quia in omnibus liturgiis habeatur præces, vt Deus faciat Sacramentum nobis eſſe in remiſſionem peccatorum. Tum denique, nam ſi ab omni peccato liberum eſſe hominem oportet, quis ad Euchariſtiam accedere audebit, cum nullus certus ſit ſe eſſe ſine peccato mortali.

Dicendum tamen eſt 1. præcipuum, & primarium effectum huius Sacramenti non eſſe gratiam reconciliationis, & remiſſionis peccatorum. Diffinit hoc Conc. Trident. ſeſſ. 13. canon. 5. contra prædictos hæreticos his verbis: *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire; anathema ſit.*

Secundò probatur cum Diu. Thom. hic ex modo, quo traditur hoc Sacramentum nempe per modum cibi, & potus, iuxta illud Ioan. 6. v. 55. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Sed effectus proprius cibi, & potus non eſt ſuſcitare mortuos, nec illum ſumere competit mortuis; ergo effectus præcipuus, & primarius huius Sacramenti non eſt remiſſio peccatorum, per quam à morte ſpirituali animæ ſuſcitatur homo, nec illud ſumere competit mortuis in peccatis. Si dicas, hoc argumento probari hoc Sacramentum in nullo caſu etiam per accidens cauſare re-

missionem peccati mortalis, etiam si, qui in illo est, conscientiam illius non habeat; non enim magis prodest cibus iis, qui mortui esse nesciuntur, si verè mortui sunt, quã ijs qui, & sunt, & sciuntur mortui Respõdetur, cibum hunc etiam si, quatenus est cibus, institutus sit pro viuis, virtutem tamen habere mortuos suscitandi, si tamen ij non sumant illum indigne, nam qui manducat indigne, iudicium sibi manducat. Cum autem qui conscientiam habent peccati mortalis indigne illum suscipiant, nihil eis prodest, sed potius nocet, quia sumendo peccant. Qui vero inuincibiliter ignorant se esse in peccato mortali, non indigne illum suscipiunt, sicque eis ad vitã gratiæ recuperandam prodest.

Dicendum est 2. Effectum proprium, & per se huius Sacramenti, vt in re sumitur, esse augmentum gratiæ, quo homo in se ipso perfectus existit per coniunctionem ad Deum. Docet hoc D. Thom. hic ad 1. dicens: *Restat igitur, vt cum ipsum Sacramẽtum realiter sumitur, quod gratia augeatur, & vita spiritualis perficiatur. Aliter tamen quam per Sacramentum Confirmationis, in quo augetur, & perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum. Per hoc autem Sacramentum augetur gratia, & perficitur spiritualis vita, ad hoc quod homo in se ipso perfectus existat per coniunctionem ad Deum.*

Secundò probatur ex Concil. Florent. in Decreto Eugenii, vbi sic dicitur. *Huius Sacra-*

cramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentibus, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius vnitur, consequens est, quod per hoc Saramentum sumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus, quo ad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quo ad vitam operatur spiritualem.

Dicendum est 3. Hoc Sacramentum, quantum est de se, causare etiam quandã gratiam actualem, nempe excitationem charitatis, & actualem refectionem cum dulcedine. Docet hoc D. Th. hic ad 2. vbi ait: *Per hoc Sacramentum, quantum est ex sui virtute, non solum habitus gratiæ, & virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum secundum illud 2. Corinth. 5. charitas Christi vrget nos: Et inde est, quod ex virtute huius Sacramenti anima spiritualiter reficitur, per hoc quod anima spiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis diuinæ.* Vbi notandum est illud, *Quantum est ex sui virtute*. Nam ex incapacitate subiecti, qualis est in paruulis ob defectum vsus rationis, & ex eius indispositione, qualis est in eis, qui cum distractione, & absque attentione, & deuotione actuali ad hoc Sacramentum accedunt, hic effectus spiritualis delectationis impeditur.

An vero postea remoto impedimento hic effectus conferatur, quidam affirmant, alii negant. Affirmans tamen sententia

com-

communior est: nam sicut Sacramenta recedente fictione causant gratiam: ita hoc Sacramentum remoto impedimento causat effectum spiritualis delectationis. Et non est eadem ratio de cibo, & potu materiali, qui si quando sumitur, non causat delectationem ob aliquod impedimentum, non causat illam postea. Nam cibus, & potus spiritualis, vt causet delectationem, non pendet à contactu physico, sicut cibus, & potus materialis; sicque vt medio illo tanquam instrumento diuina virtus operetur prædictum effectum, sublato impedimento, sufficit aliquando fuisse sumptum, & positum in esse.

Dicendum est 4. Etiam in corporibus digne sumētium causare hoc Sacramentū aliquem effectum gratuitum: non quidem directè, & immediatè, sed indirectè, & per quandam redundantiam. Docet hoc D. Thom. hic ad 3. dum ait, hoc sacramentum ad salutem vtriusque, animæ scilicet, & corporis operari. *Et licet corpus non sit immediatum subiectum gratiæ, ex anima tamen redundat effectus gratiæ ad corpus, dum in præsenti membra nostra exhibemus arma iustitiæ Deo, vt habetur Roman.6. & in futuro corpus sortietur incorruptionem, & gloriam animæ*. Idem dicit art.6. ad 3. *Licet hoc Sacramentum non directè ordinetur ad diminutionem fomitis: diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, in quantum auget charitatem*.

Quibus verbis tres effectus insinuat D. Thom. causare hoc Sacramentum in corpori-

poribus nostris. Primus est diminutio fomitis, ac per consequens munditia castitatis: propter quem Zachariæ 9. v.17. appellatur, *Vinum germinãs virgines*. Secundus est, exhibere membra nostra arma iustitię, sicque illa membra Christi efficere. Quod licet effectus sit fidei formatæ, iuxta illud 1.Corinth. 6. v.15. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Specialiter tamen hic effectus redundat ad corpus ex gratia per hoc Sacramentum collata. Tertius est in corruptio nostri corporis, quam in resurrectione sortietur, quem effectum indicat illud Ioan.6. v. 54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

Ad argumenta autem hæreticorum in principio adducta respondetur. Ad 1. ibi Christum loqui de prima vocatione ad fidem, & pœnitentiam, non de inuitatione ad Eucharistiam.

Ad 2. respondetur Eucharistiam dici testamentum nouum, quia est signum voluntatis Christi, qua voluit suum sanguinẽ in passione effundere in remissionem peccatorum, non qua voluit suum sanguinem bibi in remissionem peccatorum mortalium, quorum homo habet conscientiam: nam qui sic biberit, reus erit sanguinis Domini. 1.Corinth.11.v.27.

Ad 3. respondetur præces illas ordinari, vt per hoc Sacramentum remittantur peccata venialia, & mortalia quorum non ha-

betur

betur conſcientia, & pœna, quæ remanet luenda etiam poſt culpam dimiſſam.

Ad 4. reſpondetur, non requiri, vt qui accedit ad hoc Sacramentum, certus ſit ſe non habere peccata, ſed vt non habeat illorum conſcientiam, & ſe ipſum probet, & faciat quod in ſe eſt, vt mundus accedat.

Dubium 2. Quando hoc Sacramentum cauſet gratiam.

VAriæ ſunt de hac re Theologorum ſententiæ, quibus omiſſis, noſtram ſequentibus concluſionibus explicamus.

Dicendum eſt 1. Hoc Sacramentum cauſare gratiam in inſtanti, quo verum eſt primo dicere, comeſtum eſt. Docet hoc M. Soto in 4. d. 12. q. 2 art. 1. Probatur, hoc ſacramentum cauſat gratiam, quando verū eſt dicere, iam ſumptum, & applicatum eſt; ergo cum ſumatur, & applicetur per comeſtionem, & potum, in illo inſtanti cauſat gratiam, in quo perficitur comeſtio, & primum verum eſt dicere, comeſtum eſt: ſicut Baptiſmus in illo inſtanti cauſat gratiam, in quo perficitur ablutio ſub certa forma verborum, & in quo primum eſt verum dicere, ablutus eſt ſub tali forma verborum homo ſuſcipiens illum. Ex quo fit (inquit Mag. Soto.) dum hoc ſacramentum eſt in ore, etiam ſi ſpecies panis maſticatæ ſint, non habere ſuum effectum, nec

con-

conferre gratiam, quia nondum comestum siue manducatum est.

Si quæras, quando comestum dicatur? Respondet Mag. Soto, quando guttur, aut gulam transiuit. Alij addunt, quando iam receptum est in stomachū: nam antequā in illum recipiatur cibus, non potest nutrire, & hoc sacramentum confert gratiā per modum nutrimenti. Ex quo si inferas, illum, qui hoc sacramentum suscipit cum conscientia peccati mortalis, non peccare mortaliter quousque illud deglutiat. Respondent, id concedendo: quamuis enim si cum intentione deglutiendi suscipiatur, intentio hæc peccatum mortale sit; susceptio tamen ipsa ante deglutionem non est peccatum mortale: quia solum peccat, qui manducat, & bibit indigne; ante deglutionem autem, nec manducat, nec bibit cum sumere cibum, aut potum solum ad retinendum ore, aut ad masticandum, vel abluendum os, non sit manducare, aut bibere.

Dicendum est 2. Quando quis plures recipit hostias, totum effectum sacramenti conferri in sumptione primæ hostiæ; per aliarum verò sumptionem nullā dari gratiam habitualem, nisi suscipiens sit magis dispositus. Probatur 1 nam vt dicemus. q.seq. art. 12. Sacerdoti communicanti sub vtraque specie totus effectus Sacramenti confertur, quando sumit corpus Christi; per sumptionem vero sanguinis non datur ei plus gratiæ, nisi sit magis dispositus; ergo

ergo idem erit in casu nostræ conclusionis.

Secundò. In prima hostia suscepta est tota virtus productiua gratiæ sacramentalis, cum in ea totus Christus contineatur; ergo in primo instanti, in quo verum est dicere, manducatum fuisse, etiam si aliæ adhuc in ore existant, causat totum effectum sacramenti, ac per consequens aliæ postea nullam gratiam conferunt, nisi suscipiens sit magis dispositus. Probatur consequentia, quia causa agens necessario in primo instanti, quo secundum vim agendi est applicata subiecto non repugnanti, producit in illo perfectè totum suum effectum, & postea illum non auget, nisi aut ipsa accipiat maiorem vim agendi, aut subiectum melius disponatur.

Si verò suscipiens, quando alias recipit hostias, sit magis dispositus, maiorem gratiam suscipere patet: nam in alijs hostijs non est minor, sed potius eadem virtus productiua gratiæ, quam in prima; ergo sicut hæc maiorem gratiam contulisset ea quam contulit, si maiorem dispositionem inuenisset in subiecto, ita aliæ maiorem dispositionem inuenientes maiorem gratiam cōferunt, & augent gratiam per primam hostiam collatam.

Dicendum est 3. Si noua aut maior adsit dispositio, non est improbabile, hoc sacramentum conferre gratiam non solum in instanti, in quo primum est verum dicere, comestum esse, sed etiam toto tempore, quo

quo species manent integrę in stomacho: oppositum tamen probabilius est. Primā partem docet Caiet. hic, quam ex recentioribus sequuntur non pauci. Probant 1. nam cum hoc sacramentum conferat gratiam per modum nutrimenti, non est limitandum tempus, quo illam confert, ad illam morulam, qua deglutitur, sed extendum potius ad totum temporis spacium, quo Christi corpus sacramentaliter in sumente perseuerat; toto enim tempore, quo cibus in stomacho permanet, nutrit. Et quamuis vt hoc sacramentum nutriat spiritualiter gratiam nutrientem conferendo, necessarium sit, vt per manducationē applicetur, vnde si absque manducatione vlla ab Angelo poneretur in stomacho, non conferret gratiam: cæterum postquam manducatum est, non est inconueniens illam conferre.

Secundò. Quia cum Christus sit lux mundi, & fons omnis gratiæ, rationi consonum videtur, vt quandiu in nobis sacramentaliter perseuerat; animam lumine gratiæ illuminet, illamque spiritualiter pascat, & satiet; hoc enim dignitati huius sacramenti conuenit, & ad pietatem, & augendam deuotionem post sumptum sacramentum excitat.

Dixi, si noua aut maior adsit dispositio: nam si hęc desit, probablie non est, toto illo tempore causare, vel augere gratiam: alias enim melioris esset conditionis; qui maiorem quantitatem specierum sumeret

immo

immo, & qui debilioris esset stomachi, qui non tam citò posset species digerere, & ex aliquo naturali prouenirer, vt sacramentũ maiorem gratiam conferret. Si verò noua, aut maior adsit dispositio; hæc inconuenientia non sequuntur: nam largior mora Sacramenti in stomacho ob prædictas causas solum per accidens esset occasio, vt quis maiorem gratiam acciperet, quatenus interim plures, ac perfectiores actus charitatis eliceret, sicque melius esset dispositus, cui dispositioni responderet gratię augmentum collatum à sacramento. Quod augmentum non est inconueniens causari successiue, & in tempore, cum constet etiã ex opere operantis hoc modo fieri augmentum gratiæ; in eo namque, qui in cõtinua oratione, & actuali dilectione Dei perseuerat, continuè, & in tempore augetur gratia. Non est etiam inconueniens, illum, qui initio indispositus, & in mortali peccato suscipit sacramentum, postea, si dum species adhuc integræ perseuerant in stomacho sufficienter disponatur ad gratiã, etiam attritione, quam putat cõtritionem, iustificari, & gratiam suscipere virtute sacramenti adhuc manentis.

Secunda pars asseritur à Mag. Soto vbi supra, & alijs communiter. Probatur, quia effectus huius Sacramenti promittitur mã. ducanti, vt patet Ioan. 6. sed post instans, in quo primum verum est dicere, comestum est, iam non est manducatio etiam ratione sui termini; ergo non confertur

gra-

gratia. Nam quamuis manducatio solum sit conditio tanquam applicatio; non tamen, vt antea facta: quia vt sic applicatio, & receptio conditio est, vt Sacramentum reuiuiscens causet gratiam fictione recedente; sed vt actu existens aliquo modo simul cum sacramento. Vnde Ioann 6. vers. 56 & 57. non dicitur, qui manducauit, sed *Qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem, in me manet, & ego in illo. Et qui manducat me, & ipse viuet propter me.*

Secundò. Quia alias sequeretur, illum, qui postquam digne communicauit, committere aliquot peccatum mortale etiam mere internum, antequam per digestionem consummerentur species, sacrilegiũ etiam committere, & reum esse corporis, & sanguinis Domini, & iudicium sibi manducare, & bibere: Idem etiam sacramentum dignè, & indignè manducare, & sumere, cum per tempus sumptionis Caietanus hic non solum intelligat morulam, in qua deglutitur sacramentum, sed etiam consequens spacium temporis, quo Christi corpus sacramentaliter in sumente perseuerat: sed hęc absurda videntur, nam ille non videtur magis peccare, quam si sacramentum in stomacho haberet ab Angelo positum sine vlla eius manducatione; ergo, &c.

Circa articulum 2. 3. 4. 5. & 7. nihil se offert scribendum.

A R-

Vtrum per peccata venialia impediatur effectus huius Sacramenti.

Conclusio est negans.

Dubium. An ad consequendum effectum huius Sacramenti requiratur actualis deuotio excludens mentis distractionem, & peccata venialia actu exercita.

Partem affirmantem tenet Caietan. hic art. 1. §. *De tempore*. Probatur 1. ex D. Thoma in 4. d. 12. q. 2. art. 1. quæstiuncula 3. vbi sic habet: *Cum hoc Sacramentum perficiat coniungendo fini, ad hoc quod effectum suũ plenè habeat in sumente, oportet quod adsit actualis deuotio. Et quia interdum absque mortali peccato actualis deuotio impediri potest, cum distractiones variæ ipsam impediant, & peccata venialia virtutem actus tollant, absque peccato mortali potest effectus huius sacramenti impediri: ita quod aliquis augmentum gratiæ non consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat, sed fortè reatum venialis peccati, ex hoc quod imperatus accidit.*

Secundò. Nam si qualibet sumptione Eucharistiæ etiam sine actuali deuotione, au-

augeretur gratia, infinitorum pene sacerdotum, quos credimus verè in gratia celebrare, charitas iam esset maxima intensiue: sed hoc credibile non est, cum tanta magnituto charitatis in tanta multitudine otiosa appareat, quoniam nec extra apparent, nec intus de se ipsis testantur actus similes feruentissimæ charitatis, ergo, &c.

Tertiò. sacramentum hoc, quia datur per modum cibi, & potus, non auget, sicut nec nutrit, nisi per modum nutrimẽti: sed sine actu vitali nutriti tam cibus, quàm potus nec nutrit, nec auget; ergo sine operatione vitali animę cibus iste nec nutrit, nec auget.

Dicendum tamen est: Quamuis ad consequendam actualem refectionem spiritualis dulcedinis, quæ ex virtute huius sacramenti confertur, requiratur actualis deuotio excludens mentis distractionem, & peccata venialia actu exercita; non tamen ad consequendum augmentum habitualis gratiæ, & charitatis; sed ad hoc sufficit, vt homo in gratia, & absque peccato mortali accedat ad hoc sacramentum. Docent hoc communiter Theologi.

Probatur primo, ex D. Thom. hic, vbi cum dixisset peccata venialia, prout sunt præterita, nullo modo impedire effectum huius sacramenti, de peccatis venialibus prout sunt actu exercita ait, non ex toto impedire effectum huius sacramenti, hocque sic explicat: *Sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, sed*

etiam

etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis. Quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus. Non autem tollitur augmentum habitualis, gratiæ, vel charitatis.

Secundo. Sacramenta causant gratiam in non ponentibus obicem: sed qui in gratia existens absque actuali deuotione, & mente distractus per peccata venialia accedit ad hoc sacramentum, licet ponat obicem actuali refectioni spiritualis dulcedinis, non tamen ponit habituali gratiæ; ergo licet illam non recipiat, huius augmentum recipit. Minor probatur, alias enim peccaret mortaliter: nam quamuis non sit peccatum mortale ponere obicem perfectioni effectus sacramentalis, qualis est prædicta refectio, ponere tamen obicẽ substantiali effectui sacramentali, qualis est gratia habitualis, & sumere aduertenter sacramentum informe, peccatum mortale est, vt patet in alijs sacramentis: sed hoc falsum; ergo, &c.

Tertio. Hoc sacramentum datur aliquando in articulo mortis phreneticis, in quibus ob defectum vsus rationis nequit esse actualis deuotio: sed in his licet non causet refectionem prædictam, causat tamen augmentum gratiæ habitualis, alias frustra eis daretur; ergo &c. Respondet Caietan. hoc non obstare: tum quia sacramenti effectus ex his, quæ per se concurrunt considerandus, & iudicandus est, & nõ ex his, quæ in casu accidunt: tum quia phre-

phreneticis non datur viaticum ad augendum in hac vita gratiam, sed propter vitã æternam, & propter impugnationes dæmonum. Contra hoc tamen est: tum quia sine fundamento dicitur in prędictis per accidens suum effectum operari hoc sacramentum, & non in alijs, qui cum simili dispositione illud recipiunt. Tum etiam, quia prędictis non potest prodesse receptio huius sacramenti ad vitam æternam, nisi augendo in illis gratiam. Impugnationes verò dæmonum his timendæ non sunt, cum carentes vsu rationis peccare non possint.

Ad secundum autem factum in principio Mag. Soto in 4. d.11. q. 2. art.8. & alij respondent D. Thom. mutasse sententiam; hic enim in corp. & ad 1. & 2. oppositum docet. Sed melius respondetur D. Thom. licet hic clarius loquatur, idem tamen docuisse loco citato ex 4. sent. Non enim ait defectum deuotionis, & peccata venialia ex toto impedire effectum huius Sacramenti, sed solum dicit: *Ad hoc quod effectũ suum plenè habeat in sumente, oportet quod adsit actualis deuotio.* Plenè autem habere suum effectum, est conferre non solum habitualem gratiam, sed etiam actualem refectionem spiritualis dulcedinis: ad sic autem plene habendum suum effectum etiã hic docet requiri actualem deuotionem. Vnde cum ibi subdit S. Doct. *Absque peccato mortali potest effectus huius sacramenti impediri; ita quod aliquis augmentum gratiæ no*

consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat. Per augmentum gratiæ non intelligit quodcumque augmentum gratiæ habitualis, sed augmentum, quod prouehit gratiæ ex additione spiritualis refectionis actualis, quādo virtute huius sacramenti charitas excitatur in actum, & feruentior fit ob maiorem dispositionem actualis deuotionis.

Ad secundum respondetur, eodem argumento probari posse, sacerdotes, qui celebrant cum actuali deuotione, sed exigua, nullum inde percipere augmentum gratiæ, sicque ad hoc requiri summam actualem deuotionem, quod nec Caietanus dicit. Concessa ergo maiori, neganda est minor: quia si tales sacerdotes perseuerant in gratia, & non peccant mortaliter, sed tentationibus resistunt, non apparet otiosa charitas in eis, quam aquę multæ impugnationum non potuerunt extinguere. Si vero non prorumpit in actus feruentiores, hoc ideo est, quia per peccata venialia remittitur feruor charitatis.

Ad 3. respondetur, minorem solum esse veram in cibo corporali, quem quia conuertimus in nostram substantiam, indigemus ad hoc actu vitali. Cibus vero hic spiritualis est, de quo dictum est S. August. *Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me*. Sicque non necessario requirit actum vitalem actualis deuotionis, vt nutriat, & augeat, sed sufficit, vt qui illum sumit non apponat im-

impedimentum, aut obicem, & si est sui compos illum in gratia existens voluntariè suscipiat.

QVÆSTIO LXXX.

De vsu, seu sumptione huius Sacramenti in communi.

Circa articulum primum, secundum, & tertium nihil se offert dicendum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum peccator sumens corpus Christi sacramentaliter peccet.

Conclusio est affirmans.

Dubium. Quomodo se ipsum probare debeat peccator, vt accedens ad Eucharistiam non peccet.

HAeretici nostri temporis contendunt, non aliam probationem, quam fidei requiri, hoc est, vt se probet homo pecca-

tor; an sit in fide, iuxta illud 2. Corinth. 13. ver. 5. *Vos metipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate*. Vnde vt refert Mag. Soto in 4. d. 12 q. 2. art. 4. Lutherus negat accedenti ad hoc sacramentum vlla opus esse animi præparatione præter solam fidem, & confidentiam, quod sit per ipsum gratiam obtenturus. Immo ait, indignè accedere, qui confitetur, vel conteritur, vel se aliter disponit. Argumenta eius, & aliorum hęreticorum q. pręced. art. 1. dubio 1. à nobis adducta, & soluta sunt.

Caietanus hic ait, peccatorem, qui conscientiam habet peccati mortalis, sei ipsũ probare debere per contritionem, non tamen necessario per confessionem; sic enim scribit: *Videtur mihi, quod contritus sumens Eucharistiam non peccet mortaliter, etiam confessoris habita copia*. Probat 1. ex illo primæ Corinth. 11. ver. 28. *Probet autem se ipsum homo: & sic de pane illo edat*. Sed per contritionem se ipsum probat homo, per confessionem vero nequaquam, sed probatur à confessore; ergo contritio sufficit, & confessio non requiritur, ad sumendam Eucharistiam.

Secundò. Actus iste, qui est, contritum de peccato mortali non confesso sumere Eucharistiam, non est ex suo genere peccatum mortale, alias in nullo casu esset licitus, etiam quando deest copia confessoris, sed ex hoc quod habetur copia confessoris, non fit de non mortali mortalis, oportet enim iudicium de humanis actibus

bus ex his, quæ sũt per se sumere; ergo, &c.

Tertiò. Immiscere se sacris actibus sacramentalibus, qui sacrilegi essent, si in peccato mortali exercerẽtur, cum sola contritione peccatorũ mortalium, non est peccatũ mortale, sufficit enim Sacerdoti ministranti Sacramentum Pœnitentiæ, aut Baptismi, Extremæ vnctionis, aut Viatici sola contritio: immo suscipere alia Sacramenta cũ sola cõtritione nullibi videtur prohibitum; ergo idem erit de sumptione Eucharistiæ.

Dicendum tamen est 1. Non sufficere probationem fidei, vt peccator accedens ad hoc Sacramentum non peccet. Probatur 1. ex diffinitione Conc. Trid. sess. 13. can. 11. *Si quis dixerit solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimi Eucharistiæ Sacramentum; anathema sit.*

Secundò. Ex loco 1. Corinth. 11 v. 28. adducto, *Probet autem se ipsum homo &c* Ibi enim non agitur de probatione fidei, sed cõscientiæ peccatorum, de quibus ibi Paulus reprehendit Corinthios a v. 20. vsque ad 33. quia nonnulli ditiores Ecclesiam prophanabant in ea sumptuosam cœnam sumentes fideles alios scandalizabant, & contemptis pauperibus, quos esurientes relinquebant, crapulę, & ebrietatis vitio ipsi vacabant.

Dicendum est 2. Debere hominem se ipsũ examinare explorando diligenter conscientiam suam, an peccatum aliquod mortale commiserit, quod si inuenerit, ab illo

se emundare, ac purgare per dolorem, & contritionem. Probat hoc etiam locus Pauli adductus, *Probet se ipsum homo, &c.* Nam se probare, est se ipsum examinare: vnde D.Thom. hic ad 5. ait, illum, qui negligens est in examinatione sui ipsius, contra id, quod dicit Apostolus *Probet, &c.* facere, & peccare, *Licet non habet conscientiā peccati, quia ipsa ignorantia est ei peccatum.* Significat etiam se ipsum probare, se emundare, ac purgare à peccatis. Vnde alludit Apostolus ad probationem auri, & argenti, *Quod per ignem probatur,* vt dicitur 1. Pet. 1. v. 7. quia per ignem examinatur, an sit purum, & purgatur, si purum non est.

Si facta diligenti examinatione homo solum inueniret peccata venialia commisisse, de illis dolorem habere non teneretur, nec peccaret etiam venialiter cum illis, aut conscientia illorum accedendo ad Eucharistiam: nam vt ait D.Thom. quæst. præcedent. ar. 8. peccata venialia, prout sunt præterita, nullo modo impediunt effectum huius Sacramenti. Et sicut non tenemur illa confiteri: ita nec obligamur etiam sub veniali de illis dolere, antequam sumamus Eucharistiam. Vnde S. Aug. tract. 26. in Ioan. inquit: *Peccata, & si sint quotidiana, vel non sint mortifera, antequam ad altare accedatis.*

Qui cum distractione accedit ad hoc Sacramentum, reatum peccati mortalis nō incurrere docet D.Thom. in 4. dist. 12. q. 1. ar. 1. quæstiuncula 3. *Sed forte reatum venialis*

lis peccati. Vbi illud *fortè*, denotare videtur non esse omnino certum S.Doctori peccatum veniale incurrere. Nonnulli ex recentioribus absolutè affirmant, nullum peccatum committi ob communionem cum distractione: quia licet attentio requiratur ad orationem, cum sit locutio ad Deum, & irreuerentiam fiat ei, si absque attentione cum illo loquamur; non tamen requiritur ad susceptionem Eucharistię, cum non sit locutio, sed manducatio,& iniuria non fiat cibo, si distractè sumatur. Sed communis Theologorum sententia est; venialiter peccare eum, qui cum distractione voluntaria accedit ad communionem, sicut, & qui ad eam accedit propter inanem gloriam, aut cum formali affectu ad aliquod peccatum veniale, & intentione actuali illud faciendi. Huic enim cibo, cum sit ipse Christus panis viuus, irreuerentia fit, si cum mentis distractione sumatur: nam vt ait S. Chrysost.hom.de proditione Iudæ, fide respici, honore mirari, mente contingi, cordis manu suscipi, & haustu interiori assumi debet. Si terreni Principis irreuerentia est, non solum ipsum loquentem non attente audire, aut sine attentione cum ipso loqui, sed etiã quod ipse sua manu largitur cum distractione suscipere; quanto magis Christi irreuerentia erit, quando ad huius Principis mensam sederis, ipsum, qui se tibi largitur, indeuotè suscipere, non attendere, quæ tibi apponit, non discernere inter hunc cibum, & materialem, illumque sumere

otio-

otiosa, & scurrilia loquendo, aut cogitando? Si dicas, hinc sequi communicantem cum distractione gratiam non recipere. Respondetur id negando: nam quamuis talis communio mala, & peccatum veniale sit; non tamen est ipsa, quæ gratiam habitualem confert, sed Sacramentum susceptum, & gratiæ habituali conferendæ per Sacramentum solum peccatum mortale obicem ponit, vt ostendimus q. præced. ar. 8.

Dicendum est tertio. Non satis esse peccatori conscientiam habenti peccati mortalis, cum accedit ad Eucharistiam, se ipsum probasse per contritionem, sed necessarium esse, tale peccatum confiteri, si copiam habet confessoris. Probatur hoc etiam ex verbis Apostoli, *Probet, &c.* nam, vt docet Concil Trid sess. 13. c. 7. *Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debet, quod à Christianis omnibus, etiam ab his Sacerdotibus, quib. ex officio incubuerit, celebrare, hæc sacta Synodus perpetuo seruandum esse decreuit, modo non desit illis copia confessoris.* Vnde sententia Caietani omnino reijcienda est tanquam erronea, nec potest vllo modo sustineri: subdit enim Concilium can. 11. vbi quod docuerat cap. 7. diffinit. *Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputãdo defendere præsumpse-*

pserit, eo ipso excommunicatus existat.

Aduertendum tamen est, quod ait Concilium. *Modo non desit illis copia confessoris*. Si enim desit, licitè potest cõscius sibi peccati mortalis communicare non præmissa confessione, dum tamen necessitas communicandi vrgeat, vt indicat, quod subdit Concilium, *Quod si necessitate vrgente, &c.* Vnde, vt licite quis possit communicare, non præmissa confessione, duæ conditiones requiruntur, scilicet carentia copiæ confessoris, & necessitas communicandi. Carentia copiæ confessoris prouenire potest, aut ex eius absentia, aut impotentia, aut ex defectu iurisdictionis, vel ex damno, quod ab illo timetur. Necessitas verò communicandi, aut ex officio, aut ex mortis articulo, aut ex infamia, vel scandalo consequutis ex hoc, quod homo non communicet. Concurrunt autem hę duæ conditiones in multis casibus.

Primus est, quando Parochus ex officio tenetur in die festo celebrare, vt fideles Missam audiant, & longe distat, qui possit ipsum confiteri; tunc enim etiam si cõscientiam habeat peccati mortalis, potest contritus, & non confessus celebrare. Si quæras quantum debeat distare confessarius? Respondetur, non posse certam, & generalem regulam præscribi: nam distantia, quæ respectu huius, aut hoc tempore non est sufficiens, respectu alterius, aut alio tempore sufficit. Quare hoc obseruandum est, vt res prudenter determinetur, illum habe-

re confessorem distantem, qui non potest ipsum adire, aut ob infirmitatẽ corporisue imbecillitatem, aut ob temporis nimium scilicet pluuiarũ, ac inũdationum rigorem, aut ob latronum in itinere existentium periculum, aut ob alias similes vrgentes causas. Præcipit autem Concilium, vbi supra: *Si necessitate vrgente Sacerdos, absque præuia confessione celebrauerit, quam primum confiteatur*. Hoc est, prima data occasione. Quod præceptum ad laicos, & non Sacerdotes, qui absque præuia confessione vrgente necessitate communicauerint, extendendum non esse communiter dicunt Doctores; ij enim non quam primum, seu prima data occasione tenetur confiteri, sed possunt differre confessionem quousque necessitas cõmunicandi iterum instet. Et idem videtur esse de Sacerdotibus, qui non celebrando communicant, cum solum dicatur, *Si Sacerdos celebrauerit*.

Secundus est, quando morti proximus tenetur Viaticũ sumere, & non adest Sacerdos, nisi forte, qui non potest absolutionem proferre, quia est mutus, aut qui non valet confessionem etiam nutibus factam percipere, ac pœnitentem, sine interprete intelligere: tunc enim licitè potest Eucharistiã accipere, absque confessione cum sola contritione peccati mortalis, cuius habet conscientiam.

Tertium proponit M. Victoria in summ. num. 79. *Si ego habeam casus reseruatos, & non est Episcopus præsens, & si non celebrabo in*fa-

famor, possum celebrare, sine confessione peccati reseruati. Ob carentiam scilicet confessarij non habentis iurisdictionem, & potestatem absoluendi à tali peccato, & ob infamiam, quę ex non celebratione incurritur. Idem sentiunt M. Soto in 4. d. 12. q. 1. ar 4 circa finem, & alij. Quod verum esse existimo, etiam si peccatum reseruatum annexam habeat excommunicationem, vt patet ex ex dictis a nobis de hæretico occulto 2. 2. q. 11. ar. 4. dub. vnico, con. 2. vnde, quod ait M. Soto loco proximè citato: *Excommunicato, nec propter officium, nec propter scandalum, aut generale præceptum Ecclesię de communione licet ad Sacramentum accedere*; Intelligendum est de excommunicato publico, & notorio. Si ego præter peccatum reseruatum haberem alia peccata mortalia, non possem sine confessione illorum celebrare: nec prædicti Auctores oppositum dicunt; cum solum loquantur de peccato reseruato. Nam eo ipso, ac possum peccata mortalia confiteri, & de illis directè absolui, teneor confiteri ad digne communicandum ex vi illius præcepti, *Probet autem se ipsum homo*, vt declaratur à Concil. Trid. Vnde cum in casu posito possim de peccatis mortalibus confiteri, & de illis directè absolui, quamuis sint coniuncta cum peccato reseruato, quod non possem scandalo, & infamia ex omissione celebrationis deficiente; in tali casu etiam teneor illa confiteri, ac per consequens, vt integra sit confessio, ipsum etiam casum reseruatum; sic

quę manebo ab omnibus absolutus, à non reseruatis quidem directè, à reseruato autem indirectè. Si præter peccatum reseruatum solum haberem peccata venialia, non teneor præmittere confessionem: quia quamuis possim illa confiteri, & de illis absolui; non tamen teneor confiteri, vt communicem, & obligatio pręmittendi confessionem ante communionem in casu posito nō est propter peccatum reseruatum; alias si illud esset solum, talis obligatio esset, sed propter peccata, à quibus directè possum absolui; sicque illam non inducunt peccata venialia, etiam si illis directè absolutis, absolueretur etiam peccatum reseruatum indirectè: sed solum peccata mortalia nondum confessa; de confessis enim, & absolutis eadem est ratio, ac de venialibus.

Quartus est, quando mulier, quæ commisit adulterium, debet in die Paschæ cōmunicare, alias totus populus scandalizabitur, & non habet alium confessarium, nisi de quo prudenter timet fore ipsam ad inhonesta solicitaturum, aut eius peccatum reuelaturum, aut illi graue aliquod damnū illaturum; potest sine confessione cum sola contritione communicare. Similis est casus, quandó Sacerdos cum socijs iter agit in die festo, & videt socios scandalizandos si non celebrat, & vt ipsi audiant Missam; potest etiam si conscientiam habeat peccati mortalis celebrare solum contritus, si non habet copiam confessoris. Nonnulli

re

recentiores in hoc secundo casu necessariū esse dicunt scandalum; in primo tamen non requiri, sed sufficere necessitatem præcepti communionis: quia quamuis sit iuris humani, & præceptum de præmittenda confessione iuris diuini, potest vt illud impleatur mulier prædicta communicare nō præmissa confessione: sicut, & vt quis impleat præceptum Ecclesiasticum de confessione annua, potest confiteri non integrè, si nullus sit Sacerdos, cui possit integrè cōfiteri, quamuis integritas confessionis sit præcepti diuini. Sed ego nullam quantum ad hoc video differentiam inter primum, & secundum casum. Vnde Mag. Soto, vbi supra, & alij dicunt, in vtroque casu consulendam esse rationem scandali, & non sufficere necessitatem præcepti Ecclesiastici: quia quādo concurrūt duo præcepta, alterū Ecclesiasticum, & alterum diuinum non compatibilia, diuinum est seruandum, & excusatur homo a præcepto Ecclesiastico; Quapropter, nec in casu pro exemplo adducto, si nullum esset scandalum in omissione præcepti annuæ confessionis, posset homo confiteri non integre, sed confessionem differre deberet, quousque esset Sacerdos, cui integre confiteri posset.

Dicendum est quarto. Præceptum, quo conscientiam habens peccati mortalis tenetur præmittere confessionem ante communionem, esse diuinum. Probatur 1. ex verbis enim Concilij Trid. con. 3 relatis cōstat, Ecclesiasticam consuetudinem declaraſ-

raffe, pręceptum traditum ab Apostolo illis verbis, *Probat autem se ipsum homo, &c.* Intelligendum esse de probatione, quæ fit per Sacramentalem confessionem: & Paulus non tradidit præceptum proprium, sed quod accepit à Domino; ergo, &c.

Secundo. Quia alias Sum. Pontifex posset in hoc præcepto, sicut, & in alijs iuris humani dispensare: sed hoc est falsum, quia non potest occurrere rationabilis causa dispensandi, & dispensatio, vt licite fiat requirit causam rationabilem; ergo, &c.

Si quæras, an hoc præceptum sit iuris diuini naturalis, aut positiui? Respondetur tantum esse iuris positiui: nam non sequitur ad naturam huius Sacramenti, cum potuerit à Deo ordinari, vt cum sola contritione, & debita reuerentia ad Eucharistiã accederet homo. De facto tamen præcepit Christus, vt nullus conscius sibi peccati mortalis accedat ad hoc sacramentum, nisi se ipsum prius per confessionem probet: hocque ob specialem rationem, quia ipse in illo verè, & realiter existit.

Ad argumenta autem Caiet. respondetur. ad 1. negando minorem: quamuis enim confessio fiat Sacerdoti, & hic absoluat pęnitentem à peccatis, hoc non tollit, vt per confessionem homo se ipsum probet, sicut, & per contritionem: immo, vt ait Conc. Trid. vbi supra probatio, de qua loquitur Apostolus, & quæ iuxta eius præceptum necessaria est ei, qui sibi conscius est peccati mortalis, non solum debet fieri per con-

tri-

tritionem, sed etiam per Sacramentalem confessionem.

Ad 2. respondetur negando min. nam cum actus ille sit contra præceptum affirmatiuum, quod non obligat pro semper, sed quando est oportunitas, & possibilitas, solum est peccatum mortale, quando habetur copia confessarii, quia tunc solum est oportunitas, & possibilitas præmittendi confessionem ante communionem.

Ad 3. respondetur negando consequentiam: quia cum Sacramentum hoc realiter contineat Christum, eius sumptio maiorem præparationem requirit, quam susceptio, & ministratio aliorum Sacramentorum.

Circa articulum quintum nihil se offert dicendum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti.

Conclusio est negans.

INtelligenda est, vt eam D. Thom. explicat, de peccatore occulto; huic enim petenti sacra Communio non potest licitè denegari. Cuius rationem reddit S. Doct. *Cũ enim quilibet Christianus, ex hoc ipso, quod*

est

est baptizatus, sit admissus ad dominicam mensam, non potest ei ius suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta. Nec obstat, neminem habere ius ad aliquid, quod cedit in iniuriam innocentis, & peccatorem non posse communicare, sine iniuria Sacramenti. & ipsius Christi. Respondetur enim, si constaret Christianum per peccatum mortale amisisse ius, quod habet ad percipiendam Eucharistiam, & perceptionem eius cedere in iniuriam Sacramenti, & Christi, denegandam esse ei communionem: quia tamen, dum eius peccatum est occultum, id non constat in facie Ecclesiæ, non potest ei in publico denegari, sicut nec dum rei innocentia non constat in iudicio, potest in eo absolui, & actoribus negari, quod petunt, vt diximus 1. 2. quæstione 67, ar. 2. quamuis iudex priuata scientia sciens illum innocentem esse, possit eius liberationem procurare. Cuius simile potest etiam in nostro casu facere Sacerdos, ait namque D. Thom. hic: *Potest Sacerdos, qui est conscius criminis, occultè monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam* Domini *accedant: antequam de peccatis pœniteant, & Ecclesiæ reconcilientur.*

Quandò peccator occultus occultè petit communionem, ait D. Thom. in 4. d. 9 q. 1 ar. 5. quæstiunc. 1. *Debet denegare*, scilicet Sacerdos, hocque etiam *si Sacerdos sciat peccatum alicuius per confessionem.* Quod non est sigillum confessionis aperire, nec expro-

brare

brare peccatori ipsi peccatum in confessione cognitum: nam hoc propter alias caussas potest fieri; propter quas etiam potest qui per confessionem scit peccatum, & indignitatem alicuius, non conferre illi beneficium, & qui per confessionem cognouit poenitentem velle ipsum occidere, potest ei denegare gladium. Oppositum huius docet M Soto in 4.d.12.q.1 ar.6. *Potissimum si Sacerdos non aliter, quam per confessionem scit crimen: nam vix potest abnegatio fieri, quin esset quadam obiectio, & exprobratio confessi criminis*. Quod licet probabile sit; opinionem tamen, quam docuimus cum D.Thom. communem esset inter Thomistas, fatetur prædictus Magister.

De peccatoribus publicis inquit D.Tho. hic: *Manifestis peccatoribus non debet etiam petentibus sacra communio dari*. Quod probat optimo S. Cypriani testimonio. Vide etiam S.Chrysost.hom.81 in Matth.circa finem. Est tamen difficultas, qui censendi sint publici, & manifesti peccatores? D. Th. hic ita explicat: *Scilicet per euidentiam facti, sicut publici vsurarii, aut publici raptores; vel etiam per aliquod iudicium Ecclesiasticum, vel sæculare*. Nos 2.2.q.73.ar.2.dub.2. con. 3.id latius explicuimus. Vide ibi.

AR-

ARTICVLVS VII.

Vtrum nocturna pollutio aliquem impediat à sumptione huius Sacramenti,

Conclusio est affirmans.

TRipliciter potest nocturna pollutio contingere. Primo sine vllo peccato. Secundò cum peccato veniali. Tertiò cum mortali peccato. Quod ex causa illius discernendum est: nam peccatum esse non potest sine libertate; quod vero in somnis accidit, non potest esse liberum nisi in causa. Si ergo causa sit sine vllo peccato etiam ipsa pollutio sine peccato est. Si causa sit cum peccato veniali, etiam pollutio ipsa est, cum veniali peccato. Si causa sit cum peccato mortali, etiam pollutio est cum mortali peccato. Nam vt ait M.Soto in 4.d.12.q.1.a.7.pollutio nocturna nō est peccatū per culpā, & maculā distinctam ab ea,quæ est in causa,sed vnica est ratio peccati emanās à causa ad effectū sicut, & in actu interiori, & exteriori. Propter hoc D. Thom. hic dicit: *Quamuis nocturna ipsa pollutio secundum se considerata peccatum mortale esse non possit:nihilominus tamen ratione suæ causæ quandoque habet peccatum mortale annexum.* Hoc est denominatur; & est peccatum mortale à macula,

quæ

quę est in causa, vt Mag. Soto vbi supra exponit. Vbi, & subdit, maculam debere persistere, & libertatem perseuerare saltē virtualiter. Ex quo fit, *Quod si quis in vigilia causam daret pollutioni futuræ in somno; sed tamen antequam dormiret, eum legitimè facti pœniteret, pollutio in somno subsequens non esset peccatum*, *eo quod causa fuerit intercisa*.

Hoc supposito duo dicit Diu. Thom. de pollutione, & causa eius. Primum est: *Si sit sine peccato, vel cum peccato veniali, non ex necessitate impedit sumptionem huius Sacramēti: ita scilicet, quod homo sumendo sit reus corporis, & sanguinis Domini*. Secundum est, *Si sit cum peccato mortali impedit ex necessitate* Hoc secundum dictum certum est intelligendum esse de peccato mortali nondum per legitimam pœnitentiam deleto, & de necessitate præcepti; & de impedimento sub reatu peccati mortalis, ita vt sensus sit: si pollutio sit peccatū mortale, quod nondū est per legitimam pœnitentiā deletum impedit ex necessitate pręcepti, & sub reatu peccati mortalis; peccat enim mortaliter, qui cū cōscientia talis peccati accedit ad Eucharistiam. Si reatus culpę mortalis esset a pollutione ablatus per cōtritionem, & confessionem, nō hoc modo impediret, sed solum eo modo quo impedit pollutio, quæ est sine peccato, vel cum solo peccato veniali, vt colligitur ex solutione quarti argumenti. De qua pollutione dicit Diu. Thom. in primo dicto, non impedire ex necessitate.

Quod

Quod quidam intelligunt, sub nullius peccati etiam venialis reatu impedire; alias enim ex necessitate impediret, cum necesse sit peccatum veniale vitare, & nũquam liceat illud committere. Vnde de coniugatis dicit S. Doct. hic ad 4. cum S. Greg. eos, qui paulo ante communionem coniugalibus vacauere amplexibus, suo iudicio relinquendos esse, vt scilicet si velint ad communionem accedant: quia coitus coniugalis solum impędit secundum congruitatem, & non secundum necessitatem, ex quo aperte colligitur, non impedire ex necessitate, idem esse ac sub nullius peccati etiam venialis reatu impedire; nam si solum esset non impedire sub reatu peccati mortalis, non propterea relinquendi essēt suo iudicio tales coniugati, non enim sunt relinquendi, vt peccent venialiter. Nec obstat, quod cum eodem S. Greg. subiungit D. Thom. tales coniugatos prohibendos esse, ne accedant ad hoc sacramentum, si non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere; nam hoc intelligendum est, prohibendos esse, non pręcepto sed consilio. Non obstat etiam, quod in primo dicto ait D. Thom. pollutionem, quæ est sine peccato, vel cum peccato veniali, non impedire ex necessitate, ita scilicet, quod homo sumendo sit reus corporis, & sanguinis Domini: nam etiam sumendo indigne venialiter, aliquo modo est reus corporis, & sanguinis Domini, cum eiusdem speciei peccatum sit sumere indi-

gne

gne venialiter, ac sumere indigne mortaliter, & hæc solum distinguantur propter leuitatem,& grauitatem materiæ:vel illud addidit D. Thom. propter affirmationem secundi dicti, iu quo loquitur de necessitate præcepti sub reatu peccati mortalis. Specialiter autem nullum esse peccatum etiam veniale communicare statim post pollutionem in somnis, aut in vigilia habitam,ablata culpa etiam mortali illius per contritionem, & confessionem, probant prædicti Auctores. Tum quia Apostolus,& Concil.Trid. nullam aliam præparationem requirunt, vt homo de pane illo edat, & de calice bibat; & digne communicet,nisi probationem, quæ fit per contritionem, & confessionem. Tum etiam quia post commissa alia peccata mortalia, statim ac culpa eorum ablata est per confessionem, sine vllo peccato potest sumi Eucharistia, alias condemnandi essent multi viri timoratæ cõscientiæ,qui licet commiserint aliquod peccatum mortale ipsa die communionis, non propterea se abstinent à communione, sed illud confitentur, & communicant,vel celebrant; ergo, & post pollutionem mortaliter culpabilem,aut fornicationem, quæ licet ob corporalem immunditiam, & distractionem mentis ex illa consecutam, etiam ablata culpa aliquo modo impediat, non tamen impedit ex necessitate, aut sub reatu peccati alicuius etiam venialis, sed solũ ex quadã cõgruitate,sicut, & alię immũditiæ,& sordes corporales faciei,& manuũ.

Hæc

Hæc intelligentia,& doctrina mihi probabilis videtur, sed probabiliorem, & Diu. Thom. conformiorem esse iudico eam, quæ præsertim inter Thomistas communis est, nempe D. Thom. per non impedire ex necessitate solum intelligere in primo dicto impedire sub reatu peccati mortalis, hoc enim indicat quod ait: *Ita scilicet, quod homo sumendo sit reus corporis, & sanguinis Domini*. Nam reatum peccati mortalis significat. Vnde licet nimis rigidum, & scrupulosum censeam, quod ait Nauarrus de pœnit. d. 6. cap. 1. cum Marsilio in 4. d. 6. a. 4. peccatum mortale esse statim, immo eadem die post pollutionem, quæ est sine peccato, aut cum solo veniali, vel quæ licet fuerit cum peccato mortali, reatus culpæ ablatus est per confessionem, accedere ad Eucharistiam sine aliqua vrgente, vel honesta causa: verum tamen esse existimo, peccatum veniale esse. Id enim docet D. Tho. in 4. d. 9. q. 1. art. 4. quæstiuncula 2. vbi loquens de eo, qui ex cogitatione turpium pollutionem passus est, ait: *Si expresse inueniat consensum non præcessisse, & necessitas vrgeat, aut aliqua causa potior reformet actum, potest accedere, aut etiam celebrare non obstante corporali immunditia, aut hebetatione mentis: alias si necessitas non incumbat, videtur non exhibere debitam reuerentiam sacramento; non tamen si celebrat, mortaliter peccat, sed venialiter.* Necessitas vrget, quando sine nota communio, vel celebratio omitti nequit. Causa potior reformat actũ,

quan-

quando causa cogitationis turpium eligenda est non obstante pollutione, ac per cõsequens hebetudine mentis inde consecuta, sicut hac non obstante eligenda est audiẽtia confessionum, aut studium necessariũ. Quando pollutio fuit peccatum mortale, sed per contritionem, & confessionem reatus culpæ ablatus est, dicit ibidem ad 2. S. Doctor: *Non esset consulendum alicui, quod statim post peccatum mortale etiam contritus, & confessus ad Eucharistiam accederet, sed deberet, nisi magna necessitas vrgeret, per aliquod tempus propter reuerentiam abstinere*. Vbi illud, *Non esset consulendum*, licet iuxta primam sententiam dici possit, fuisse dictum quia tale peccatum post confessionem impedit ex consilio; melius tamen asseritur iuxta hanc secundam sententiam, dictum fuisse, quia nisi magna vrgeat necessitas impedit sub reatu venialis peccati, & peccatum veniale non est consulendum. Et quãuis M. Soto in 4. d. 12. quæst. 1. ar. 7. circa finem propositione 3. inquit, eadem sit ratio de alijs peccatis mortalibus, ac de pollutione siue in somnis, siue in vigilia mortaliter culpabili; pollutio tamen peculiarem secum affert indecentiam ratione fœditatis, & euagationis mentis, ob quam potius, quam alia peccata, impedit accessũ ad Eucharistiam. Apostolus vero, & Concilium Trid. requirunt quidem probationem, quę fit per contritionem, & confessionem; supponunt tamen accessum ad Eucharistiam post talem probationem debere

bere fieri propter debitum finem ; & cum debita reuerentia Sacramenti. Vnde ficut peccaret venialiter, qui post confessa peccata mortalia communicaret ob inanem gloriam : ita venialiter peccaret, qui post commissum peccatum mortale præsertim pollutionis voluntariæ, aut fornicationis, statim etiam contritus, & confessus ad Eucharistiam fine causa legitima, & necessitate accederet, quia non accederet cum debita reuerentia Sacramenti, quod maximam puritatem, & munditiam requirit. Quod si coniugat. etiam si non sint mundi à mulieribus, suo iudicio relinquendi sunt, vt hic ad 2. cum S. Greg. dicit D. Thom. hoc ideo est, quia causa procreandæ sobolis actum reformat ; quamuis consulendi sint, vt eo die, quo coniugalibus amplexibus vacâ uere, non communicent. Quę causa si non adesset, sed propter voluptatem, & delectationem actum matrimonij exercuissent, prohiberi deberent ne accedant ad Sacramentum ; vt cum eodem S. Greg. dicit ibidem D. Thom. quia scilicet rei essent peccati venialis, hocque incurrerent, nisi necessitas cõmunicandi vrgeret, causa enim voluptatis, & delectationis non potest actum reformare.

AR-

ARTICVLVS VIII.

Vtrum cibus vel potus praeassumptus impediat sumptionem huius Sacramenti.

Conclusio est affirmans.

IMpedit cibus, vel potus præassumptus sumptionem huius Sacramenti, non secundum se, sicut illam impedit peccatum mortale, sed propter prohibitionem Ecclesiæ, eiusque morem vim legis habentem: ait namque S. Augustin. Epist. 118. & refertur Can. *Liquido*, De consecrat. d. 2. *Placuit Spiritui Sancto, vt in honorem tanti Sacramenti, prius in os Christiani Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. Nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur.* Irridet hunc morem Lutherus cuius præcipua argumenta sunt primum, & secundum huius articuli. Sed ipse potius irridendus est, qui machinis argumentorum iam ante ipsum hic à D.T. confractis, conatur firmissimum murum moris, seu legis Ecclesiæ euertere. Superuacaneum mihi videtur cum illo contendere, præsertim cùm ab alijs, & inter illos à Mag. Soto in 4. d. 12. q. 1. art 8. optimè sit impugnatus.

Ex prædicto more colligitur, quod hic ad 4. dicit D. Thom. ieiunium, quod requi-

ritur ad sumendum hoc Sacramentum, esse ieiunium naturæ, *Quod importat priuationem cuiuscumque prææssumpti per modum cibi, vel potus*. Vnde qui post assumptum aliquid cibi, vel potus non ieiunus ieiunio naturæ communicat, mortaliter peccat, nisi inaduertentia, aut ignorantia eum excuset. Ob quam Caiet. in sum. verbo *Communio*, excusat quendam bonum Sacerdotem, qui nesciens distinguere inter ieiunium Ecclesiæ, & ieiunium naturæ pro reuerentia sacraméti præaccipiebat nucem muscatam, vt bonum odorem stomachi Eucharistiæ præpararet.

Hinc infert D. Thom. *Et ideo neque post assumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ in quantumcumque paruâ quantitate licet hoc Sacramentum accipere. Nec refert vtrum aliquid huiusmodi nutriat, vel nõ nutriat, aut per se, aut cum alijs, dummodo sumatur per modum cibi, vel potus*. Vbi aduertendum est, illud sumi per modum cibi, vel potus, quod sumitur eo modo, quo cibus & potus sumitur, comedendo scilicet, vel bibendo. Et quia quando aqua, vel tabacum sumitur per nares, non sumitur comedendo, & bibendo, dicunt multi non impedire sumptionem Eucharistiæ, etiam si in stomachum transmittatur, sicut nec impedit clysteris acceptio, etiam si vsque ad stomachum perueniat ius. Idem dicũt quando per modum respirationis attrahitur aliquid, etiam si possit nutrire, vel alterare, vt culex, musca, vel quid simile: pro-

ba-

babile etiam esse asserunt nonnulli, eum qui parum papiri, aut alterius rei non comestibilis, vt ligni, vel vnguium propriarũ inaduertenter deglutiret, posse communicare. Secus esse dicunt de mulieribus, quę terram, aut carbones, vel aliud simile comedunt: nam quamuis non sit comestibile, nec nutriat, sumitur tamen per modum cibi, aut delectabilis, aut quasi medicinalis, vt colorem minuat.

De reliquijs cibi, vel potus remanentibus in ore subdit D. Thom. *Reliquiæ cibi remanentes in ore, si casualiter trãsglutiantur, nõ impediunt sumptionem huius Sacramenti: quia non traijciuntur per modum cibi, sed per modũ saliuæ. Et eadem ratio est de reliquijs aquæ, vel vini, quibus os abluitur, dummodo non traijciantur in magna quantitate, sed permistæ saliuæ, quod vitari non potest.* Quidam attendentes illud, *Si casualiter transglutiantur*, existimant, mentem D. Thom. esse, si ex intentione, aut industria transglutiantur, manere hominem impeditum à sumptione Eucharistiæ: quia tunc non sumuntur per modum saliuæ, sed per modum cibi. Alij considerantes D. Thom. non expresè hoc dixisse, putant non esse alienum ab eius mente, si prædictæ reliquiæ cibi transglutiantur voluntariè, non impedire communionem: quia non propterea sumuntur per modum cibi, sed per modum saliuæ, nisi tam magna esset reliquia cibi, vt dentibus frangi, ac diuidi posset: alias nec reliquias aquæ, vel vini in parua quantitate permi-

stas saliuæ aduertéter deglutire posset, quis ante communionem, sed deberet semper expuere, quousque nihil humiditatis aquę, vel vini sentiret in ore, quod nimis scrupulosum videtur.

A quo tempore prædictum ieiunium naturæ debeat incipere, explicat D.Thom. hic ad 5.dicens: *Ecclesia Romana diem à media nocte incipit. Et ideo si post mediam noctē aliquis sumpserit aliquid per modum cibi, vel potus, non potest eadem die hoc sumere sacramentum: potest vero, si ante mediam noctem.* Hinc inferunt nonnulli, illum, qui audita hora noctis duodecima (quæ apud Hispanos, & alios mediam noctem indicat,) aliquid comederit, vel biberit, non posse facto mane communicare, etiam si dubitet an sit media nox, quia postea alia horologia horam duodecimam pulsauerunt. Alij communicare posse existimant: quia diuersorum horologiorum sonitus perinde se habent, ac si essent duæ opiniones probabiles, quarum vtramque licet sequi; nisi forte vnum regulariter erraret. Vbi vero vnum tantum est horologium, asserunt: statim, ac primus pulsus horæ auditur, teneri eum, qui comedit, statim buccellam de ore proijcere, si velit sequenti die communicare, quia quando primus pulsus auditur, iam est hora expleta. Subdunt tamen nonnulli, si quis est dubius, an noctis medium comedendo excesserit, posse die sequente communicare: & idem est si dubitat an os abluendo guttam aliquam deglutic-

tierit: quia lex Ecclesiastica de ieiunio seruando à communicaturis nō videtur tam arctè constringere conscientias in casu dubio, quæ sententia similis videtur ei, quam retulimus 1.2 q.19. art. 6. dub. 5. con. 3. eum qui dubitat an fecerit aliquid pro quo statuta est pœna excommunicationis, posse celebrare.

Post communionem, dicit D. Thom. hic ad 6. licet secundum antiquos canones statutum fuerit, vt communicantes aliquot horis abstinerent à cibo, & potu; hoc tamen per contrariam consuetudinem esse abrogatum: *Debet tamen esse aliqua mora inter sumptionem huius sacramenti, & reliquos cibos. Vnde & in Missa oratio gratiarum actionis post communionem dicitur.* Quibus vltimis verbis indicat S. Doct. tempus, quod in Missa est inter communionem, & Missā expletam esse sufficientem moram. Vnde Mag. Soto vbi supra ait: *Quantum ad præcepti necessitatem attinet, à Sacristia potest Presbyter ad prandium ire.* Et D. Thom. in 4. d. 8. q. 1. art. 4. quæstiunc. 3. inquit: *Statim potest aliquis cibos alios sumere post Eucharistiæ sumptionem.*

Quamuis autem ea, quæ diximus verā sint, inquit D. Thom. ad finem corp. artic. *Ab hoc tamen generali regula excipiuntur infirmi, qui statim communicandi sunt, si de eorū periculo dubitatur, ne sine communione decedant: quia necessitas legem non habet. Vnde dicitur de consecrat. dist. 2. Presbyter infirmum statim communicet, ne sine communione moria-*

 tur.

tur. Idem est de damnatis ad mortem, quamuis ij si præscierint eodem die morituros, teneantur ieiunare, donec communicauerint, quia commode possunt.

Si quæras, an in eadem infirmitate possint infirmi non ieiuni post sumptum Viaticum communicare? Responderi solet communiter, posse, dummodo inter vnam, & alteram communionem mediet tempus sex, vel octo dierum. Non desunt tamen, qui dicant, si mortis periculum semper instat, posse etiam altero die post Viaticum sumptum, & deinceps quotidie cōmunicare non ieiunum: quia in mortis periculo non solum permittitur non ieiuno communio, vt possit implere præceptum accipiendi Viaticum, sed etiam, quia moriturus valde indiget huius sacramenti præsidio.

Cauenda est tamen opinio Maioris asserentis, licet Presbytero, ne infirmus sine Viatico moriatur, consecrare post prandiū hostiam; immo, & buccellam panis fermentati, si nō esset hostia ex azymo, hocque secreto sine vestibus sacris, & sine Missa per sola verba consecrationis. Hanc enim sententiam optimè impugnat Mag. Soto vbi supra circa finem articuli, quem vide.

AR-

ARTICVLVS IX.

Vtrum non habentes vsum rationis debeant suscipere hoc Sacramentum.

Conclusio est affirmans.

INtelligenda est de his, qui non perfectũ, sed debilem habent vsum rationis, & de his, qui licet actu non habeant, habuerunt tamen aliquando perfectum rationis vsum, quales sunt phrenetici; quibus in mortis articulo hoc Sacramentum exhiberi debet, nisi timeatur periculum vomitus, vel exputionis.

De his verò, qui nunquam habuerunt vsum rationis, inquit D Thom. *Talibus non est hoc Sacramentum exhibendum: quia in eis nullo modo præcessit huius Sacramenti deuotio*. Huiusmodi dicit ad 3. esse perpetuo amentes, & pueros recenter natos; *Quamuis quidam Græci contrarium faciant*. Quibus verbis non damnat consuetudinem exhibendi paruulis Eucharistiam; non enim ait Concil. Trident. sess. 21. cap. 4. *Damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando obseruauit*. Sed solum intendit, non obstante illorum Græcorum consuetudine, non esse dandam Eucharistiam paruulis, sicut eis non dat Ecclesia Romana; cuius consuetudo rationabilior est. Aut

si damnat illorum Græcorum consuetudinem, hoc ideo est, quia forte existimabāt illud esse necessarium ad salutem paruulorum, sicut, & hæretici nostri temporis, contra quos diffinit Concil. Trident. sess. 21 can. 4. *Si quis dixerit, antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse communionem; anathema sit.*

Si quæras, an si infantibus detur communio, gratia in eis augeatur? Caietanus cum opinetur ad recipiendum effectum huius Sacramenti requiri actualem deuotionem, negando respondet. Mag. Soto in 4. dist. 12. art. 9. ait: si verum esset, Ecclesiam Catholicam aliquando habuisse in consuetudine dare infantibus Eucharistiā, certum esse si modo daretur conferre gratiam; sed quia illud non est adeo certum, posse teneri, non conferre gratiam, si daretur infantibus: quia requirit actum liberū præsentem, vel præcedentem. Sed communis sententia est, infantes si daretur eis communio, recepturos augmentum gratiæ: nam Concilii Trident. vbi supra ait, nō esse damnandam antiquitatem, si in quibusdam locis morem dandi paruulis Eucharistiam aliquando obseruauit: at damnanda esset, si Eucharistia non contulisset paruulis augmentum gratiæ, nam non licet dare alicui Sacramentum, qui non est capax effectus illius, ergo sicut modo, quādo datur phreneticis, gratiam in illis auget, ita, & augeret paruulis, si eis daretur. Cōfirmatur, Sacramenta conferunt gratiam

non

non ponentibus obicem: sed paruuli baptizati non ponunt obicem huic Sacramento; ergo si eis daretur, augmentum gratiæ obtinerent. Et non est eadem ratio, si adulto dormienti,& omnino ignoranti daretur Eucharistia: quia in hoc requiritur voluntas sumendi illam præsens, aut præcedens; in paruulis vero sufficit aliena voluntas, sicut, & ad Baptismum, quem cũ recipiunt, ordinantur ab Ecclesia ad Eucharistiam.

Circa articulum decimum nihil se offert dicendum.

ARTICVLVS XI.

Vtrum liceat omnino à communione cessare.

Conclusio est negans.

Dubium. Quando teneatur homo cõmunicare.

DVplici præcepto tenetur homo aliquãdo cõmunicare: licet enim D. T. in 4. d. 9. q. 1. art. 1. quæstiuncu. 2. videatur obligationem diuini præcepti nõ admittere; hic tamen eam esse docet dicens: *Manifestum est, quod homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solum ex statuto Ec-*

clesia, sed ex mandato Domini dicentis Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem . Explicandum est ergo, quando ex vi pręcepti diuini, & quando ex vi præcepti Ecclesiastici teneatur homo communicare.

Dicendum est 1. Ex vi præcepti diuini obligari fideles baptizatos ad cōmunicandum non solum semel in vita, sed quoties in articulo mortis sunt constituti; & præter articulum mortis aliquoties in vita. Primam partem probat optimè M. Soto in 4. d. 12. q. 1. art. 11. contra Paludanum. Nam cum hoc Sacramentum per modum cibi, & potus ordinetur ad nutritionem spiritualis vitę, eius natura docet multoties esse sumendum; de ratione enim alimenti est, vt non semel in vita tantum, sed frequentius accipiatur. Vnde Ecclesia prospiciens hanc diuini pręcepti obligationem semper curauit, vt fideles sæpius communicarent: in sui quidem primordijs quotidie, postea saltem ter in anno, & modo saltem semel singulis annis, vt art. præced. ad 5. dicit D. Thom.

Secundam partem probat idem M. Soto vbi supra contra Syluestrum. Mos enim præbendi Viaticum infirmis per totum orbem Christianum inuiolabiliter obseruatus magnum documentum est, ex traditione Apostolorum tanquam diuino iure præceptum descendisse. Vnde can. *De his* 26. q. 6. ex Conc. Nicęno dicitur: *De his qui recedunt ex corpore, antiqua legis regula obseruabitur nunc etiam: ita vt si forte, quis recedat*

cedat ex corpore, necessario vitæ suæ non defraudetur Viatico. Necessarium autem Viaticũ absolutè dicitur, non nisi ratione præcepti diuini, quo tenetur homo in tempore, quo ex hac vita debet migrare, se communire, vt contra illusiones, & pugnas dæmonum virtutẽ habeat, & in fortitudine cibi istius possit deambulare vsque ad montem patriæ cælestis.

Si dicas, hinc sequi, non posse vllũ etiam ob sua crimina priuari Viatico. Respondetur negando sequelam: quia sicut iudex potest per sententiam priuare reum cibo necessario ad conseruandam vitam, quamuis reus ad vitæ suæ conseruationem teneatur præcepto iuris diuini naturalis. Ita Ecclesia potest ob iustas causas maxime ob reuerentiam huius Sacramenti priuare aliquos ob sua crimina ducendos ad patibulum necessario Viatico, ad quod accipiendum ipsi iure diuino tenentur, quamuis excusentur, quando illo priuantur, quia commode accipere nequeunt. Nihilominus tamen, vt pia mater consuetudines hoc faciendi in nonnullis prouinciis introductas reuocauit, vt patet ex c. *Super eo*, De hæreticis in 6. & ex quodam Motu proprio Pii V. edito anno 1569 in quo reuocatur consuetudo introducta in Hispania non ministrandi Eucharistiam damnatis ad mortem.

Ex his colligit Mag. Soto vbi supra, eum, qui renueret in mortis articulo hoc Sacramentum sumere, non posse à peccato mor-

tali excusari: transgrederetur enim diuinũ præceptum, & fideles scandalizaret. Subdit tamen cum Paludano, si paulo ante sumpsisset ex deuotione, non esse peccati mortalis condemnandum, quod intelligẽdum est secluso scandalo. Nec obstat, non habuisse intentionem satisfaciendi obligationi præcepti diuini: nam vt diximus 1. 2. quæst. 100. art 9. ad præcepti impletionem non requiritur intentio actualis, & expressa illud implendi, sed sufficit virtualis, quam habet quicumque facit, quod lege præceptum est absque contrario actu, & explicita volitione non implendi. Vnde sicut qui audit Missam ex deuotione, ignorans esse diem festum, satisfacit obligationi audiendi sacrum, & licet postea aduertat esse diem festum, non tenetur iterum audire: ita qui ex deuotione communicat, ignorans instare sibi mortis articulũ, obligationi cõmunicãdi in mortis articulo satisfacit. Sunt etiam qui dicant cum Caietan. in Sum verbo *Communio*, illum, qui communicauit in Paschate, etiam si multo post incidat in mortis periculum, non peccare, mortaliter, si tunc iterum non communicet, dummodo contemptus desit, & scandalum non sit. Sed hoc aliis displicet; quia præcepto communicandi in articulo mortis satisfieri nõ potest per communionem tandiu precedentem: vnde si vltra octo, aut decem dies præcedat, non sufficit ad impletionem præcepti sumendi viaticum in mortis articulo. Si post communionem

paulo

paulo ante mortem sumptam aliquis peccaret mortaliter, Mag. Soto vbi supra insinuat teneri iterum communicare. Aliis videtur, sufficere ei confiteri peccatum, sicut, & illi, qui post sumptum Viaticum mortaliter peccauit: alias enim contingeret, vt eodem die teneretur secundo communicare.

Tertia pars eodem argumento, quo prima probatur; sicut enim cibus corporalis sæpius sumi debet in vita, & hoc Sacramentum, quod est cibus spiritualis. Quoties autem in vita sumi debeat, non potest certo statui. Si quis præceptum Ecclesiæ communicando singulis annis in Paschate obseruat, absque dubio etiam implet præceptũ diuinum. Qui vero ad tres, vel quatuor annos communionem differt, diuinum ius violare multi dicunt.

Dixi in conclusione, fideles baptizatos nam non baptizati non tenentur precepto diuino ad communionem, sicut nec ad cõfessionem, vt docet Mag. Soto in 4. d. 18. q. 1. ad 3. con. 1. & probat; *Ius diuinum supernaturale solum obligat vniuersum orbem ad suscipiendam euangelicam fidem: obligatio autem ad alia præcepta singularia Sacramentorum non exurgit, nisi ex ipsa professione fidei, quæ fit in Baptismo: quemadmodum si quis facit votum simplex religionis, licet teneatur ad religionem, non tamen ad eius cæremonias, & officia, donec illam profiteatur.*

Huius oppositum tenent quidam recẽtiores, & probant 1. Præcepta diuina generaliter

neratim prolata omnes capaces obligant: sed præceptum diuinum de communione generatim est prolatum, & infideles non baptizati sunt illius capaces, quia si velint baptizari, possunt illud implere; ergo etiã illos obligat.

Secundò. Quia Christus hoc præceptũ promulgauit Capharnaitis, quorum maxima pars non erat baptizata, & tamen omnibus dicebat, *Nisi manducaueritis &c.* ergo etiam non baptizatos hoc præceptũ obligat.

Tertiò. Qui sunt in peccato mortali ad communionem obligantur; non quidem, vt communicent existentes in peccato, sed vt pœnitentiam agant, & sic communicent; ergo similiter non baptizati tenentur ad communionem, non quidem, vt communicēt antequam Baptismum suscipiant, sed vt baptizentur, & sic communicent.

Sed hæc sententia falsa est. Tum propter argumentum factum à M. Soto. Tum etiam quia sancti Martinus, & Ambrosius, qui diu Baptismum distulerunt, contra præceptũ hoc diuinum communicandi peccassent mortaliter. Tum denique, quia non baptizati non tenentur ad confessionem, ergo neque ad communionem. Respondent prædicti recentiores diuersam esse rationem: quia præceptum confessionis non obligat nisi eos, qui post Baptismum in peccata mortalia sunt relapsi. Quare nondum baptizati nec capaces sunt confessionis, nec tenentur se reddere capaces: quia

&

& si teneantur baptizari, non tamen tenentur post Baptismum peccare, & donec ita peccent eius incapaces sunt. Secus est de præcepto communionis, quia omnes vtentes ratione tenentur se capaces reddere huius sumptionis. Hæc tamen solutio multa continet falsa. Quod enim asserit, præceptum confessionis non obligare nisi eos, qui post Baptismum in peccata mortalia sunt relapsi, videntur esse contra diffinitionem Concil. Trid. sess. 6. can. 2. *Si quis hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obseruantiam mandatorū Dei, & Ecclesiæ; anathema sit*. Quamuis enim præcepta affirmatiua non obligent pro semper; obligant tamen semper pro tempore, quo instat eorum adimpletio, illisque pro tali tempore tenentur, & subiecti sunt omnes, qui iurisdictioni imponentis illa sunt subiecti, quamuis iusti, & sine peccato sint, vt diximus 1. 2. q. 96. art. 5. dub. vnic. in principio. Deinde quod dicit, homines fieri capaces confessionis per peccata falsissimum est: non enim per peccata, sed per Baptismum, qui est omnium Sacramentorum ianua, confessionis capaces fiunt: & quamuis antequam peccent, non indigeant confessionis medicina, illius tamen iam capaces sunt, sicut, & cibi, & potus Eucharistiæ; ergo sicut omnes vtentes ratione tenentur se capaces reddere communionis, ita, & confessionis.

Ad argumenta autem prædictorum recentiorum facile respondetur. Ad 1. negan-

gando minorem: nam infideles non Baptizati non sunt præcepti communionis capaces, nisi dum Baptismum susceperint, sicque non illo obligantur, nisi post susceptionem Baptismi, sicut nec præcepto confessionis.

Ad 2. respondetur, Christum hoc præceptum Capharnaitis omnibus promulgasse, vt scirent illo teneri, non quidem immediata obligatione, sed post Baptismũ, ad quod omnes immediate erant obligati: & vt ex necessitate sumptionis Eucharistię magis inducerentur non Baptizati ad suscipiendum Baptismum, sine quo Eucharistia sumi nequit.

Ad tertium respõdetur, eos, qui sunt in peccato mortali, obligari ad cõmuionem, quia illius iam capaces sunt, quamuis illam licite sumere non possint, nisi disponantur & per pœnitentiam se ipsos probent: non baptizati vero adhuc illius capaces non sunt, & sic ad illam adhuc non obligantur, sed solum ad illam sumendam se capaces reddendũ, quod est obligari ad Baptismũ, quo huius Sacramenti, & aliorum capaces fiunt: sicut qui votum simplex religionis fecit, non tenetur ad officia religionis, sed ad solemnem professionem, quo se ad talia officia capacem reddat, & ad præcepta religionis obligetur.

Dicendum est secundò. Præcepto Ecclesiastico obligari ad communicandum omnes vtriusque sexus fideles, postquam ad annos discretionis peruenerint, semel in anno,

anno, nempe in Paschate. Patet hoc ex cap. *Omnis*, De pœnit.& remiss. vbi sic dicitur: *Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere, suscipiens reuerẽter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi forte de proprij Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin, & viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* Patet etiam ex Concil. Trid. sess. 13 can. 9. vbi sic habetur: *Si quis negauerit omnes, & singulos Christi fideles vtriusque sexus, cum ad annos discretionis peruenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, iuxta praeceptum sanctæ matris Ecclesiæ: anathema sit.*

Circa quæ verba multæ se offerunt difficultates, quas hic explicare oportet, prima est, quid per annos discretionis intelligendum sit? Ad quam præter dicta 1.2.q.96. ar.5. dubio vnico, con. 5. respondetur, per annos discretionis intelligendos esse eos, in quibus pueri, non solum sunt doli capaces, & peccare possunt, sed etiam talem discretionem habent, vt hoc mysterium capere possint, & cognoscere exellentiam huius Sacramenti, ad illudque cum debita reuerentia, & deuotione accedere, vt indicant verba illa *Suscipiens reuerenter*. Vnde Diu. Thom. in 4. d. 9. quæst. 1. a. 5. quæstiunc. 4 ait hoc

hoc Sacramentum posse dari pueris, *Cum sint decem, vel vndecim annorum, aut circa, si in eis signa discretionis appareant, & deuotionis.*

Secunda est, quid Paschatis nomine sit intelligendum? Ad quam respondetur, intelligendum, non solum diem ipsum Paschæ Resurrectionis Christi, sed etiam dies omnes à Dominica palmarum, vsque ad Dominicam in albis, ita enim declarauit Eugenij IV. vt refert Nauarrus cap. 21. numero 45. In multis etiam locis huic præcepto satisfit, qui in aliquo die quadragesimæ communicat.

Tertia est, an qui videt se impediendum, ne in Paschate cōmunicet, teneatur tempus præscriptum præuenire? Ad quam quidam negando respondent: Tum quia qui videt se impediendum ne ieiunet in Quadragesima, aut ne audiat Missam in die festo, non tenetur prȩuenire tempus, & ante illud ieiunare, & sacrum audire; ergo neque, qui videt se impediendum ne in Paschate communicet. Tum etiam, quia alias, qui credens futurum tale impedimentum ante tempus paschale communicasset, si casu illud impedimentum non superuenirer; non teneretur secundo communicare: sed hoc est falsum; ergo, &c. Alij affirmando respondendum esse dicūt: Tum quia colligitur ex illis verbis Concil. Trid. *Teneri singulis annis saltem in Paschate*, præceptum communicandi obligat intra annum estque onus, non solum dierum

Pas-

Paſchatis, ſed totius anni, & non limitatur ad tempus Paſchæ ad tollendam obligationem ante illud, ſi præuidetur impedimentū, ſed vt vltra illud non differatur cōmunio. Tum etiam, quia præuidet in die feſto non poſſe audire ſacrum hora duodecima, tenetur præuenire horam; ergo ſimiliter, qui præuidet in aliquo anno non poſſe communicare in Paſchate, tenetur tale tempus præuenire. Mihi hoc probabilius videtur. Vnde ad primam oppoſitæ ſententię nego conſequentiam, quia ieiunare eſt onus temporis quadrageſimalis, & audire Sacrum eſt onus diei feſti, & ideo non tenemur tale tempus, aut diem præuenire; communio vero non eſt ſolum totius anni, & ideo licet non teneamur præuenire annum, tenemur tamen præuenire tempus Paſchæ, ſi in illo præuidemus nos à communione fore impedituros: ſicut in die feſto conſtituti, licet non teneamur præuenire diem, tenemur horam præuenire, ſi præuidemus hora duodecima fore impedituros à Miſſa audienda, quia obligatio audiendi Miſſam, non ſolum eſt onus talis horæ, ſed totius mane talis diei. Ad 2. nego maiorem: nam quilibet tenetur communicare in Paſchate, & in anno, & licet obligationi communicandi in anno ſatisfiat communicando in Paſchate, quia eſt aliquid anni, obligationi tamen communicandi in Paſchate non ſatisfit communicando in anno extra tempus Paſchatis: ſicut, qui ex præcepto

Epiſ-

Episcopi tenerentur in die festo audire Missam maiorem, si præuiderent non posse illam audire, tenerentur audire Missam priuatam, qua audita, si casu illud impedimentũ non superueniret, tenerentur maiorem Missam audire, & huic obligationi non satisfecissent audiendo Missam priuatam. Alij negant minorem: dicunt enim, illum non teneri secundò communicare secluso scandalo: immo addunt, illum, qui antequam præuideret impedimentum cõmunicauit intra annum, cum præuidet impedimentum, non teneri tunc iterum cõmunicare, sed ad præceptum Ecclesiæ implendum sufficere primam communionem intra annum factam: sicut, qui ignorans esse diem festum audiuit Missam hora sexta, etiam si hora nona sciat diem festũ esse, & pręuideat hora duodecima non posse audire sacrum, non tenetur secundo illud audire, sed sufficit illud hora sexta audiuisse.

Quarta est, an qui in Paschate non communicauit, teneatur post communicare ante Pascha sequens? Ad quam quidam affirmando respondent. Sed opposita sententia negans, quam tenent S. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 3. Syluester verbo *Eucharistia* 3. q. 15. M. Soto in 4. d. 18. q. 1. ar. 4. ad finem, & alij, mihi probabilior videtur. Sicut enim, qui non ieiunauit in Quadragesima, non tenetur post illam ieiunare; ita, qui non communicauit in Paschate, licet tunc peccauerit, non tenetur post cõmu-

municare ante Pascha sequens. Quod intelligendum est, nisi per censuras cogeretur ab Episcopo, vt prima data occasione communicaret: aut nisi ante Pascha sequens instaret obligatio præcepti diuini, quia plurimis annis communionem omisisset.

Quinta est,an qui in peccato mortali sacrilegè communicat satisfaciat præcepto communicandi? Ad quam quidam affirmando respondent cum M.Soto lib.2. de iustitia, quæst. 3.ar.10.quia Ecclesia solum actum externum communionis præcipit, & licet iubeat reuerenter communicare, hoc intelligendum est de reuerentia externa; non enim præcipit Ecclesia interiorem reuerentiam, cum sit valde difficilis, nec communionem spiritualem, ad quam pertinet dispositio interior, quæ non est de ratione sumptionis sacramentalis, sicut attentio est essentalis orationi, & formalis integritas confessioni. Vnde sicut,qui cum affectu ad peccatum mortale, & sacrilegè baptizatur, aut confirmatur, præceptum Baptismi, & confirmationis implet: ita, & qui eodem modo communicat, implet præceptum communionis, quia realiter,& verè recipit Sacramentum, quod solum præcipit Ecclesia. Alij negando respondent cum Durando in 2.d.28.q.4. & Adriano in 4.qæst. vlt. de confessione: nam cum præceptum Ecclesiæ sit quædam determinatio præcepti diuini, videtur, Ecclesiam talem communionem præcipere, qualem Chri-

Christus prçcepit, nempe piam,& religiosam, vt denotat illud *Reuerenter* capitul. supra citati. Vnde sicut si Prælatus alicui prçciperet, vt sumet cibum, huic præcepto non satisfaceret, qui sumeret cibum veneno infectum: qui ei mortem afferret: ita nec præcepto Ecclesiæ satisfacit, qui Eucharistiam, quæ mors est malis, in peccato mortali suscipit. Vtraque sententia probabilis est.

ARTICVLVS XII.

Vtrum liceat corpus Christi sumere sine sanguine.

Conclusio est affirmans.

VBi de corpore Christi sub speciebus panis,& de sanguine Christi sub speciebus vini est sermo,& sic conclusio certa est secundum fidem diffinita in Concil. Constantien.sess.13.& Trident.sess.21.cap.1, & can. 1. his verbis: *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes, & singulos Christi fideles vtranque speciem Sacratissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; anathema sit.*

Du-

Dubium. An communicanti sub vtraque specie, cæteris paribus, conferatur maior gratia, quam sub vna tantum specie communicanti.

PArs affirmans probatur 1. communicans sub vtraque specie, sumpto Sacramento, quantum ad species panis, postea sumendo quantum ad species vini aliquid gratiæ recipit, alias potus ille Sacramentalis non conferret, quod significat, dignè sumenti; ergo maior gratia confertur communicanti sub vtraque specie, quam tantum sub vna communicanti.

Secundò. Vtilius est sumere Sacramentum integrum, quam sumere partem illius: sed qui communicat sub vtraque specie, sumit integrum Sacramentum, qui vero communicat sub vna tantum specie, solum partem Sacramenti sumit; ergo illi vtilius est, & maior gratia confertur, quam huic. Maior probatur, nam integrum Sacramentum perfectius significat gratiam cibantem, & reficientem; ergo, & perfectius illam causat, ac proinde vtilius est illud integrum sumere.

Tertiò. Qui duo suscipit Sacramenta, Eucharistiæ, scilicet, & Ordinis, vel Matrimonij, cæteris paribus maiorem recipit gratiam, quam qui solum vnum recipit; ergo etiam, qui vtramque speciem Sacra-

men-

menti Eucharistiæ suscipit. Probatur consequentia, quia quælibet species non minus habet rationem instrumenti, & virtutem collatiuam gratiæ, quam si esset distinctum Sacramentum ab alia.

Dicendum tamen est Cōmunicanti sub vtraque specie, cæteris paribus non conferri maiorem gratiam, quam sub vna tantum specie communicanti. Docent hoc Caiet. hic, M. Soto in 4. d 12. q. 2. art. 12. & communiter discipuli D. Thom. & alii, licet nonnulli oppositum probabile esse asserant.

Probatur primo, ex S. Doct. hic ad 3. dicente: *Potest à populo corpus sine sanguine sumi. Nec exinde sequitur aliquod detrimentum: quia sub vtraque specie totus Christus cōtinetur.* Si maiorem gratiam reciperet, qui communicat sub vtraque specie, aliquod detrimentum sequeretur populo sumenti corpus sine sanguine, maioris scilicet gratiæ defectus; ergo, &c.

Secundo, ex Conc. Trid. sess. 21. c. 3. docente: *Fatendum esse, etiam sub altera specie totū atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi: ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui vnam speciem solam accipiunt.* Si dicas, Concilium non dicere nulla gratia priuari, sed solum, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, contra hæreticos asserentes, necessariū esse ad salutem sumere hoc Sacramentum sub vtraque specie. Fateor propter hoc oppositam sen-

ten-

tentiam excusari ab omni censura, & vt ait M. Soto vbi supra, nullam continere absurditatem, nam & si vera esset, nullam iniuriam fecisset Ecclesia sæcularibus, priuando eos communione sub vtraque specie, quia præcipuam curam debuit Ecclesia habere, cauendi periculum effusionis sãguinis. Sed negari non potest nostram conclusionem valde insinuari in prædictis verbis Conc. Trident. Tum quia nec gratia collata per vtramque speciem est simpliciter necessaria ad salutem, vt docet D. Thõ. supra q. 72. art. 3. ergo Concilium non solũ vult eos, qui vnam tantum speciem accipiunt, non defraudari gratia simpliciter necessaria ad salutem, sed nec etiam necessaria ad melius, & perfectius salutem cõsequendam, quam haberent, si sub vtraque specie communicarent, & qua defraudarentur, si sub nulla communicare prohiberentur. Tum etiam, quia Conc. eadem vtitur ratione, qua D. Thom. scilicet, quia Christus totus continetur sub qualibet specie: sed hæc non solum probat, non defraudari prædictos gratia simpliciter necessaria ad salutem, sed nec etiam ea, quam accipiunt communicantes sub vtraque specie, ergo, &c. Minor probatur, nam vt hic §. *Secundum*, ostendit Caietan. quod causat gratiam, non est solum, quod ex vi verborum continetur in hoc Sacramento, sed etiam, quod per concomitantiam in eo continetur, alias diuinitas gratiam huius Sacramenti non causaret, ergo

cum communicantes sub specie panis tantum, non priuentur sumptione sanguinis, vt contenti in hoc Sacramento per concomitantiam, etiam si priuentur sumptione eiusdem sanguinis, vt ex vi verborum in eo continetur, nulla prorsus gratia priuantur; gratiam enim, quam causat sanguis sumptus, vt ex vi verborum continetur in hoc Sacramento, causat etiam sumptus, vt in eo continetur per concomitantiam.

Dixi in cōclusione, cœteris paribus, quod & dicit Caiet. hic §. *Ex quibus*: quia si qui cōmunicat sub vtraq; specie, saltē quando recipit speciē vini, melius esset dispositus, quam qui sub vna specie communicat, maiorem absque dubio gratiam reciperet, quā ille, & quam ipsemet recipit quando sub specie panis communicauit: nam Sacramenta melius dispositis maiorem gratiam conferunt.

Ad 1. autem factum in principio respōdetur, antecedens solum esse verum, si quando recipit speciem vini est melius dispositus. Cuius rationem assignat Caiet. hic ad 4. *Quoniam idem est vtrobique agens, & idem patiens æqualiter vtrobique dispositum, & perinde quo ad interiorem fructum se habet, ac si post sumptam hostiam vnam, aliam sumeret, vt contingit sumentibus reliquias sacramenti*. Si dicas, semper quando communicans, sub vtraque specie sumit speciem vini, esse magis dispositum, nam iam habet maiorem gratiam habitualem. Respondetur, gratiam habitualem, quæ per

ipsum

ipsum Sacramentum confertur, nullo modo disponere ad gratiam, quæ per ipsum Sacramentum confertur; quia simul esset dispositio ad Sacramentū, & effectus eiusdem Sacramenti. Et quamuis post gratiæ collationem duret sumptio Sacramenti; respectu tamen diuinæ acceptationis iam censetur moraliter per acta: quia Deus intuitu totius sumptionis, & tanquam effectum totius communionis gratiam confert, cum primum sumitur species panis, aut prima hostia cū eadem prorsus dispositione, qua sumitur species vini, aut secunda hostia.

Ad 2 respondetur negando maiorem. Ad probationem dico, licet integrum Sacramentum perfectius significet gratiam; non tamen significare perfectiorem gratiam: sicut licet Baptismus factus per immersionem perfectius significet effectum Baptismi, quam factus per effusionem, aut aspersionem, vt hic §. *Secundo*, explicat Caietan. non tamen perfectiorem effectum significat, aut causat. Et idem est de Matrimonio contracto per verba, licet enim significet vinculum matrimoniale magis perfecte, quam matrimonium contractū per sola signa, aut nutus; non tamen significat, aut facit maius, aut perfectius vinculum, sed idem prorsus.

Ad 3. respondetur negando consequentiam. Ad probationem Caietan. hic ad 2. negat antecedens: *Non sunt enim instrumenta Christi contenti in Eucharistia species sacra-*

mentales, aut vsus earum verè, & propriè loquendo. Sed hoc meritò displicet Mag. Soto vbi supra: *Nam postquam species sunt Sacramenta, vt supra dictum est, scilicet signa tam corporis contenti, quam gratiæ, quæ confertur, non est cur non sint eius causa, vt aqua Baptismi. Sed verum est, quod non sunt causa nisi virtute corporis, & sanguinis.* Quæ virtus cũ tota sit in qualibet specie, non minorem gratiam confert sumenti vnam speciem, quam sumenti vtramque, si cætera sint paria.

Circa Quęstion. 81. nihil se offert scribendum.

QVAESTIO LXXXII.

De Ministro huius Sacramenti.



AR-

ARTICVLVS I.

Vtrum consecratio huius Sacramenti sit propria Sacerdoti.

Conclusio est affirmans.

CErta est secundum fidem; habetur enim in cap. *Firmiter* De Sum. Trinit. his verbis: *Hoc Sacramentum nemo potest cōficere nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus.* Colligitur etiam ex Conc. Trident. sess. 22. cap. 1. & can. 2. Illam primum in dubium reuocauit Vviclef, & postea Lutherus expresse negauit. Contra quos præter alia est ratio D. Thom. hic, & testimonium Lucæ 22. v. 19. ab eo adductum: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod Christus, postquam consecrauit, solis Apostolis dixit, eos instituendo Sacerdotes, in quorum gradu ponitur Sacerdos cum ordinatur, eique cōfertur potestas hoc Sacramentum consecrandi in persona Christi.

ARTICVLVS II.

Vtrum plures Sacerdotes possint vnam, & eandem hostiam consecrare.

Conclusio est affirmans.

Constat ex consuetudine antiqua quarundam Ecclesiarum; & ex Romano Pontificali: non solum enim quando consecratur Episcopus, ipse, & qui eum consecrat, eandem consecrant hostiã, sed etiam quando Sacerdotes ordinantur: nam noui ordinati Episcopo concelebrant. *Nec propter hoc* (,inquit D. Thom.) *iteratur consecratio super eandem hostiam quia, sicut Innocentius III. dicit, omnium intentio debet referri ad idem instans consecrationis*: In quo scilicet Episcopus verba consecrationis terminat. Ad quod refertur eo ipso, ac noui ordinati habent intentionem debitam. Quam habent, vt hic ait Caiet. quando proponunt apud se: *Intendo dicere cum ea intentione, qua debeo dicere*, scilicet verba consecrationis: vel (quod idem est) intendo facere, quod intendit Ecclesia. Quæ intentio conditionalis est, consecrandi scilicet, si contingat eos simul cum Episcopo (qui absolutam intentionem consecrandi habet) formam absoluere, alias non. Necessarium tamen non est hanc conditioné,

expresse, & formaliter apponere, sed satis est, vt apponatur virtualiter, vt apponitur, eo ipso, ac nouus ordinatus intendit facere, quod intendit Ecclesia.

ARTICVLVS III.

Vtrum dispensatio huius Sacramenti pertineat ad solum Sacerdotem.

Conclusio est affirmans.

PRopria, & per se ad solum Sacerdotem pertinet ex officio ministratio huius Sacramenti, hocque iure diuino, vt docet M. Soto in 4. d. 13. q. 1. art. 3. & colligitur ex Conc. Trid. sess. 13. cap. 8. dicente: *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, vt laici à Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent, qui mos tãquam ex traditione apostolica descendens iure, ac merito retineri debet.*

Quia tamen, vt hic ait D. Thom. Diaconus quasi propinquus ordini sacerdotali aliquid participat de eius officio, competit aliquo modo ministratio huius sacramenti: *Competit enim ei ex officio sanguinem Domini dispensare, sed non corpus*, vt idem S. D. dicit in 4. dist. 13. q. 1. art. 3. quæstiuncula 2. Vnde verum non est, quod quidam recen-

tiores hic asserunt, nullã esse faciendã differentiam inter calicem, & corpus Christi, quasi vnum iure diuino magis possit per Diaconum distribui, quam aliud. Hanc enim facit D. Thom. locis citatis, & rationem assignat; quia non habet manus sacratas, & ideò licet possit sanguinem dispensare, quia continetur in vase, sicque non oportet, vt tangatur à dispensante; nõ tamen corpus Christi, quod debet tangi. Quod intelligendum esse dicit, *Nisi de mãdato Presbyteri, vel Episcopi, vel Presbytero lõgè posito in casu necessitatis*. Colligitur ex Can. *Non oportet*, vt dicitur: *Non oportet Diaconos panem dare*. Et ex Can. *Præsente*, vbi additur: *Præsente Presbytero Diachonus Eucharistiam corporis Christi populo (si necessitas cogit) iussus erogat*.

Quare licet diuino iure spectato, dominici sanguinis dispensatio possit etiam nunc ab Ecclesia, vel Sum. Pontifice (alijs enim inferioribus Prælatis id non est concedendum, postquam vsus antiquus cessauit) committi Diacono absque vlla necessitate, vt olim fuit commissa S. Laurentio à S Sixto: non tamen dispensatio corporis Christi, si nulla cogat necessitas, aut causa adsit. Si vero necessitas cogit, & Sacerdos abest, potest Diaconus corpus Christi infirmo ministrare: quia necessitas ipsa interpres esset, quod ratum haberet, vt Diaconus eius vices impleret. Si autem adest Sacerdos, & non potest morienti corpus Christi ministrare, Diaconus potest de eius manda-

da-

dato, & commissione præstare. Immo si ex negligentia, aut nequitia nollet Sacerdos, potens Sacramentum deferre infirmo, etiam monitus à Diacono, posset Diaconus illo inuito suum munus præstare, & misero infirmo in extremis succurrere, vt ait M.Soto vbi supra.

De Subdiacono, & alijs inferioribus, etiã laicis, probabile videtur recentioribus nõnullis, si non adsit Sacerdos idoneus, aut Diaconus, posse infirmo in extremis constituto corpus Christi ministrare: nam id nec naturali, nec diuino, nec Ecclesiastico iure prohibitum est: sed hæc opinio, quam tenuisse quendam Henricum refert Syluester verbo *Eucharistia* 3. q. 4. intollerabilis appellatur à M. Soto vbi supra ad finem articuli, & merito. Tum quia hoc nunquam est auditum fuisse factum, cum tamen casus ex se ipso rarissimus non sit, sed sæpe contingat, præsertim in locis exiguis, non adesse Sacerdotem, aut Diaconũ, qui infirmum in extremis constitutum communicare possit. Tum etiam, quia si Diaconus potest de mandato Presbyteri, aut in eius absentia hoc Sacramentum ministrare, hoc ideo est, quia vt dicitur Can. *Diaconus*, dist. 23. *Diaconus dum ordinatur ad ministerium consecratur*: Subdiaconus verò non est minister Sacerdotis, sed Diaconi, sicque non participat ex officio Sacerdotis, posse ministrare hoc Sacramentum. Tum denique, quia quamuis laico in necessitate corpus Christi tangere licitũ

 esse

esse concedat D. Thom. hic: in nullo tamen casu admittit licere ei illud alijs ministrare, sed in 4. dist. 13. q. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 3. dicit: *In casu necessitatis potest, & debet corpus Christi tangere, etiam si sit peccator, vt si in aliquo loco immundo iaceret: sed non est simile de dispensatione Sacramenti: quia receptio huius Sacramenti non est necessitatis. Vnde ei, qui non potest sacramentaliter manducare, dicendum est, Crede & manducasti.*

Quod diximus de ministratione huius sacramenti alijs, dicendum videtur de ministratione illius sibi ipsi. Vnde in necessitatis articulo, vt si Sacerdos sit peste laborans, vbi alij timent ei appropinquare, inquit Caiet. in Sum. verbo *Communio*, potest extra sacrificium Missæ Sacerdos à se ipso sumere Eucharistiam. Et idem videtur dicendum de Diacono, quando alias sine viatico deberet mori. De laico, quamuis nonnulli recentiores id asserunt, nullatenus est concedendum: nam cui non licet alijs ministrare hoc Sacramentum, nec sibi ministrare licet. Nec obstat exemplum Reginæ Scotiæ, quæ in Anglia martyrium subitura Eucharistiam, quam apud se seruabat, sumpsit proprijs manibus. Nam Eucharistiam non tam sumpsit, vt se ipsam communicaret, quam vt eam ab hæreticorum iniurijs eriperet. Et quamuis eam solum sumpsisset, vt se ipsam communicaret, dici de illa posset, quod de S. Apolonia ait Mag. Soto lib. 5. de iustitia, q. 1. art. 5. ad finem; *Quod cum esset fœmina, acuminis*

que

que adeo iuris inscia, per inuincibilem ignorantiam sit excusanda.

Circa articulum quartum, quintum, sextum, septimum, octauum, nonum, & decimum, nihil se offert scribendum.

QVÆSTIO LXXXIII.

De ritu huius Sacramenti.

ARTICVLVS I.

Vtrum in hoc Sacramento Christus immoletur.

Conclusio est affirmans.

Dubium 1. An Missa sit sacrificium, quo Christus in hoc Sacramento immolatur.

PArtem negantem tenent hæretici nostri temporis: Probat illam primo Lutherus: quod in cœna ultima Christus fecit, non fuit sacrificium, quo se ipsum immolaret; ergo neque quod in Missa facit Ecclesia erit sacrificium, quo Christus immolatur. Consequentia patet, nam quod in Missa fit, non est aliud quam cõmemoratio quædam illius vltimæ cœ-

næ Dominicæ. Antecedens probatur: Tum quia illud fuit Sacramentum, ac testamentum Christi, vt patet ex illis verbis, *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*; ergo nō fuit sacrificium: ratio enim sacramenti, & testamenti omnino pugnat cum ratione sacrificij, cum sacrificium sit aliquid, quod nos Deo offerimus, Sacramentum verò datur nobis à Deo, & testamentum contineat promissionem hæreditatis nobis factam, & ridiculum sit dicere per testamentum dari aliquid testatori ab hærede. Tum etiam, quia in vltima cœna legitur Christum in mensa sedisse, & sana ctamentum discipulis distribuisse, non autem illud Patri obtulisse; ergo non fuit sacrificium, quod in illa Christus fecit.

Secundò illam probat Caluinus: In terris nulla sunt modo sacrificia; ergo Missa non est sacrificium. Antecedens probatur: Tum quia nulli modo sunt Sacerdotes, nā Christus est Sacerdos in æternum, & vt ait Apostolus ad Hebræos 10. in veteri lege ideo multiplicabantur Sacerdotes, quia morte prohibebantur permanere; ergo nec sacrificia, Sacerdotium enim ordinatur ad sacrificium, hocque & illud sibi mutuo respondent. Tum etiam, quia sacrificium crucis fuit infiniti valoris, & sufficiens ad delenda omnia peccata totius mundi; ergo non egemus alio sacrificio, & multiplicare sacrificia nihil aliud est, quam negare virtutem, & sufficientiam sacrificij crucis.

Ter-

Tertiò, Hostiam, quæ offertur, occidi, & mactari necesse est; ergo si Christus singulis Missis sacrificatur, eum singulis momentis mille in locis crudeliter interfici oportet. At hoc dici non potest; ergo, &c.

Dicendum tamen est: Missam sacrificiũ esse, quo Christus in Sacramento Eucharistiæ immolatur. Missæ nomine actio illa sacra intelligenda est, qua in ecclesia Catholica cõficitur Eucharistia multis præcedentibus, & subsequentibus præcibus, & cæremoniis. Hanc actionem Græci Liturgiam vocant, Latini verò Missam. Quod nomen quidam hebraicum esse dicunt, habetur enim Deuter. 16. vers. 10. & pro eo vulgatus interpres oblationem transfert. Alii Latinum nomen esse dicunt à verbo mitto deductum. Quorum nonnulli cum Hugone de S. Victore lib. 2. de sacram. p. 8. c. vlt. volunt Missam dici, quod oblatio, & præces ad Deum mittantur; sicque illorum verborum, quę in fine Missæ dicuntur, *Ite Missa est*, sensum esse, abire licet, quia oblatio, & Hostia salutaris iam transmissa est cum præcibus ad Deum pro vobis. Nõ pauci vero cum Alcuino lib. de offic. ecclesi. cap. de celebratione Missæ, Missam dici volũtà missione, seu dimissione populi, vt idem sit Missa, quod missio, sicut idem sunt collecta, & collectio; sicque illorum verborum, *Ite Missa est*, sensum esse, iam dimissio est congregationis, abire omnibus licet: vel ite, quia iam dimissi estis.

Hoc

Hoc supposito nostram conclusionem docet D. Tho. hic dicens: *Celebratio huius Sacramenti* (quæ in Missa fit) *dicitur immolatio Christi.*

Secundò probatur ex Conc. Trid. sess. 22. can. 1. vbi sic diffinitur: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, & proprium sacrificium, anathema sit.* Et cap. 1. de Christo dicitur: *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit; ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc noui testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit; & eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem. Et hæc quidem illa munda oblatio est, quam Dominus per Malachiam nomine suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit.* Quibus in verbis tria testimonia continentur, quæ hanc veritatem ostendunt, illaque late expendunt, qui contra hæreticos ex professo disputāt. Nos solum aduertimus, ex verbis illis *Hoc facite &c.* rectè colligi, Christum Apostolis, & reliquis Sacerdotibus præcipisse, vt sacrificium Eucharistiæ offerrent, quia facite idem est ac sacrificate. Facere namque non solum à profanis Auctoribus accipitur pro sacrificare, iuxta illud Virgilij, *Cum faciam vitulam &c.* Sed etiam à Scriptura Sacra innumeris in locis, vt Leuit. 15. v. 15. *Faciet vnum pro peccato*, & 3. Regum 18.

vers. 23. *Ego faciam bouem alterum.*

Tertiò probatur ex illis verbis Danielis 9. vers. 27. *Confirmabit pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis, deficiet hostia, & sacrificium.* Et cap. 12. vers. 11. *Et à tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificiū & posita fuerit abominatio, &c.* Ibi enim est sermo de tempore Antichristi: sed tunc nō erit aliud sacrificium, quod deficere, & auferri possit, nisi sacrificium Missæ; ergo Missa sacrificium est. Maiorem docent ibi S. Hieron. & apud ipsum S. Hippolitus, S. Ireneus, lib. 5. aduersus hæreses cap. 25. S. Ephrem Syrus serm. de Antichristo, Auctor imperfecti hom. 49. in Matth. Primasius lib. 3. in Apoc. Theodoretus, Strabus Monachus, Anselmus Laudunensis, & alii in c. 12. citatum. Colligitur etiam ex Matt. 24. vers. 15. vbi Christus, vt notauit ibi S. Hilarius, de Antichristi tēporibus loquens, illum, *Abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta,* appellauit. Minorem etiam præter alios docet Lyra, qui verba cap. 12. citata sic exponit: *Idest, à tempore illo, quo sacrificium altaris cessabit celebrari solemniter, & posita fuerit abominatio, idest, Antichristus exhibitus hominibus ad adorandum.* Quam expositionem late prosequuntur nonnulli recentiores qui de Antichristo scripserunt. Probatur etiam, nam tūc (sicut nec nunc sunt) non erunt sacrificia aliqua veteris legis, cum omnia post passionem Christi cessauerint: & si dicas, illa nihilominus Iudæos qui recipient Antichristum

ßium fore oblaturos; non de illis loquitur Propheta, nam abominationes erunt Deo, sed de sacrificio iugi Deo grato, & accepto; ergo solum erit sacrificium Missæ, quod iuge dicitur, quia omnibus, & singulis diebus offertur in Ecclesia, immo omnibus, & singulis horis, cum apud Indos, & Antipodas offeratur horis, quæ apud nos sunt noctis; quod sacrificium instante Antichristi persecutione cessabit solemniter celebrari, sicque deficiet in dimidio hebdomadis, id est tribus annis, & dimidio, hebdomada enim apud Danielem annorum est, septemque annos continet, sicut hebdomada dierum septem dies.

Quarto. Probatur ex definitione sacrificii, quę colligitur ex D. Thom. 2. 2. q 82. sacrificium est religiosa actio, qua in signũ debitæ subiectionis, & honoris soli Deo res aliquę sensibiles offeruntur, circa quas aliquid fit. Dempta enim prima particula, omnes alias conuenire *Missæ*, nec hæretici negabunt, cum constet, Eucharistiam in ea confectam Deo ab Ecclesia, & eius sacerdotibus offerri, aliquid circa ipsam faciendo, frangendo scilicet hostiam sacram, & partem eius in calicem, vbi sunt species vini, mittendo, & tandem vtramque partem consumendo. Primã vero particulam definitionis, esse scilicet actionem non superstitiosam, sed religiosam, conuenire Missæ, colligitur ex Apostolo 1. Corinth. 10. vers. 20. & seq. vbi de comedentibus idolotita inquit, participes esse mensæ dæmo-

nio-

niorum; de comedentibus autem Eucharistiam, esse participes mensæ Domini, per mensam altare vtrobique intelligens, vt ait Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. & per participare de mensa, participare de sacrificio in tali mensa oblato; ergo cum sacrificium in mensa dæmoniorum oblatum sit actio superstitiosa; sacrificium vero oblatum in mensa Domini nequaquã, sed actio religiosa: non superstitiosa, sed valde religiosa actio erit Missæ celebratio, cuius participes fiunt comedentes Eucharistiam, quæ in Missa cõficitur, & Deo offertur super altare, quod est Domini mensa.

Quintò probatur, nam vt optime ostendit M. Cano lib. 12. de locis c. 13. ex Platone, Cicerone, & alijs, nequit esse aliqua Respublica bene instituta sine publica Religione, Templis, Altaribus, Sacerdotibus, & sacrificiis; ergo cum Ecclesiæ Respublica optime fuerit à Christo instituta, manifesta dementia est, auferre ab illa sacrificiũ, & consequenter Sacerdotes, qui illud offerant, cum omnis Pontifex teste Apostolo ad Hebr. 5. vers. 1. Constituatur, vt offerat dona, & sacrificia, ac proinde etiam Templa, & Altaria, in quibus offeratur.

Est autem Missa in Ecclesia Catholica *Singulare sacrificium*, vt dicitur in Concil. Trid. in principio sess. 22. quod vnicum, & solum Christus instituit, vt sicut ait Leo Papa, ser. 7. de Passione, *Vno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum*. Vnde Ecclesia in quadam Missæ collecta dicit

Deus, qui legalium differentiam hostiarum vnius sacrificij perfectione sanxisti. Propter quod nō rectè Cassalius lib. 2. de sacrificio Missæ c. 25. & alii affirmant, in Missa duo esse sacrificia, in quorum primo panis, & vinum offeruntur, & durat ab Offertorio Missæ vsque ad consecrationem; in secundo vero, quod durat à consecratione vsque ad Communionem, offeruntur corpus, & sanguis Christi. Nam panem, & vinum ante consecrationem non offert Ecclesia tanquam hostiā sacrificii, sed vt materiam, ex qua conficienda est hostia, qua Deus placetur.

Est autem Christus hostia, quę in hoc sacrificio offertur, non prout est in propria specie, sed vt est sub speciebus panis, & vini. Vnde Concilium Trid. sess. 22. c. 1. ait: *Corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, &c. Nam nouum instituit Pascha se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum.* Propter quod rectè in conclusione à nobis dictum est, Missam esse sacrificium, quo Christus in hoc Eucharistiæ Sacramento immolatur.

Ad 1. autem factum in principio respōdetur negando antecedens; oppositum enim docent Concil. Trid. vbi supra, S. Cyprianus lib. 2. epist. 3. vel 63. ad Cecilium, S. Greg. Nissenus hom. 1. de Resurrect. S. Leo Papa serm. 7. de Passione, & communiter SS. Patres. Ad 1. probationem dico, sicut agnus Paschalis, & Sacramentum erat, & sacrificium veteris legis: ita Eucha-

ristiam Sacramentum esse, quatenus est inuisibilis gratię visibile signum, testamentũ, quatenus est instrumentum publicum diuinæ voluntatis, & promissionis, & sacrificium, quatenus Deo offertur. Neque repugnat, nos Deo dare, quod ab eo accipimus, iuxta illud 1. Paralip. 29. v. 14. *Quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Ad 2. probationem dico, licet illud expresse non legatur, constare tamen ex traditione, & Patrum testimonio: vnde illud Conc. Trident. vbi supra docet.

Ad 2. respondetur negando antecedens. Ad 1. probationem dico, licet Christus non habeat successores in sacerdotio, sicut habuit Aaron, vt ostendimus 1.2.q.90.a.3. dubio vnico, con. 1. habere tamen plures Vicarios Sacerdotes. Cum enim sit Sacerdos in æternum, debet, vsque ad finem mundi fungi Sacerdotio: cumq. hoc iam non fungatur per se immediate offerendo sacrificia, necesse est, vt habeat plures Vicarios Sacerdotes, per quos hæc faciat, & Sacerdotio fungatur. Quod non aufert ipsum esse vnicum Sacerdotem, sicut nec habere plures Vicarios in magisterio, & officio pascendi, tollit ipsum Christum esse vnicum magistrum, & pastorem, cum nullus ei succedat cum eadem auctoritate, & potestate. Ad 2. probationem dico, licet sacrificium crucis sit sufficientissimum, & vim habeat infinitam ad sanctificandum: vt tamen eius fructus nobis efficaciter applicetur: egere nos aliis sacrificiis, sicut, &

pœnitentiæ operibus; alias enim omnes, pro quibus Christus mortuus est, saluarentur.

Ad 3. respondetur, sacrificium Missæ nō esse sacrificium cruentum, qualia erant sacrificia legis veteris, in quibus animalia immolabantur, de quibus dicitur ad Heb. 9. v. 22. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Sed est sacrificium incruentum, quale fuit sacrificium Melchisedech, qui panem, & vinum obtulit. Et ideò non opus est in illo Christum occidi, & singulis momentis interfici, sed satis est, vt per illud repræsentetur mors, & passio Christi in Cruce: nam vt hic ait D. Thom. *Celebratio huius Sacramenti imago quædam est repræsentatiua passionis Christi, quæ est vera eius immolatio: & ideo celebratio huius Sacramenti dicitur Christi immolatio.* Nec obstat sacrificium Missæ esse idem cum sacrificio Crucis. Nā licet sit idem ex parte hostiæ, & principalis offerentis: differt tamen ab illo in modo, & ratione offerendi, vt dicitur in Concil. Trid. sess. 22. cap. 2. & hoc sufficit, vt non sit sacrificium cruentum, sicut illud.



Du-

Dubium 2. An sacrificium Missæ in consecratione corporis, & sanguinis Christi essentialiter consistat.

PArtem negantem tenent multi,& probant primo. Oblatio est de essentia sacrificij, est enim genus ad sacrificium: sed in consecratione nulla est oblatio corporis, & sanguinis Christi; ergo in illa non consistit essentialiter sacrificium Missæ.

Secundò. In feria sexta Parasceues celebratur verè, & propriè sacrificium Missæ: at in die illo nulla fit consecratio; ergo sacrificium Missæ non consistit essentialiter in consecratione. Maior probatur: Tum quia omnes fideles intelligunt veram esse Missam in illo die, & ad illam audiendam teneri, si occurrat in die festo. Tum etiam quia in illo die est oblatio religiosa soli Deo facta rei permanentis, circa quam aliquid exercetur, si quidem hostia eleuatur, benedicitur, & consummatur; ergo est verum sacrificium, cum eius diffinitio illi conueniat. Tum deinde, quia illa actio est aliquod indiuiduum in specie religionis: sed non est aliud præter sacrificium; ergo, &c. Tum denique Deus acceptat illam actionem quantum ad omnes effectus sacrificij, vt scilicet sit impetratoria ad conuersionem etiam infidelium, & ad satisfaciendum

dum pro pœnis debitis peccatis; ergo etiam acceptat in ratione sacrificij.

Tertiò. In omni sacrificio id quod offertur, & sacrificatur præsupponitur actioni sacrificandi: sed quod offertur in Missa, & sacrificatur, nempe Christus sub speciebus, non præsupponitur consecrationi; ergo hæc non est actio sacrificandi, in qua essentialiter consistit sacrificium Missæ, sed præparatio victimæ, & ita se habet respectu huius sacrificij, quo vnio hypostatica respectu sacrificij Christi in cruce.

Dicendum tamen est: Sacrificium Missæ in consecratione corporis, & sanguinis Christi essentialiter consistere. Probatur 1. ex D. Thom. sup. enim q. 82 ar. 4 ad 1 dicit: *Consecratio Chrismatis, vel cuiuscumque alterius materiæ, non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ.* Hic etiam art. 4. inquit de Sacerdote peracta consecratione loquens: *Petit hoc sacrificium peractum esse Deo acceptũ, cum dicit, supra quæ propitio &c.* Sentit ergo statim peracta consecratione peractum esse sacrificium, sicque hoc in illa essentialiter consistere.

Secundò. Consecratio perfectissimè repræsentat sacrificium cruentum, quod in ara crucis obtulit Christus Deo Patri; ergo in illa consistit sacrificium Missæ incruentum. Consequentia patet, nam vt hic ad 1. cum S. Amb. dicit D. Thom. *Hoc sacrificium exemplum est illius.* Et in corp. art. dixerat, ideo celebrationem huius Sacramẽti dici Christi immolationem, ac per con-

se.

sequens sacrificium, quia est imago quædam repræsentatiua passionis Christi. Antecedens verò probatur: Tum ex D.Tho. sup.q.80.art.12. ad 3. dicente; *Repræsentatio Dominicæ Passionis agitur in consecratione huius Sacramenti*. Tum etiam, quia illud sacrificium cruentum in hoc cõsistit, quod Christus pro nobis sanguinem suum fudit, & corpus suum occidi voluit: sed hoc perfectissimè representat consecratio, nam cum ex vi verborum sub speciebus panis ponatur corpus Christi, sine anima, & sanguine, quæ solum ibi sunt per concomitantiam, sub illis ponitur, quasi occisus, & cum ex vi verborum sub speciebus vini ponatur sanguis, sine corpore, & anima, quæ tantum per concomitantiam continentur ibi, sub illis ponitur, quasi effusus, & separatus à corpore; ergo, & sacrificium cruentum.

Tertiò. Præter consecrationem nihil est aliud, quod sit de essentia huius sacrificij; ergo hoc in illa essentialiter consistit. Antecedens probatur, nihil enim eorum, quę in Missa pręcedunt consecrationem esse de essentia huius sacrificii manifestum est, cum nondum sint ibi corpus, & sanguis Christi, quæ in hoc sacrificio immolantur, & hostiæ rationem habent. Nihil etiam eorum, quæ fiunt, vel dicuntur post consecrationem esse de essentia probatur discurrendo per singula. De eleuatione Sacramenti patet, quia Cartusienses non eleuant sacrum calicem, qui tamen verè

sa-

sacrificant. Si quis etiam sacram hostiam eleuare obliuisceretur, non propterea Missam non celebrasse diceretur. Idem est de benedictionibus, quae signo crucis fiunt, & de precibus, & orationibus, quae dicuntur. Quae etiam cum varientur secundum varios ritus Ecclesiarum, vt patet ex liturgijs diuersis, non potest in illis essentia huius sacrificii consistere, quae inuariabiliter constituta est iure diuino. De fractione hostiae consecratae, & mistione partis illius cum speciebus vini dicit D. Thom. hic a. 6. ad 6. *Horum pretermissio non facit imperfectionem sacrificij.* Vnde quamuis aliquo casu haec omitteretur, sicut, & alia praedicta, perfectum sacrificium esset, & non deberet necessario reiterari, repeti, vel suppleri. De oblatione, quae fit post consecrationem idem asserendum est. Cum etiam non fiat à solo Sacerdote, sed etiam à populo, vt colligitur ex verbis illis. *Vnde, & memores Domine nos serui tui, sed & plebs tua sancta, &c. offerimus praeclarae maiestati tuae &c.* Non potest in illa sacrificii essentia consistere; ad solum enim Sacerdotem spectat sacrificium Missae peragere, & illius hostiam immolare. Vnde sicut in veteri lege vota, & preces, quibus offerabantur Deo res sacrificatae ad impetrandum ab eo aliquod beneficium, non erant ipsum sacrificium, sed illud supponebant iam peractũ in Dei obsequium: ita & praedicta oblatio, per quam offertur Deo sacrificium, petendo pro illo remissionem peccatornm, &

alia

alia diuina beneficia, non est ipsa sacrificium, sed illud prius peractum supponit. De sumptione denique Sacramenti probatur: Tum quia sumptio pertinet ad vsum sacrificij, sicut, & sacramenti, & ad participandum fructum illius ordinatur, sicque sacrificium peractum supponit: sicut comestio agni paschalis in veteri lege illius immolationem supponebat, vt colligitur ex cap. 12. v 6 & seq. Exod. Tum etiam, quia sumptio Sacramenti non est propria sacerdotum, sed communis ipsis, & aliis fidelibus, cum tamen sacrificium Missę perficere solis Sacerdotibus conueniat. Tum denique, quia alias, quando Sacerdos plures formulas consecrat in pixide ad communicandum fideles, hæ cum non sumantur ab eo, non essent verè, & propriè sacrificatæ, sicque fideles non essent participes altaris, & sacrificii, cum corpus Christi sumunt, quod videtur esse contra illud 1. ad Corinth. 10. v. 18. *Nonne, qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Et contra illud Canonis, *Vt quotquot ex hac altaris participatione Sacrosanctum Filij tui corpus, & sanguinem sumpserimus.*

Oppositum huius tenet Mag. Soto in 4. d. 13. q. 1. ar. 4. & q. 2. art. 1. vbi ait: *Sumptio vtriusque formæ ad essentiam sacrificij attinet.* Contra quod tamen præter dicta est: nam certissimum est in cœna verè obtulisse Deo Patri hoc sacrificium, vt colligitur ex Conc. Trid. sess. 21. cap 1. & ex Patribus vniuersis: at non est ita certum sacramen-

Hoc ſuppoſito noſtram concluſionem docet D. Tho. hic dicens: *Celebratio huius Sacramenti* (quæ in Miſſa fit) *dicitur immolatio Chriſti*.

Secundò probatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. can. 1. vbi ſic diffinitur: *Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum, & proprium ſacrificium; anathema ſit*. Et cap. 1. de Chriſto dicitur: *Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit; ac ſub earundem rerum ſymbolis Apoſtolis, quos tunc noui teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent, tradidit; & eiſdem eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem. Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quam Dominus per Malachiam nomine ſuo, quod magnum futurum eſſet in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit*. Quibus in verbis tria teſtimonia continentur, quæ hanc veritatem oſtendunt, illaque late expendunt, qui contra hæreticos ex profeſſo diſputãt. Nos ſolum aduertimus, ex verbis illis *Hoc facite &c.* rectè colligi, Chriſtum Apoſtolis, & reliquis Sacerdotibus præcipiſſe, vt ſacrificium Euchariſtiæ offerrent, quia facite idem eſt ac ſacrificate. Facere namque non ſolum à profanis Auctoribus accipitur pro ſacrificare, iuxta illud Virgilij, *Cum faciam vitulam &c.* Sed etiam à Scriptura Sacra innumeris in locis, vt Leuit. 15. v. 15. *Faciet vnum pro peccato*, & 3. Regum 18.

verſ.

verſ. 23. *Ego faciam bouem alterum.*

Tertiò probatur ex illis verbis Danielis 9. verſ. 27. *Confirmabit pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis, deficiet hoſtia, & ſacrificium.* Et cap. 12. verſ. 11. *Et à tempore cum ablatum fuerit iuge ſacrificiũ & poſita fuerit abominatio, &c.* Ibi enim eſt ſermo de tempore Antichriſti: ſed tunc nõ erit aliud ſacrificium, quod deficere, & auferri poſſit, niſi ſacrificium Miſſæ; ergo Miſſa ſacrificium eſt. Maiorem docent ibi S. Hieron. & apud ipſum S. Hippolitus, S. Ireneus, lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 25. S. Ephrem Syrus ſerm. de Antichriſto, Auctor imperfecti hom. 49. in Matth Primaſius lib. 3. in Apoc. Theodoretus, Strabus Monachus, Anſelmus Laudunenſis, & alii in c. 12. citatum. Colligitur etiam ex Matt. 24. verſ. 15. vbi Chriſtus, vt notauit ibi *S.* Hilarius, de Antichriſti tẽporibus loquens, illum *Abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta,* appellauit. Minorem etiam præter alios docet Lyra, qui verba cap. 12. citata ſic exponit: *Ideſt, à tempore illo, quo ſacrificium altaris ceſſabit celebrari ſolemniter, & poſita fuerit abominatio, ideſt, Antichriſtus exhibitus hominibus ad adorandum.* Quam expoſitionem late proſequuntur nonnulli recentiores qui de Antichriſto ſcripſerunt. Probatur etiam, nam tũc (ſicut nec nunc ſunt) non erunt ſacrificia aliqua veteris legis; cum omnia poſt paſſionem Chriſti ceſſauerint: & ſi dicas, illa nihilominus Iudęos qui recipient Antichri-

ſtum.

ſtum fore oblaturos; non de illis loquitur Propheta, nam abominationes erunt Deo, ſed de ſacrificio iugi Deo grato, & accepto; ergo ſolum erit ſacrificium Miſſæ, quod iuge dicitur, quia omnibus, & ſingulis diebus offertur in Eccleſia, immo omnibus, & ſingulis horis, cum apud Indos, & Antipodas offeratur horis, quæ apud nos ſunt noctis; quod ſacrificium inſtante Antichriſti perſecutione ceſſabit ſolemniter celebrari, ſicque deficiet in dimidio hebdomadis, id eſt tribus annis, & dimidio, hebdomada enim apud Danielem annorum eſt, ſeptemque annos continet, ſicut hebdomada dierum ſeptem dies.

Quartò. Probatur ex definitione ſacrificii, quę colligitur ex D. Thom. 2. 2. q 82. ſacrificium eſt *religioſa actio*, qua in ſignũ debitæ ſubiectionis, & honoris ſoli Deo res aliquę ſenſibiles offeruntur, circa quas aliquid fit. Dempta enim prima particula, omnes alias conuenire *Miſſæ*, nec hæretici negabunt, cum conſtet, Euchariſtiam in ea confectam Deo ab Eccleſia, & eius Sacerdotibus offerri, aliquid circa ipſam faciendo, frangendo ſcilicet hoſtiam ſacram, & partem eius in calicem, vbi ſunt ſpecies vini, mittendo, & tandem vtramque partem conſumendo. Primã vero particulam deffinitionis, eſſe ſcilicet actionem non ſuperſtitioſam, ſed religioſam, conuenire Miſſæ, colligitur ex Apoſtolo 1. Corinth. 10. verſ. 20. & ſeq. vbi de comedentibus idolotita inquit, participes eſſe menſæ dæmonio-

niorum; de comedentibus autem Eucharistiam, esse participes mensæ Domini, per mensam altare vtrobique intelligens, vt ait Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. & per participare de mensa, participare de sacrificio in tali mensa oblato; ergo cum sacrificium in mensa dæmoniorum oblatum sit actio superstitiosa; sacrificium vero oblatum in mensa Domini nequaquã, sed actio religiosa: non superstitiosa, sed valde religiosa actio erit Missæ celebratio, cuius participes fiunt comedentes Eucharistiam, quæ in Missa cõficitur, & Deo offertur super altare, quod est Domini mensa.

Quintò probatur, nam vt optime ostendit M. Cano lib. 12. de locis c. 13. ex Platone, Cicerone, & alijs, nequit esse aliqua Respublica bene instituta sine publica Religione, Templis, Altaribus, Sacerdotibus, & sacrificiis; ergo cum Ecclesiæ Respublica optime fuerit à Christo instituta, manifesta dementia est, auferre ab illa sacrificiũ, & consequenter Sacerdotes, qui illud offerant, cum omnis Pontifex teste Apostolo ad Hebr. 5. vers. 1. Constituatur, vt offerat dona, & sacrificia, ac proinde etiam Templa, & Altaria, in quibus offeratur.

Est autem Missa in Ecclesia Catholica *Singulare sacrificium*, vt dicitur in Concil. Trid. in principio sess. 22. quod vnicum, & solum Christus instituit, vt sicut ait Leo Papa, ser. 7. de Passione, *Vno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum.* Vnde Ecclesia in quidam Missæ collecta dicit

Deus

Dom, qui legalium differentiam hostiarum vnius sacrificij perfectione sanxisti. Propter quod n ò rectè Cassalius lib. 2. de sacrificio Missæ c. 25. & alii affirmant, in Missa duo esse sacrificia, in quorum primo panis, & vinum offeruntur, & durat ab Offertorio Missæ vsque ad consecrationem; in secundo vero, quod durat à consecratione vsque ad Communionem, offeruntur corpus, & sanguis Christi. Nam panem, & vinum ante consecrationem non offert Ecclesia tanquam hostiā sacrificij, sed vt materiam, ex qua conficienda est hostia, qua Deus placetur.

Est autem Christus hostia, quę in hoc sacrificio offertur, non prout est in propria specie, sed vt est sub speciebus panis, & vini. Vnde Concilium Trid. sess. 22. c. 1. ait: *Corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, &c. Nam nouum instituit Pascha se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum.* Propter quod rectè in conclusione à nobis dictum est, Missam esse sacrificium, quo Christus in hoc Eucharistiæ Sacramento immolatur.

Ad 1. autem factum in principio respōdetur negando antecedens; oppositum enim docent Concil. Trid. vbi supra, S. Cyprianus lib. 2. epist. 3. vel 63. ad Cecilium, S. Greg. Nissenus hom. 1. de Resurrect. S. Leo Papa serm. 7. de Passione, & communiter SS. Patres. Ad 1. probationem dico, sicut agnus Paschalis, & Sacramentum erat, & sacrificium veteris legis: ita Eucha-

ristiam Sacramentum esse, quatenus est inuisibilis gratię visibile signum, testamentũ, quatenus est instrumentum publicum diuinæ voluntatis, & promissionis, & sacrificium, quatenus Deo offertur. Neque repugnat, nos Deo dare, quod ab eo accipimus; iuxta illud 1. Paralip. 29. v. 14. *Quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Ad 2. probationem dico, licet illud expresse non legatur, constare tamen ex traditione, & Patrum testimonio: vnde illud Conc. Trident. vbi supra docet.

Ad 2 respondetur negando antecedens. Ad 1. probationem dico, licet Christus non habeat successores in sacerdotio, sicut habuit Aaron, vt ostendimus 1.2.q.90.a.3. dubio vnico, con. 1. habere tamen plures Vicarios Sacerdotes. Cum enim sit Sacerdos in æternum, debet, vsque ad finem mundi fungi Sacerdotio: cumq. hoc iam non fungatur per se immediate offerendo sacrificia, necesse est, vt habeat plures Vicarios Sacerdotes, per quos hæc faciat, & Sacerdotio fungatur. Quod non aufert ipsum esse vnicum Sacerdotem, sicut nec habere plures Vicarios in magisterio, & officio pascendi, tollit ipsum Christum esse vnicum magistrum, & pastorem, cum nullus ei succedat cum eadem auctoritate, & potestate. Ad 2. probationem dico, licet sacrificium crucis sit sufficientissimum, & vim habeat infinitam ad sanctificandum: vt tamen eius fructus nobis efficaciter applicetur: egere nos aliis sacrificiis, sicut, &

pœnitentiæ operibus; alias enim omnes, pro quibus Christus mortuus est, saluarentur.

Ad 3. respondetur, sacrificium Missæ nō esse sacrificium cruentum, qualia erant sacrificia legis veteris, in quibus animalia immolabantur, de quibus dicitur ad Heb. 9.v.22. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Sed est sacrificium incruentum, quale fuit sacrificium Melchisedech, qui panem, & vinum obtulit. Et ideò non opus est in illo Christum occidi, & singulis momentis interfici, sed satis est, vt per illud repræsentetur mors, & passio Christi in Cruce: nam vt hic ait D. Thom. *Celebratio huius Sacramenti imago quædam est repræsentatiua passionis Christi, quæ est vera eius immolatio: & ideo celebratio huius Sacramenti dicitur Christi immolatio.* Nec obstat sacrificium Missæ esse idem cum sacrificio Crucis. Nā licet sit idem ex parte hostiæ, & principalis offerentis: differt tamen ab illo in modo, & ratione offerendi, vt dicitur in Concil. Trid. sess. 22. cap. 2. & hoc sufficit, vt non sit sacrificium cruentum, sicut illud.



Du-

Dubium 2. An sacrificium Missæ in consecratione corporis, & sanguinis Christi essentialiter consistat.

PArtem negantem tenent multi, & probant primo. Oblatio est de essentia sacrificij, est enim genus ad sacrificium: sed in consecratione nulla est oblatio corporis, & sanguinis Christi; ergo in illa non consistit essentialiter sacrificium Missæ.

Secundò. In feria sexta Parasceues celebratur verè, & propriè sacrificium Missæ: at in die illo nulla fit consecratio; ergo sacrificium Missæ non consistit essentialiter in consecratione. Maior probatur: Tum quia omnes fideles intelligunt veram esse Missam in illo die, & ad illam audiendam teneri, si occurrat in die festo. Tum etiam quia in illo die est oblatio religiosa soli Deo facta rei permanentis, circa quam aliquid exercetur, si quidem hostia eleuatur, benedicitur, & consummatur; ergo est verum sacrificium, cum eius diffinitio illi conueniat. Tum deinde, quia illa actio est aliquod indiuiduum in specie religionis: sed non est aliud præter sacrificium; ergo, &c. Tum denique Deus acceptat illam actionem quantum ad omnes effectus sacrificij, vt scilicet sit impetratoria ad conuersionem etiam infidelium, & ad satisfaciendum

dum pro pœnis debitis peccatis ; ergo etiam acceptat in ratione sacrificij.

Tertiò. In omni sacrificio id quod offertur, & sacrificatur presupponitur actioni sacrificandi : sed quod offertur in Missa, & sacrificatur, nempe Christus sub speciebus, non præsupponitur consecrationi; ergo hæc non est actio sacrificandi, in qua essentialiter consistit sacrificium Missæ, sed præparatio victimæ, & ita se habet respectu huius sacrificij, quo vnio hypostatica respectu sacrificij Christi in cruce.

Dicendum tamen est; Sacrificium Missæ in consecratione corporis, & sanguinis Christi essentialiter consistere. Probatur 1. ex D. Thom. sup. enim q. 82 ar. 4 ad 1 dicit: *Consecratio Chrismatis, vel cuiuscumque alterius materiæ, non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ.* Hic etiam art. 4. inquit de Sacerdote peracta consecratione loquens: *Petit hoc sacrificium peractum esse Deo acceptũ, cum dicit, supra quæ propitio &c.* Sentit ergo statim peracta consecratione peractum esse sacrificium, sicque hoc in illa essentialiter consistere.

Secundò. Consecratio perfectissimè repræsentat sacrificium cruentum, quod in ara crucis obtulit Christus Deo Patri; ergo in illa consistit sacrificium Missæ incruentum. Consequentia patet, nam vt hic ad 1. cum S. Amb. dicit D. Thom. *Hoc sacrificium exemplum est illius.* Et in corp. art. dixerat, ideo celebrationem huius Sacraméti dici Christi immolationem, ac per con-

se-

sequens sacrificium, quia est imago quædam repræsentatiua passionis Christi. Antecedens verò probatur: Tum ex D.Tho. sup.q.80.art.12. ad 3. dicente; *Repræsentatio Dominicæ Passionis agitur in consecratione huius Sacramenti*. Tum etiam, quia illud sacrificium cruentum in hoc cōsistit, quod Christus pro nobis sanguinem suum fudit, & corpus suum occidi voluit: sed hoc perfectissimè repræsentat consecratio, nam cum ex vi verborum sub speciebus panis ponatur corpus Christi, sine anima, & sanguine, quæ solum ibi sunt per concomitantiam, sub illis ponitur, quasi occisus, & cum ex vi verborum sub speciebus vini ponatur sanguis, sine corpore, & anima, quæ tantum per concomitantiam continentur ibi, sub illis ponitur, quasi effusus, & separatus à corpore; ergo, & sacrificium cruentum.

Tertiò. Præter consecrationem nihil est aliud, quod sit de essentia huius sacrificij; ergo hoc in illa essentialiter consistit. Antecedens probatur, nihil enim eorum, quę in Missa pręcedunt consecrationem esse de essentia huius sacrificii manifestum est, cum nondum sint ibi corpus, & sanguis Christi, quæ in hoc sacrificio immolantur, & hostiæ rationem habent. Nihil etiam eorum, quæ fiunt, vel dicuntur post consecrationem esse de essentia probatur discurrendo per singula. De eleuatione Sacramenti patet, quia Cartusienses non eleuant sacrum calicem, qui tamen verè

sacrificant. Si quis etiam sacram hostiam eleuare obliuisceretur, non propterea Missam non celebrasse diceretur. Idem est de benedictionibus, quæ signo crucis fiunt, & de precibus, & orationibus, quæ dicuntur. Quæ etiam cum varientur secundum varios ritus Ecclesiarum, vt patet ex liturgijs diuersis, non potest in illis essentia huius sacrificii consistere, quæ inuariabiliter constituta est iure diuino. De fractione hostiæ consecratæ, & mistione partis illius cum speciebus vini dicit D. Thom. hic a. 6. ad 6. *Horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificij.* Vnde quamuis aliquo casu hæc omitteretur, sicut, & alia prędicta, perfectum sacrificium esset; & non deberet necessario reiterari, repeti, vel suppleri. De oblatione, quæ fit post consecrationem idem asserendum est. Cum etiam non fiat à solo Sacerdote, sed etiam à populo, vt colligitur ex verbis illis. *Vnde, & memores Domine nos serui tui, sed & plebs tua sancta, &c. offerimus præclaræ maiestati tuæ &c.* Non potest in illa sacrificii essentia consistere; ad solum enim Sacerdotem spectat sacrificium Missæ peragere, & illius hostiam immolare. Vnde sicut in veteri lege vota, & pręces, quibus offerabantur Deo res sacrificatæ ad impetrandum ab eo aliquod beneficium, non erant ipsum sacrificium, sed illud supponebant iam peractũ in Dei obsequium: ita & prædicta oblatio, per quam offertur Deo sacrificium, petendo pro illo remissionem peccatornm, &

alia

alia diuina beneficia, non est ipsa sacrificium, sed illud prius peractum supponit. De sumptione denique Sacramenti probatur: Tum quia sumptio pertinet ad vsum sacrificij, sicut, & sacramenti, & ad participandum fructum illius ordinatur, sicque sacrificium peractum supponit: sicut comestio agni paschalis in veteri lege illius immolationem supponebat, vt colligitur ex cap.12.v 6 & seq. Exod. Tum etiam, quia sumptio Sacramenti non est propria sacerdotum, sed communis ipsis, & aliis fidelibus, cum tamen sacrificium Missę perficere solis Sacerdotibus conueniat. Tum denique, quia alias, quando Sacerdos plures formulas consecrat in pixidè ad communicandum fideles, hæ cum non sumantur ab eo, non essent verè, & propriè sacrificatæ, sicque fideles non essent participes altaris, & sacrificii, cum corpus Christi sumunt, quod videtur esse contra illud 1. ad Corinth.10.v.18. *Nonne, qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Et contra illud Canonis, *Vt quotquot ex hac altaris participatione Sacrosanctum Filij tui corpus, & sanguinem sumpserimus*.

Oppositum huius tenet Mag. Soto in 4. d.13.q.1.ar.4.& q.2.art. 1. vbi ait: *Sumptio vtriusque formæ ad essentiam sacrificij attinet.* Contra quod tamen præter dicta est: nam certissimum est in cœna verè obtulisse Deo Patri hoc sacrificium, vt colligitur ex Conc.Trid.sess.21.cap.1. & ex Patribus vniuersis: at non est ita certum sacramen-

tales species sumpsisse, nam licet id asserat D.Thom.supra q.81.ar.1. alij incertum esse dicunt, ergo sumptio specierum non est de essentia huius sacrificii,alias eodem modo esset certum vnum, ac alterum. Deinde, quia vt ait D.Thom supra q. 82. art. 4. ad 1. *Si miraculosè corpus Christi in altari sub specie carnis appareat, aut sanguis sub specie sanguinis non est sumendum*. At tunc non manet sacrificium essentialiter imperfectum; ergo sumptio non attinet ad essentiam sacrificii.

Concedendum tamen est,sumptionem ad integritatem, & perfectionem sacrificii pertinere plus, quā alias actiones dempta consecratione: propter hoc enim quādo Sacerdos deprehendit venenum in calice fuisse immissum inquit D. Thom. hic ar.6.ad 3. *Ne sacramentum remaneat imperfectum debet aliud vinum apponere in calicem, & denuo resumere à consecratione sanguinis, & sacrificium perficere*. Quod de perfectione accidentali intelligendum est; plus tamen necessaria, quam ea, quam habet sacrificium ab aliis actionibus sacrificialibus. Nā aliæ actiones solum sunt necessariæ tanquam cæremoniæ ex præcepto Ecclesiæ inter sacrificandum adhibendæ: sumptio verò ex diuino præcepto necessaria est. De quo licet nonnulli dubitent, quia Concil.Trid.sess.22.cap.1. tantum docet id haberi ex traditione Apostolica, ex qua non necessario infertur ius diuinum: mihi tamen probabilius est, & fere certum, Christum

ſtum præcepiſſe, vt Sacramentum à celebrante ſumeretur; propter quod D. Th. ſup.q.82.ar.4. abſolutè docet: *Neceſſe eſt: quod Sacerdos quotieſcumque conſecrat, ſumat integrè hoc Sacramentum*. Quod probat ex Conc. Tolet. dicente, id omnibus modis tenendum eſſe, & rationem huius his verbis reddente: *Quale eſt ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur?* Quæ verba indicare videntur, neceſſitatem præcepti ſumendi Sacramentum naturaliter cõſequi inſtitutionem ipſam ſacrificii, ac proinde nõ humanum, ſed diuinum Chriſti inſtituentis eſſe præceptum; propter quod ſemper Eccleſia curauit, vt obſeruaretur, & nunquam ſacerdos conſecraret, quin vtramque ſpeciem ſumeret.

Ad 1. autem factum in principio reſpondetur, oblationem, quæ eſt de eſſentia ſacrificii, non debere neceſſario eſſe verbalem: nam vt ait D.Thom.ſupra q. 48.ar.3. *Sacrificium propriè dicitur aliquid factum in honorem propriè Deo debitum ad eum placandum*. Quod ſine oblatione verbali fieri poteſt, & ſufficit oblatio realis, quæ in tali facto includitur. Et hæc realis oblatio includitur etiam in conſecratione corporis, & ſanguinis Chriſti: ſicut enim Chriſtus in cruce ſacrificium corporis, & ſanguinis ſui obtulit, non tam verbis, quam factis, moriendo ſcilicet pro Dei gloria, & noſtra ſalute: ita Sacerdos conſecrans offert opere, & re ipſa corpus, & ſanguinem Chriſti


consecratione ipsa, hęcque est realis quædam oblatio repræsentans mortem, & passionem Christi, eiusque cruentum sacrificium. Quod & colligitur ex forma Sacerdotii, quę ponitur in Con. Florent. in instructione Armenorum, *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis, & mortuis*. Per hęc enim verba, vt ait D. Thom. quæst præcedent. art. 1. ad 1. datur potestas consecrandi, atque adeo offerre sacrificium accipitur pro consecrare, & idem est cum illo, consecratioque, quatenus fit in honorem Deo debitum ad eum placandum, est quædam realis oblatio, & propriè sacrificium.

Ad 2. respondetur, sacrificium, quod fit feria sexta Parasceues, non esse aliud, quam illud, de quo dicitur in 6. Synodo generali cap. 52. *In omnibus sanctæ Quadragesimæ ieiunij diebus, præter quam Sabbato, & Dominica, & Annuntiationis die fiat sacrum præsanctificatorum sacrificium*. De quo Auctor summæ Conciliorum ibi ex Theodoro Balsamon hæc dicit: *Sacrificium præsanctificatorum est oblatio sacrificij iam peracti, & perfecti Ieiuniorum autem dies luctus, & compunctionis in expiationem peccatorum, & quia sacrificium offerre est festum diem agere, statuerunt Patres non fieri nouam consecrationem tota Quadragesima, nisi Sabbato, & Dominica &c. In his enim festum agere, non lugere, nec ieiunare iussi sumus. Quod nunc obseruatur apud Latinos in die Parasceues*. Ex quo patet in feria sexta Parasceues non celebrari ve-

verè, & propriè sacrificium Missæ, & quod in illo die fit, solum esse quandam oblationem sacrificij peracti, hoc est, hostię die præcedente sacrificatæ, simili ei, quã in veteri lege sacrificio iam peracto res sacrificata offerebatur Deo ad aliquod beneficium impetrandum. Vnde in forma neganda est maior argumenti. Ad 1. probationem negandum est, omnes fideles illud intelligere, cum potius, vt dicitur in Can. *Sabbato*, De consecrat. dist. 3. *Traditio Ecclesiæ habeat isto biduo Sacramenta penitus non celebrari*, scilicet feria sexta, & sabbato hebdomadæ sanctæ; in quibus Missam dici nõ posse asserit Nauarrus cap. 25. num. 88. Et quidquid sit de sabbato, in quo Missam, quæ nunc dicitur, ait non esse illius diei, sed noctis Resurrectionis, verum est, quod de feria sexta dicit: *In sexta verò feria, nec dicitur, nec dici debet, nec publicè, nec secretè, sed solũ suscipitur hostia, quę ex præcedenti die consecrata remansit*. Cum ergo in tali feria sexta non sit verè, & propriè sacrificium Missæ, quia hoc sine consecratione non est; nõ tenentur fideles in illa etiam si occurrat in die festo Annuntiationis Missam audire, nec assistere officio illius diei: quia præceptum Ecclesię solum est audiendi Missam. Ad 2. probationem dico, oblationem illius diei esse oblationem sacrificii iam peracti, & perfecti, sicque non esse propriè sacrificiũ, sed sacrificium præsanctificatorum, vt diximus; quod solum latè, & cum addito sacrificium appellatur. Ad 3. probationem

dico, illam actionem esse oblationem sacrificii iam peracti, quæ licet ad virtutem religionis spectet; non tamen est propriè, & simpliciter sacrificium, quamuis ad illud quodammodo reducatur. Ad 4. probationem dico, illos effectus, non solum esse sacrificii propriè sumpti, sed etiam oblationis sacrificij iam peracti.

Ad 3. respondetur negando maiorem: nam nō solum offertur, & sacrificatur, quod ad actionem sacrificandi præsupponitur tanquā materia illius, sicut præsupposita fuerunt panis, & vinum ad oblationem, & sacrificium Melchisedech; sed etiam quod per actionem sacrificandi fit, eiusque terminus est; per actionem enim sacrificandi offerebatur, & sacrificabatur olim animal, quod in Dei honorem occidebatur, & per talem actionem occidebatur, & nō præsupponebatur occisum tali actioni. Vnde cum Christus sub speciebus fit terminus consecrationis, per hanc Christus offertur, & sacrificatur, sicque vt hic ait D. Thom. *Celebratio huius Sacramenti dicitur Christi immolatio*. Quę celebratio ipsa consecratio est, nam vt idem S. Doct ait supra q.82.ar.4.ad 2. *In consecratione perficitur Sacramentum*.



Du-

Dubium 3. An sacrificium missæ sit propitiatoriũ, & ad quos effectus prosit, & valeat, & quomodo.

NOnnulli hæretici nostri temporis, licet Deo gratissimum esse afferant sacrificium Missę propitiatoriũ tamen esse negãt.

Dicendum tamen est primo. Sacrificiũ Missæ propitiatorium esse, sicque ad remissionem peccatorum, & pœnarum pro eis debitarum; & ad alias necessitates valere, & prodesse non solum sumenti, sed etiam alijs tam viuis, quam defunctis, pro quibus offerri debet. Probatur primo, ex Concil. Trid. sess. 22. can. 3. vbi diffinitur; *Si quis dixerit Missæ sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in Cruce peracti, non autem propitiatorium: vel soli prodesse sumenti; neque pro viuis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere; anathema sit.*

Secundò. Nam vt dicitur ad Hebræos 5. v. 1. *Omnis Pontifex constituitur, vt offerat sacrificia pro peccatis.* Ergo cum Sacerdotes nouæ legis non nisi Missæ sacrificium offerant, illud tanquam propitiatoriũ pro peccatis offerunt, hocque non solum pro se ipsis, sed etiam pro populo: nam sacerdos, vt ibidem vers. 3. subditur, *Debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.* Cumque sacrificium prosit eis, pro quibus offertur, alias frustra pro eis

offerretur, hoc sacrificium non solum sumenti prodest, sed etiam alijs pro quibus offertur. Immo sumenti, vt sic, licet proficiat quatenus est sacramentum; vt tamen est sacrificium formaliter nemini prodest, nisi quatenus aliquo modo offertur pro illo, siue offeratur ab ipsomet, siue ab aliquo alio.

Dicendum est secundò. Ad delenda peccata mortalia, & eorum veniam obtinendam, atque vt peccatores primam gratiam consequantur, & iusti gratiæ augmentum, valere hoc propitiatorium sacrificium, quia est eorum impetratorium; non tamen, quia ex opere operato infallibiliter causet hæc, aut contritionem, vel efficacia auxilia ad illa obtinenda; quamuis probabile sit hoc modo causare auxilia sufficientia.

Prima pars probatur ex Conc. Trident. sess. 22. cap. 2. vbi sic dicitur: *Docet sancta Synodus sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, vt si cum vero corde, & recta fide cum metu, & reuerentia contriti, & pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Vbi illud, *Per ipsum fieri*, intelligendum est per modū impetrationis, vt ex ratione subiūcta colligitur: nam id cuius oblatione placatus Dn̄s peccata ingentia, scilicet mortalia, dimittit gratiam, & donū pœnitentiæ con-

concedens, horum remissionem impetrare, dicitur mouendo diuinam misericordiã ad gratiam, & donum pœnitentiæ concedendum, & peccata dimittendum. Vnde D.Thom. de eis pro quibus hoc sacrificiũ offertur ait in 4. dist.12.q.2.art 2.quæstiuncula 2. ad 4. *Peccata mortalia eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.*

Secunda pars adeo certa est, vt eius oppositum error censeatur. Probatur 1.nam causare gratiam, aut eius augmentum ex opere operato est proprium sacramentorum, & remissio peccatorum post Baptismum commissorum ponitur effectus proprius Sacramenti Pœnitentiæ; ergo non conuenit huic Missæ sacrificio; alias si pro peccatore attrito offeratur sacrificium, fieret ex attrito contritus, quod est erroneum.

Secundò. Quia sequeretur omnes pro quibus offertur hoc sacrificium, illa infallibiliter consequi, peccatores quidem contritionem, & primam gratiam, iusti verò charitatis feruorem, & gratiæ augmentũ: sed hoc est falsum, cum videamus multos peccatores permanere in sua obduratione vsque ad finem vitæ, licet pro illis multæ Missæ fuerint celebratæ; & multos iustos, pro quibus Missæ sacrificium offertur, manere tepidos sicut ante, & absque gratiæ augmento; ergo &c.

Tertia pars asseritur à multis, & valde rationi conforme videtur. Deum cæteris

paribus, specialiora auxilia conferre illis, pro quibus offertur hoc sacrificium, vt exeant à peccato, si sint in illo, & vt promoueantur, & crescant in gratia, si iam habeãt illam: quia tamen, hoc non infallibiliter sequitur ex illis, non sunt talia auxilia ad hoc efficacia, sed solum sufficientiæ.

Dicendum est 3. Peccatorum venialium remissionem hoc sacrificium Missę causare, non solum per modum impetrationis, sed etiam ex opere operato certo, & infallibiliter: si tamen homo, pro quo offertur, sit sufficienter dispositus ad illam. Docent hoc multi discipuli *D.* Thom. hic, & probant 1. ex Can. *Iteratur,* & Canon. *Vtrum,* De consecrat. dist. 2. ibi enim hanc oblationem, seu Missæ sacrificium quotidie iterari dicitur: *Quia quotidie peccamus peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest*, qualia sunt venialia. Quæ ratio supponere videtur, hoc sacrificium specialiter fuisse institutum, & ordinati ad relaxanda peccata venialia, sicque licet mortalia solũ abluat per modum impetrationis, venialia tamen remittere ex opere operato tanquã defectus amicorum.

Secundò. Quia de sacramentalibus ait Mag. Soto in 4. d. 15 q. 2 art. 3. *Habere vim remittendi venialia ex opere operato*; ergo idẽ dic potest de hoc Missæ sacrificio.

Tertiò. Quia ad perfectionem huius sacrificij pertinere videtur, vt remittat ex opere operato omnia illa, quæ sine speciali actu, & particulari displicẽtia remitti possunt:

sunt: sed peccata venialia sunt huiusmodi, nam vt ait D. Thom. q. 7. de malo, artic. 11. ad 3. ad remissionem illorum, *Non requiritur displicentia in particulari, sed in vniuersali tantum*: Et vt dicit M. Soto vbi supra non requiritur excitatio motus pœnitentię, sed sufficit, vt ea, quæ ad eorum remissionem sunt instituta, applicentur ex volũtate eius, cui applicantur; ergo &c. Confirmatur, si quis in gratia existens pro se offerret hoc sacrificium hac intentione formali, aut virtuali, vt à Deo obtineat remissionem suorum peccatorum infallibiliter consequeretur remissionem omnium culparum venialium, vt nonnulli ex Auctoribus sententiæ oppositæ afferunt: & non ex opere operantis; nam si sacrificium esset nullum, quia celebrans non esset Sacerdos inuincibiliter hoc ignorans, talem remissionem non consequeretur, nec ad eam sufficeret oblatio illa sine sacrificio; ergo ex opere operato. Et idem est de eo, qui peteret à Sacerdote, aut ei eleemosynam daret, vt Missam pro ipso celebraret in remissionem suorum peccatorum.

Dixi, si tamen homo sit sufficienter dispositus: nam si Sacramenta non conferũt gratiam, & suos effectus, quos causant ex opere operato, nisi sufficienter dispositis, neque hoc sacrificium remissionem culpæ venialis causabit, nisi homo sit sufficienter dispositus ad illam. Ad quod primo requiritur, vt sit in gratia; nam non remittuntur peccata venialia homini perma-

nenti in peccato mortali. Secundo, vt homo iustus non habeat affectum ad peccata venialia: nam vt ait D. Thom. q. 7. de malo, art. 11. venialia, non dimittuntur eis, qui talem affectum, & propositum peccandi venialiter habent. Tertiò, vt iustus habeat aliquem actum, qui licet per se non sufficiat ad venialium remissionem, sufficit tamen ad disponēdum ad illam per hoc sacrificiū obtinendam, eo modo, quo licet attritio non sufficiat ad remissionem peccati mortalis, sufficiens tamen dispositio est ad illam per Sacramentum Baptismi, aut Pœnitentiæ consequendam. Talis est quæcumque displicentia venialis, non solum in particulari, sed etiam in communi, & ea, quam habet quis eo ipso, ac petit pro se celebrari Missam ad eos effectus, ad quos est instituta, sicut similis displicentia sufficit, vt sacramentalia remittant peccata venialia.

Si interroges, an hæc venialium remissio per hoc Missæ sacrificium facta ex opere operato se extendat ad animas in Purgatorio existentes? Respondetur, de remissione peccatorum venialium in Purgatorio duas esse sententias. Prima est, illa statim in primo ingressu Purgatorij remitti per actum charitatis in Deum repugnantem venialibus in hac vita cōmissis, quem eliciunt animæ, non quidem meritoriè, sed dispositiuè, cum enim ibi non sit status merendi, remissio venialium non respondet tali actui charitatis, vt merito, sed

vt

vt dispositioni. Quæ sententia videtur esse D.Thom.q.7. de malo,art.11 in corp.& ad 16. & iuxta illam non videtur relinqui locus remissioni venialium, quæ fit per hoc Missæ sacrificium, cum illa iam ante sint dimissa,nisi forte Missæ sacrificium pro anima Purgatorij oblatum expleretur in eo instāti,in quo primo anima Purgatorium ingrederetur, tumque remissio venialium, & actui charitatis elicito ab anima, & sacrificio Missæ pro eo oblato responderet. Secunda est Mag.Soto in 4.dist.15.q.2.artic.2. *Quod per actum charitatis, & patientiæ continuatum illo tempore,quo veniale punitur,remittitur culpa*. Non in primo ingressu Purgatorij. Et iuxta hanc sententiam, cum culpa maneat toto tempore, quo veniale punitur, sicut relinquitur locus, vt remissio pœnarum, quam causat hoc Missæ sacrificium, se extendat ad animas in Purgatorio existentes: ita & vt ad easdem se extendat remissio venialium ab hoc Missæ sacrificio causata. Sicque per hoc sacrificium non solum per modum impetrationis, sed etiam ex opere operato certo, & infallibiliter remittuntur in Purgatorio peccata venialia cum suis pœnis. Vnde sancta, & salubris cogitatio est pro defunctis hoc Missæ sacrificium offerre, vt à peccatis venialibus soluantur, nō solum quantum ad pœnam, sed etiam quantum ad culpam.

Dicendum est 4. Ad remissionem pœnę temporalis, quæ remissa iam culpa restat soluenda in Purgatorio, valere hoc Missæ sa-

sacrificium, non solum per modum impetrationis, sed etiam ex opere operato. Docet hoc D. Thom. in 4 dist. 12. quest. 2. art. 2. quæstiuncula 3. dicens: *Eucharistia, in quantum est sacrificium, accepit rationem satisfactionis, & secundum hoc in parte, vel in toto pœnam tollit.* Idem docet hic q. 79. art 5. Nec obstat quod ibidem ait S. Doct. *Homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundum modum suæ deuotionis.* Nam etiam sacramenta gratiam causant secundum quantitatem deuotionis, & dispositionis sumentium; & tamē illam ex opere operato causant. Non obstat etiam, quod communiter dicitur, hoc missæ sacrificiū prodesse defunctis per modum suffragij. Nam prodesse per modum suffragij abstrahit ab eo, quod est prodesse per modum impetrationis, & ex mera misericordia Dei, & ab eo, quod est prodesse ex opere operato, & per modum satisfactionis.

Secundò probatur, hoc Missæ sacrificiū ex propria ratione, & institutione est propitiatorium, & per illud applicatur eis, pro quibus offertur, passio Christi, per illudque oblationis cruentæ fructus vberrimè percipiuntur, vt colligitur ex Concilio Trid. sess. 22. cap. 1. & 2. ergo habet de se virtutem, vt ex opere operato per modum legis certæ, & infallibilis remittat omnia, quæ specialem displicentiam, & detestationem non requirunt, præsertim pœnas, quæ remissa culpa restant soluendæ in Purgatorio.

Ex

Ex his colligitur, magis prodesse tam viuis, quam defunctis, offerre pro illis sacrificium Missæ, quam eleemosynas, & orationes: quia hæ solum per modum impetrationis illis prosunt; illud verò per modum legis certæ, & infallibilis ex opere operato, quantum ad remissionem culparum venialium, & pœnarum pro eis, & pro peccatis mortalibus iam dimissis debitarum. Vnde S. Anton. 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 13. ait: *Nihil est in hac vita, quod tantum satisfaciat pro mortuis.*

Dicendum est 5. Per modum impetrationis valere hoc missæ sacrificium ad bona temporalia, quatenus ad spiritualia, & salutem animæ ordinantur, consequenda. **Probatur**, nam vt ait S. August. lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 20. *Id sacrificium successit omnibus illis sacrificijs veteris testamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri.* Idem dicit lib. 6. contra Faustum cap. 5. ergo sicut olim offerebantur diuersa sacrificia pro diuersis necessitatibus: ita etiam nunc offerri potest, & debet hoc Missæ sacrificium, pro quibuscumq; necessitatibus. Vnde S. Chrys. hom. 77. in Ioann. ad finem ait: *Pro infirmis: & terra, & maris, & vniuersi orbis fructibus sacrificamus.* S. Gregor. lib. 4. Dialogorum cap 57. & hom. 37. in Euang. refert quosdam à captiuitate, & naufragio liberatos per hoc sacrificium pro eis oblatum. Beda lib. 4. hist. Anglic. cap. 22. mirabilem historiam ad hoc propositum refert. Denique S. Anton. 3. par. tit. 13. cap. 6 §. 13. inquit:

Maius

Maius donum non potest homo homini dare, quam missam pro eo dicere, vel dare.

Dubium 4. *An hoc Missæ sacrificium sit valoris infiniti, & oblatum pro multis, ita prosit singulis, ac si pro vno tantum offerretur.*

PArtem negantem tenent multi, & probant primo. Eucharistia in ratione Sacramenti habet virtutem finitam sicut alia sacramenta; ergo etiam in ratione sacrificij, vna enim & eadem res est Sacramentum, & sacrificium.

Secundò. Quia alias esset infinite satisfactorium, & infinitum valorem haberet, quoad efficaciam: sed hoc est falsum; ergo non est infiniti valoris. Minor patet, nam per quamlibet missam ponerentur in actu vniuersi fructus spirituales, quos passio Christi meruit, quo ad sufficientiam, & ille, pro quo offerretur, liberaretur ab omni pœna debita pro suis peccatis. *M*aior verò probatur: Tum quia proprius valor, & virtus huius sacrificij, quatenus distinguitur à sacrificio cruento Crucis, attendi debet, quo ad efficaciam, vt scilicet pretium passionis infinitè sufficiens nobis efficaciter applicetur. Tum etiam, quia si solum haberet infinitum valorem, quo ad sufficientiam non aliter, nec magis nobis valeret ad salutem, quam passio Christi in se ipsa

ipſa per fidem apprehenſa, & oblata Deo extra Miſsam: ſed hoc eſt falſum; ergo, &c.

Tertiò. Hoc ſacrificium actu, & de facto ſemper habet effectum determinatum, & finitum remiſſionis pœnæ debitæ pro peccatis in eo, pro quo offertur: at non ſemper habet illum ex deuotione offerentis, aut eius, pro quo offertur, vt patet ſi offeratur à malo Sacerdote pro aliquo nullā deuotionem actualem habente, ſed ſolam gratiam habitualem; ergo ex vi ipſius ſacrificij, ac per conſequens ſacrificium ipsū nō habet infinitum valorem, ac virtutem, alias enim infinitum effectum produceret, nam non eſſet à quo limitaretur.

Quartò, probatur. Hoc Miſſæ ſacrificiū oblatum pro multis minus valere ſingulis, quam ſi pro vno tantum offerretur. Res finita in plures diuiſa minor fit in ſingulis, & tanto minor pars pertingit ad vnumquemque, quanto in plures diuiditur. Sed valor ſacrificij, quem ſacerdos applicat, eſt finitus; ergo eò minus proderit ſingulis, quo fuerit pluribus applicatus per Sacerdotis intentionem. Minor patet ex dictis, & præterea probatur, quia valor quem habet hoc ſacrificium ex opere operato, limitatur propter modum quo conficitur, & offertur per actionem Sacerdotis creati. Confirmatur, quando fideles dant eleemoſinam, vt celebretur Miſſa pro ipſis, aut ſuis defunctis, intelligunt pro ipſis ſolis deberi Miſſam celebrari, alias putant ſe defrau-

fraudari fructu Missæ: sed hoc non haberet locum, si Missa pro pluribus oblata tantū valeret vnicuique, ac si pro ipso solo offerretur; ergo &c.

Quintò. Sacrificium Missę pro pluribus generaliter, & quasi confusę oblatum minus valet singulis, quam si pro illis distinctè, & in speciali offerretur; ergo etiam pro pluribus distinctè, & in speciali oblatum. Consequentia patet; nam eo ipso, ac Missa offertur pro pluribus, fit generalis, & communis omnibus illis, & non specialis omnino vni. Antecedens probatur: Tum quia in Concil. Constan. sess. 8. damnatur tanquam erronea propositio Vviclef dicētis, speciales orationes applicatas vni personæ, per Prælatos, vel Religiosos non plus prodesse illi quam generales, cęteris paribus: sed idem est de Missa specialiter oblata pro aliquo; ergo &c. Tum etiam ex vsu, & traditione Ecclesiæ, quę consueuit speciales Missas pro specialibus personis offerre, & ita communiter sentiunt fideles, se magis iuuari, ex hoc quod in speciali offeruntur orationes, & sacrificia pro ipsis, quam in generali, & magis prodesse Missam animę Purgatorij, pro qua specialiter dicitur, quam alijs. Tum denique quia quanto causa melius applicatur ad effectum, tanto effectus est præstantior, si cętera sint paria: sed virtus, & causalitas huius sacrificij applicatur per intentionem Sacerdotis ad causandum suum effectum in eo pro quo offertur, & quanto magis distinctè, &

in

in speciali dirigit Sacerdos in aliquem intentionem applicatiuam sacrificij, tanto melius huius virtus, & causalitas applicatur; ergo &c.

Sexto, Quia alias sequeretur, posse Sacerdotem pro eadem Missa plures pitãtias lege, vel consuetudine taxatas à diuersis accipere, nulli enim fieret iniuria, si tantum valeret vnicuique Missa pro multis oblata, ac si pro illo solo offerretur: consequens est falsum; ergo &c.

Dicendum tamen est primo. Hoc sacrificium Missæ esse infiniti valoris quantum ad sufficientiam, licet quantum ad efficaciam semper actu, & de facto habeat finitum, & determinatum effectum, iuxta quantitatem deuotionis offerentium, vel eorum, pro quibus offertur. Docet hoc Caiet. to. 2. Opusc. tract. 3. q. 2. & hic q. 79. art. 5. & probat ex D. Th. ibi dicente: *Quamuis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna: tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem deuotionis, & non pro tota pœna*. At si non esset infiniti valoris quantum ad sufficientiam, non sufficeret ex sui quantitate ad satisfaciendum pro omni pœna, omnium scilicet peccatorum tam hominum viuentium, quam mortuorum: & si quantum ad efficaciam non haberet actu, & de facto finitum effectum, satisfactoria esset pro tota pœna soluenda ab eis, pro quibus offertur; ergo &c.

Ad-

Aduertendum tamen est, nomine deuotionis offerentium, & eorum, pro quibus offertur hoc sacrificium, nihil aliud esse intelligendum quam promptam voluntatem faciendi, quod ad Dei cultum, & seruitium pertinet; in hac enim voluntate consistit deuotio, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 82. art. 1. & 2. vbi, & ait deuotionem actum esse religionis; ex quo sequitur deuotionem, licet regulariter causetur ex charitate, sine illa tamen esse posse, sicut, & quemlibet alium actum religionis. Cōsistit ergo deuotio offerentium hoc sacrificium in voluntate prompta illud offerendi pro se aut pro alijs: deuotio vero eorum pro quibus offertur, in voluntate prompta, vt pro ipsis offeratur Missæ sacrificium. Et quamuis in eo, qui recipit effectum huius sacrificii, deuotio hæc debeat esse coniūcta cum charitate, & gratia; in eo tamen qui solum applicat, & offert sacrificium; sine gratia, & charitate esse potest, vt de facto est in malis Sacerdotibus Missam celebrātibus pro aliis, quibus indispositio talium Sacerdotum non est impedimento, vt fructum sacrificii consequantur, nisi ipsi etiā indispositi, & in peccato mortali sint.

Aduertendum est etiam per quantitatem deuotionis, non solum intelligere Diu. Thom. eius intensionem, sed etiam extensionem: prodest enim hoc sacrificium illis, pro quibus applicatur à Sacerdote, & quo pluribus applicatur, eo pluribus prodest, quo ad remissionem pœnæ.

Immo

Immo etiam intelligit modum, quo sacrificiũ ab eodem Sacerdote applicatur, nempe vel in communi, & generaliter, aut in particulari, & specialiter, confusè, aut distinctè, magis enim, aut minus prodest hoc sacrificium, iuxta modum quo offertur, eiusque perfectionis quantitatem. Vnde quod ait Caiet. vbi supra, *Sicut efficacia passionis Christi determinatur ad hunc per hoc vel illud Sacramentum: ita efficacia huius sacrificij per hanc vel illam deuotionem;* de hac vel illa deuotione à nobis explicata, & secundum eius quantitatem explicatam intelligendum est.

Secundò probatur conclusio, sacrificiũ Crucis fuit valoris infiniti quantum ad sufficientiam; ergo, & hoc Missæ sacrificium. Consequentia probatur: Tum quia, vt multi dicunt, hoc Missæ sacrificium incruentũ idem numero est formaliter cum illo Crucis sacrificio cruento; sicut enim vniuersæ superficies, quæ succedunt in eadem distantia preteritæ, præsentes, & futurę sunt formaliter idem numero locus: ita vniuersæ actiones sacrificandi præteritæ, præsentes, & futurę, stante eodem offerente principali, & eadem hostia oblata scilicet Christo, sunt formaliter idem numero sacrificium, & solum materialiter sunt plura. Vnde S. Chrysost. hom. 17. in epist. ad Hebræos ait: *Sicut qui vbique offertur vnum corpus est, & non multa corpora: ita etiam, & vnum sacrificium, Non aliud sacrificium, sicut Pontifex, sed id ipsum semper facimus,*

Tum

Tum etiam, quia licet alii distinctum numero sacrificium esse absolute asserant, cum sint nostra, & Christi diuersæ actiones sacrificandi numero distinctæ, vtpote in diuersis subiectis, & in diuersis temporibus existentes, & sacrificium pro actione sacrificandi supponat: vnde sicut nostra sacrificia distinguuntur numero inter se, dicimus enim plura sacrificia, & plures Missas in Ecclesia celebrari: ita, & numero distinguuntur à sacrificio Christi, tamen in nostro Missæ sacrificio, vt dicitur in Concil. Trid. sess. 22. cap. 2. *Vna eademque est hostia, idemque nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.* Ergo sicut sacrificium Crucis fuit valoris infiniti quantum ad sufficientiam, ita & hoc Missę sacrificium, quod nos modo offerimus. Probatur consequentia, nam valor essentialis sacrificii non sumitur à ministro, sed à principali offerente, à quo siue immediate, siue aliorum ministerio offeratur, eundem semper valorem habet. Sicut, & donum collatum à Rege eiusdem valoris est, siue ab ipso Rege immediate, siue aliorum ministerio conferatur: & mandatum Regis non minus valet factum ministerio aliorū, quam si per ipsum Regem immediate fieret: & eleemosyna facta per ministrum etiam malū non est minoris valoris, quam facta immediate à principali elargiente.

Dicendum est 2. si pro multis ęqualiter offeratur hoc sacrificium Missæ, ac pro vno solo,

solo, non minus prodest singulis, quam si pro vno solo offerretur: si vero pro vno offeratur specialius, & in particulari, pro aliis autem solum in generali, & non ita specialiter plus illi prodest quam aliis, cæteris paribus. Primam partem docet Caietan. Opusc. citato dicens: *Quoniam ex parte rei oblata est infinitas in hoc sacrificio, & per vnicam deuotionem non exhauritur, nec minuitur, consequens est, vt non solum pluribus, sed infinitis deuotionibus vnicum sacrificium sufficienter respondeat, cuilibet certam pariendo satisfactionem. Nihil igitur adimitur alicui facienti pro se offerri hoc sacrificium ex quantitate effectus huius sacrificij secundum se, & applicati ad ipsum, ex hoc quod alter procuret eãdem pro se dici* (scilicet Missam) *nec è conuerso, sed vnicuique respondet tantundem, quantũ si pro se solo diceretur: quia vnicuique sufficienter, & efficienter iuxta quantitatem deuotionis suæ.*

Probatur deinde, quando sacerdos æqualiter offert Missam pro circumstantibus, etiam si circumstantes sint multi, non minus singulis prodest, quam si quilibet eorum solus circumstaret, ipseque solus esset, pro quo Missa illo modo offerretur, alias enim procurandum esset, audire Missam, cui nullus alius assistat, & melius esset audire Missam priuatam, cui paucissimi assistunt, quam publicam, & solemnem, cui assistit omnis populus; ergo si pro multis æqualiter offeratur hoc Missæ sacrificium non minus prodest singulis, quam si pro

vno

vno solo offerretur. Confirmatur, certum est Sacerdoti in Missa commemorationem facere, non solum eius, qui eleemosynam dedit, sed etiam amicorum, & propinquorum suorum, pro hisque quantumuis multi sint, in particulari, ac distinctè Missam offerre: at non liceret, si propter hoc minus prodesset Missa conferenti eleemosynam, ergo; &c.

Secundam partem probat argum. 5. factum in principio, eiusque ratio colligitur ex dictis conclus. 1. Cum enim secundum quantitatem deuotionis offerentium, maior, aut minor sit effectus huius sacrificij, & modus offerendi, & applicandi illud in communi, aut in particulari, confusè aut distinctè ad quantitatem deuotionis eius, qui offert, pertineat; quo perfectius hic illud offert pro aliquo, plus illi, pro quo offertur, prodest ex hac parte, sicque si specialius, & in particulari offeratur pro vno, plus illi prodest cæteris paribus, quam alijs pro quibus solum in generali, & non ita specialiter.

Si hinc inferas, non esse licitum Sacerdoti specialius offerre hoc sacrificium pro aliis, aut pro se, quam pro eo, qui ei dedit eleemosynam. Respondetur, solum teneri Sacerdotem offerre Missam pro eo, qui dedit eleemosynam eo modo quo sacrificium sic perfectè applicatum, nempe non solum in communi, sed etiam in particulari: si tamen hoc modo offerat etiam si pro aliis, aut pro se specialius, & cum

maio-

maiore, ac intensiore deuotione offerat, nō peccat: quia non tenetur danti eleemosynam conferre totum, quod correspondet suæ deuotioni, sed solum, quod satis est, vt sacrificium sit illi perfectè applicatum; alias enim contra iustitiam peccaret, si nō celebraret in gratia, vt totum, quod potest propriæ deuotionis responderedanti eleemosynam, applicaret.

Ad 1. vero factum in principio respondetur negando consequentiam: quia vt diximus cum Caietan. *Sicut efficacia passionis Christi determinatur ad hanc per hoc, vel illud Sacramentum: ita efficacia huius sacrificij per hanc, vel illam deuotionem*. Vnde sicut hæc, vel illa deuotio habet virtutem finitam: ita, & hoc vel illud Sacramentum, cum tam Sacramentum, quam deuotio solum habeat rationem determinātis efficaciam sacrificij; Missę vero sacrificium non solum hanc habet rationem; sed etiam, aut est idem numero formaliter cum sacrificio Crucis, aut saltem in eo eadem est hostia, idemque offerens principalis, vt diximus in secunda probatione primæ conclus. Alij respondent negando antecedens: nam etiam sacramenta sunt infinitæ virtutis, cum possint maiorem, & maiorem gratiam producere, iuxta quantitatem dispositionis ea recipientium, & non sit gratia, qua maiorem non possint causare.

Ad 2. respondetur negando maiorem. Ad 1. probationem dico, hoc sacrificium non distingui a sacrificio cruento ex parte

hostiæ, & principalis offerentis, sed solum ex parte rationis offerendi, vt diximus cũ Concil. Trid. quæ licet, vt est à ministro Sacerdotes, solum habeat virtutem finitã ad applicandum efficaciter pretium passionis Christi: vt tamen est à principali offerente, virtutem infinitam habet quantum ad sufficientiam: proprius autem valor huius sacrificij non tam debet attendi, vt est à ministro, quam vt est ab offerenti principali.

Ad 2. probationem dico, hoc sacrificiũ Missæ habere quo ad sufficiétiam valorem infinitum, non quidem nouum, & distinctum à valore sacrificii Crucis cruenti, sed eundem, sicut, & eadem est hostia, idemque offerens vtriusque sacrificii. Nam Christus modo offerens hoc sacrificium, cum iam non sit viator, & in statu merendi, aut satisfaciendi, non de nouo meretur aut satisfacit, sed solum per hoc repræsentando Crucis sacrificium, illius virtutem applicat: nam hoc sacrificium instituit vt dicitur in Concil. Trident. sess. 22. capite primo: *Vt illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur.* Quantũ ad sufficientiam quidem ex vi ipsius Missæ sacrificii: quantum ad efficaciam vero secundum quantitatem deuotionis offerentium, & eorum pro quibus offertur. Quamuis enim virtus sacrificii cruenti quantum ad sufficientiam per ipsummet cruentum

sacri-

ſacrificium applicata ſit omnibus hominibus: voluit tamen Chriſtus aliam ſpecialio rem adhibere applicationem per hoc ſacrificium incruentum, non tantum ſemel oblatum (qua ratione etiam ſufficiens eſt ex vi ſua, vt vſque ad finem mundi omnibus hominibus virtutem Crucis applicet modo quodam infinito) ſed iterum, atque iterum, quotidieque, ac ſæpe oblatum. Cum ergo hoc Miſſæ ſacrificium nobis valeat, vt particularis applicatio ſacrificii incruenti quo ad ſufficientiam, & quantum ad efficaciam ſecundum quantitatem deuotionis offerentium, & eorum pro quibus offertur; aliter, & magis nobis valet ad ſalutem, quam paſſio Chriſti ſolum per fidem apprehenſa, & oblata Deo extra Miſſam.

Ad 3. reſpondetur negando minorem: nam vt diximus con. 1. deuotio poteſt eſſe ſine gratia, & ſic exiſtens in malo Sacerdote ſufficit, vt ſacrificium, quod offert, remiſſionem pœnæ cauſet in eo, pro quo illud offert, ſi tamen hic ſit in gratia, qui licet actu non habeat deuotionem actualé, quia forte nihil ſcit de Miſſa, quæ pro illo offertur, habuit tamen præcedentem, quando gratiam acquiſiuit, ſaltem reſpectu alicuius communis pertinentis ad cultum, & ſeruitium Dei, ſub quo Miſſa comprehenditur. *Quo fit* (inquit Caiet Opuſc. citato) *vt defunctis ſecundum præcedentem eorum deuotionem in communibus, vel ſpecialibus, & ſecundum deuotionem viuentium*

pro eis offerentium prosit.


Ad 4. respondetur negando minorem. Ad probationem dico, valorem huius sacrificii, quem habet ex re oblata, & offerente principali Christo, non limitari propter modum, quo conficitur, & offertur per actionem Sacerdotis creati: quia nec effectus, nec valor actionis principalis agentis limitatur ab instrumento, cuius ministerio fit. Ad confirmationem dicit Caiet. supra q. 89. art. 5. *Arguendi instruendique simul sunt homines ignorantes, vel exigentes pro sua eleemosyna totam sibi Missam dari, aut suo defuncto: nihil enim minus ipse habebit, si similè alij petant, eandem Missam pro se ipsis, & alijs defunctis, quam si pro ipso solo celebrari dicatur: immo ex huiusmodi indeuotione sic petentis damnum videtur incurrere, quod minus sibi proderit.*

Ad 5. respondetur probare secundam partem secundæ conclus. Vt vero militat contra primam partem neganda est eius consequentia. Ad probationem dico, Missam etiam si generalis, & communis fiat multis, posse tam distinctè, & in speciali offerri pro singulis, ac si pro vnoquoque solo offerretur, hocque sufficere, vt tantum prosit singulis, ac si offerretur pro vno solo.

Ad 6. respondetur negando sequelam: nam pictantię non dantur tanquam pretiũ fructus spiritualis huius sacrificii Missæ, sed tanquam eleemosynæ pro sustentatione Sacerdotum, quæ quia lege, aut consuetu-

dine

dine taxatæ sunt, non licet particularibus illas augere, plures à diuersis accipiendo. An vero Sacerdos pauper, qui aliunde habere nō potest victum moderatum, quam ex eleemosynis Missarum, quas celebrat, & nisi plures pictantias pro vnaquaque accipiat, possit eas licitè accipere, plerique posse affirmant: quia æquum est, vt qui altari deseruit, de altari viuat iuxta doctrinam Apostoli 1. ad Corinth. 9. vers. 13. Quod intelligendum est, nisi id à Sede Apostolica prohibeatur, vt non multis ab hinc annis prohibitum fuisse à sacra Congregatione nonnulli referunt. De qua tamen prohibitione mihi nō constat, & multo minus de publicatione talis prohibitionis sufficiente ad omnes Prouincias adstringendas. Si vero constans talis prohibitio est, absque dubio quod prohibet, licitum non est: quia sicut Sedes Apostolica potest concedere pauperibus Sacerdotibus maximè religiosis, vt ad victum necessarium plures pro vna Missa accipiant à diuersis eleemosynas: ita id potest legitime prohibere, præsertim si de hoc abusum, & sæcularium scandalum esse deprehendat.



ARTICVLVS II.

Vtrum conuenienter sit determinatum tempus celebrationis.

Conclusio est affirmans.

QVotidie posse, & conueniens esse Missam celebrare in Ecclesia docet D. Thom. hic, & cum eo omnes Catholici contra Lutheranos asserentes, Missam celebrari non posse, nisi quando populus ad communicandum conuenit. Quorum errorem falsitatis cõuincit auctoritas S. August. adducta à D. Thom. hic, & quod idem S. August. ait Epist. 23. *Nonne semel immolatus est Christus in se ipso, & tamen in Sacramento nõ solum per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur.*

In Ecclesiis Conuentualibus, & Collegiatis quotidie debere Missam celebrari, constat ex Cap. *Cum creatura,* De celebrat. Miss. Ex quo colligit Panormit. non solum vnam secundum officium, sed & alteram pro mortuis debere quotidie celebrari. Sed Syluester verbo *Missa* 1. q. 7. dicit hoc ibi non haberi, nec esse rationabile; *Quia oporteret diebus solemnibus celebrare pro mortuis.* Sufficit ergo, vt vna Missa conuentualis quotidie celebretur, nisi aliorum

Missarum fundationes ad plures dicendas obligarent.

Excipienda tamen est feria sexta hebdomadæ sanctæ, in qua vt hic ad 2. ait Diu. Thom. *Non celebratur consecratio huius Sacramenti*. Sicque nec Missa, vt diximus hic art. 1. dub. 2. ad 2. Vnde vt ait M. Soto in 4. dist. 13. q. 2. ar. 2. §. *Hic primum*, peccatum mortale esset in die Parasceues consecrare, atque adeo priuatim celebrare. In alijs vero duobus diebus, scilicet Cœnæ. & sabbato, etiam præter Missam solemné, posse priuatas celebrari, saltem ex facultate Prælati, subdit ibidem M. Soto. Nec obstat in can. *Sabbato*, De consecrat. d. 3. æqualiter prohiberi Missam celebrari in illo sabbato, ac in die Parasceues: nam vsu, & consuetudine, ac ritu Ecclesiæ abrogata est prohibitio, quod attinet ad sabbatum, cum in eo Missa solemnis celebretur, & obseruatio, quæ remansit non dicendi Missas priuatas, non tanti refert, vt ex rationabili causa in ea non possit dispensari, præsertim si festum Annuntiationis in prædicto sabbato occurrat. Vnde anno 1617. in singulis Ecclesijs Toletanæ Diœcesis plures Missas celebratas esse tali die nonnulli retulerunt. Quidam etiam dicunt in multis Ecclesijs maioribus aliquos priuatim celebrare in prædicto sabbato, etiam si festum in eo non occurrat, videntibus, & non contradicentibus Prælatis Ecclesiæ.

De Sacerdotibus particularibus asserendum est, licet non quotidie, aliquoties te-

neri Missam celebrare, ait namque D. Tho. quæst. præced. art. 10. *Sacerdoti, etiam si non habeat curam animarum, non licet omnino à celebratione cessare, sed saltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis festis, & maximè in illis diebus, in quibus fideles communicare consueuerunt.*

Qua hora sit missa celebranda explicat D. Thom. hic ad 3. & 4. & ait: *Regulariter missa debent celebrari in die, & non in nocte.* Regulariter inquit: nam vt Can. *Nocte*, De consecrat. dist. 3. dicitur: *Nocte sancta Natiuitatis Domini Saluatoris Missas celebrent Presbyteri.* Ex quibus verbis quidam non improbabiliter (quicquid alij dicant) colligunt, non solum vnam, sed omnes tres missas illius solemnitatis posse nocte celebrari à Sacerdotibus priuatis, cum absolutè eis facultas conferatur missas celebrandi, nec admoneantur, vt dicta prima missa expectent diem ad alias dicendas. Nec obstat in Præfatione, & in Canone duarum posteriorum missarum dici, sacratissimum diem: nam si propter hoc non possent dici in nocte, neque prima posset dici in die, cum in eius Præfatione, & Canone dicatur, sacratissimam noctem. Nec obstat etiam, quod hic ait D. Thom. *In nocte natalis Domini missa celebratur*: nam quamuis non plurali, sed singulari nomine vtatur *Missa*; ratio tamen, quam subiungit, *Propter hoc quod Dominus in nocte natus est*, indicat tres omnes dici posse in nocte, cum æqualiter procedat de omnibus missis; singulare etiã

sæpe

sæpe sumitur pro plurali, aut illud non excludit. Communitati tamen non licet horas præscriptas ab Ordinario prætermittere.

In sabbato sancto etiam dicit D.Thom. missam celebrari, *Circa noctis principium*; quod, & constat ex Can. *Solent*, De consecrat.dist.1. Sed hæc consuetudo modo iam non seruatur, nec esset licitum tali hora celebrare, postquam contraria consuetudo, & ritus Ecclesiasticus celebrationem missæ illius vigiliæ ad horam diei consuetam reduxit.

In omnibus alijs diebus inquit D.Thom. missam non posse celebrari ante principiũ diei, & per principium diei intelligendum esse dicit: *Quando incipit apparere aurora*. Quod nonnulli extendunt ad horam, & dimidiam ante ortum solis. & dimidiam horam ante initium auroræ: nam non mathematicè, sed moraliter definienda est res hæc. Vnde in multis regionibus Galliç, & Belgij consuetudo est celebrandi missas diu ante auroram in hieme, vt famuli, & operarij possint mane audire sacrum. Ex priuilegio dicunt multi, posse Religiosos missas celebrare illico post matutinum, aut post duas horas mediæ noctis. Meminit huius priuilegij Syluester verbo *Missa* 1. quæst.6. & ait, hoc debere fieri de licentia Prælatorum, & ex causa rationabili. Nonnulli asserunt mortaliter peccare Sacerdotem, si antequam recitet Officium nocturnum, seu matutinas celebret. Sed

alij communiter oppositum docent: quia inter missam, & præces nocturnas nulla est connexio.

Post meridiem diebus ieiuniorum olim missam celebrari hora nona solitum esse dicit D. Thom. hic ad 3. & constat ex Can. *Solent*, De consecrat. dist. 1. Quod Nauarrus cap. 25. num. 85. & 86. asserit nullo iure reuocatum esse, sicque ipsum, dum diebus festis iterageret, sæpe post meridiẽ sacrum fecisse; quod enim dicitur in Conc. Trid. sess. 22. in Decreto de obseruat. & vitan. in celebr. missæ, *Ne Sacerdotes alijs quã debitis horis celebrent*, inquit: *Intelligendum est de horis ante lucem, vel post nonam*. Quidã reuocatum esse dicunt à Pio V. Motu proprio *Sanctissimus*, anno 1566. sed nec ab illo reuocatum videtur, nam solum inhibet: *Ne deinceps Missas vespertino tempore celebrare, aut celebrari facere præsumant*. Vespertinum autem tempus non est ante horam nonam, vt patet ex dictis supra quæst 73. art. 5. Vnde ibi Pontifex solum intendit reuocare licentias, quas nonnulli impetrarant celebrandi *De sero etiam forsan circa solis occasum*. Alij id reuocatum esse asserunt consuetudine, quæ contrarium obtinuit, quod probabilius videtur, quamuis nec hoc concederet Nauarrus, cuius tempore eadem consuetudo vigebat. Omnes tamen dicunt, ex iuxta causa posse post meridiem missam inchoari. Ratione itineris impeditum posse Sacerdotem in die festo missam incipere vna hora post meridiem,

diem, multi afferunt. In festis solemnibus, etiam si concio, & Officium protrahatur vsque ad duas horas post meridiem, affirmant nonnulli, posse missam priuatam finito Officio inchoari à Sacerdote, ne aliqui sacrum audire omittant. Vbi etiam in diebus festis solent multi ad missam audiendam tarde venire, ne sine missa maneant, posse sacerdotem, inquiunt, post meridiem celebrare, dummodo spatiū vnius horæ non attingat. Nam si absque hac causą afferunt ferè omnes, rem hanc non esse mathematicè, sed moraliter considerandam, & vt Sacerdos post meridiem missam incipiens peccet mortaliter, requiri transactam esse post meridiem notabilem partem temporis, tertiam scilicet partem horæ secundum alios, aut trium quadrantium spatium secundum alios; hac existente causa multo magis poterunt Sacerdotes celebrare post meridiem, dummodo spatium vnius horæ non attingant. Ex priuilegio posse Religiosos celebrare vsque ad nonam inclusiue, quæ est hora tertia post meridiem, afferunt multi.

An verò idem Sacerdos possit eodem die plures missas celebrare explicat D. Th. hic ad 5. vbi ex Cap. *Consuluisti*, De celeb. Miss. ait: *Excepto die Natiuitatis Dominicæ (nisi causa necessitatis suadeat) sufficit Sacerdoti semel in die vnam missam solummodo celebrare*. Quod intelligendum est sine speciali priuilegio, ex illo enim nos in hac Aragonia Prouintia in die animarum tres missas

dicimus. Absque priuilegio, si necessitas id postulet, licitum esse etiam bis in die Sacerdotem celebrare, dum tamen sit ieiunus, ita vt primæ missæ ablutiones non sumpserit, colligitur ex prædictis verbis D. Thom. Syluester verbo *Missa* 1. Vndecim affert casus, in quibus necessitas id postulat. Aliquos attingam. Secundus, *Si post Missam dictam occurrit defunctus non sine Missa sepeliendus, puta quia sic habet consuetudo loci*; non ab omnibus admittitur. Sed mihi satis probabile videtur, si defunctus occurrat antequam sacerdos celebrans ablutiones sumpserit, posse illis non acceptis secundam missam celebrare: grauis enim nota esset, & multæ perturbationes, & forte scandala sequerentur, si contra cōsuetudinem prædictam missa in tali sepultura omitteretur.

Tertius, *Pro necessitate infirmorum viaticū petentium, si aliter haberi non potest*, fere ab omnibus admittitur: durum est enim morientem priuare Viatico, præsertim cum ex præcepto diuino teneantur tunc communicare.

Sextus, *Si habet duas Ecclesias commēdatas*, ab omnibus approbatur, & patet ex praxi, qua videmus multos, qui præsunt duabus Ecclesijs bis celebrare in diebus festis, ne aliqua earum careat sacro.

Vndecimus, *Quoties occurrit necessitas aliqua vrgens arbitrio boni viri*; generalis regula est; iuxta quam audiui nonnullos arbitrasse, talem necessitatem esse, quando nisi idem

idem sacerdos bis celebret missa conuentualis, seu maior non posset celebrari in aliquo Conuentu, aut Ecclesia superiori. De alijs casibus adductis à Syluestro diuersi diuersa sentiunt, nihilque propterea nunc definio.

ARTICVLVS III.

Vtrum oporteat hoc Sacramentum celebrari in domo, & vasis sacris.

Conclusio est affirmans.

MAg. Soto in 4. dist.13. quæst. 2. art. 3 errores hæreticorum, circa hoc refert nonnullos, & impugnat; quibus omissis.

Dicendum est primo. Celebrantem extra domum sacram absque necessitate, vel licentia mortaliter peccare. Olim peccatum mortale fuisse celebrare extra Ecclesiam ab Episcopo consecratam sine magna necessitate, vel licentia, colligitur ex Can. *Sicut*, & Can. *Missarum*, & Can. *Nullus*, De consecrat. d.1. Modo vero iam vsus obtinuit, vt ad celebrandum sufficiat Ecclesiam esse benedictam: immo, vt colligitur ex Conc.Trid.sess.22. in Decreto de obseru. & euit. in celebr. missæ, oratorium

esse designatum ab Ordinario, & ad diuinum tantum cultum dedicatum. Vnde domus sacræ nomine in nostra conclusione non solum Ecclesia ab Episcopo consecrata, sed etiam benedicta; & oratorium designatum intelligendum est. Cumque prędicti Canones loquantur de Ecclesia consecrata, videtur ex illis non posse probari nostram conclusionem: nam data facultate celebrandi extra Ecclesiam consecratā, ablata videtur obligatio præcepti in illis contenti, ita sentit M. Soto vbi supra aitque: *Vbi nullus sit contemptus, vel scandalum, vix arbitror posse contingere peccatum mortale per celebrationem extra Ecclesiam*. Existimo tamen prædictos Canones etiam esse pro nostra conclusione: nam quamuis vsus, & consuetudo extenderit facultatem celebrandi ad Ecclesias benedictas, & oratoria designata ab ordinario; obligatio tamen non celebrandi extra hæc loca eadem perseuerat, quæ olim erat non celebrandi extra Ecclesias consecratas: sicut licet consuetudo extenderit facultatem semel comedendi in die ieiunij ad secundam collationis refectionem, obligatio tamen ieiunandi eadem permanet. Quapropter si quis in domo priuata, vbi non est oratoriū designatum ab Ordinario celebraret ad cōmunicandum infirmum, licet hæc videatur honesta necessitas, non excusaretur à culpa mortali. Non enim minor necessitas requiritur modo ad celebrādum extra domum prædicto modo sacram, quam

re-

requirebatur olim ad celebrandum extra Ecclesiam consecratam.

Quæ autem necessitas tunc sufficeret, & modo etiam sufficiat, colligitur ex Canon. *Concedimus*, d. 1. hic ad 1. relato à Thom. vbi permittitur, missas celebrari in Capellis, hoc est, vt explicat ibi Glossa, in tugurijs caprarum pellibus tectis, si alicubi Ecclesiæ fuerint incensæ, & combustæ, subditurque: *In itinere vero positis, si Ecclesia defuerit, sub diuo, seu tentorijs, si tabula altaris consecrata, cæteraque sacra ministeria ad id officium pertinentia ibi affuerint, Missarum solemnia celebrari concedimus*. Ex quo colligunt Doctores, in bello licitum esse in tentorio, & sub dio consecrare: & cum populus multus ad eremitorium in campus confluit, non esse peccatum altare in campo decēter extruere, vt omnes sacrum videant. Aduertunt tamen, si huiusmodi necessitas præuideri potest, petendam esse licentiam ab Episcopo. Aduertit etiam Syluest. verbo *Missa 1.* quęst. 5. *In nulla necessitate licet celebrare super mare, vel super flumium, vbi probabiliter de sanguinis effusione timetur*.

Ex licentia Episcoporum posse extra Ecclesiam in altari portatili celebrare, vbi ipsi permiserint, constat ex Can. *Missarum*, De consecr. d. 1. Et quamuis in Concil. Trid. vbi supra restricta sit hęc facultas: non tamen videtur eis omnino ablata facultas dispensandi cum aliquo, vt aliquoties

ties celebret, aliqua occurrente necessitate, quę per se non sufficeret, in loco honesto, etiam prophanis vsibus destinato, vt in camera, in qua decumbit infirmus, vt missam audiat, vel communicet ex deuotione.

Ex priuilegio Summ. Pontificis nulli dubium est, posse missam celebrabri super altari portatili extra loca diuino cultui specialiter deputata. Mendicantibus hoc priuilegium concessum est: & quamuis reuocatum videatur à Conc. Trid. vbi supra, postea tamen nonnullis Religionibus rursũ concessũ est, quo gaudent alię, quibus concessa est à Pontifice communicatio in priuilegijs cum prędictis.

Dicendum est secundò. Mortaliter etiã peccare celebrantem in Ecclesia violata, seu polluta, sine necessitate, & de consensu Episcopi. Si adsit necessitas, & consensus Episcopi licitum esse in Ecclesia violata celebrare, docet D. Thom. hic ad 2. dicens: *Propter necessitatem tamen potest hoc Sacramentum peragi in domibus consecratis, vel violatis, sed tamen de consensu Episcopi*. Quod explicans M. Soto vbi supra ait, maiorem exigi necessitatem ad celebrandum in Ecclesia violata, quam extra Ecclesiam, *Vt verbi gratia, si Episcopus haberi non possit, & Paræciani nequirent sacra alibi audire: tunc enim consulto Vicario Episcopi, posset quousque Episcopus accersiri posset, ibidem celebrari*.

Sine

Sine his autem peccatum mortale esse in Ecclesia violata celebrare, colligitur ex Can. *Ecclesiam*, De consecrat.dist. 1, & ex Cap. *Proposuisti*, & *Consuluisti*, & *Si Ecclesia*, De consecratione Ecclesiæ, vel Altaris. Ex quibus etiam colliguntur modi, quibus Ecclesia polluitur, aut violatur.

Primus est, per homicidium etiam citra sanguinis effusionem: vt si quis in Ecclesia occidatur, nō solum gladio eius effundendo sanguinem, sed etiam suspendio sine sanguinis effusione, etiam à iudice, immo, & à se ipso, si sanæ mentis sit; non tamen per homicidium casuale, aut dum fit cum moderamine inculpatę tutelæ, vt dicunt M Soto vbi supra, & Syluester verbó *Consecratio* 2.q.3.

Secundus est per effusionem sanguinis citra homicidium. Debet autem effusio sanguinis esse notabilis, vt aduertit M Soto vbi supra: *Si enim fit per nasum in rixa puerorum, non violatur*. Cuius rationem reddit Syluester loco citato: quia effusio abundantiam significat. Et addit, non requiri, vt sanguis labatur in terram: nam etiam si recipiatur in vase, Ecclesia polluta manet, opus tamen esse vulnus accipi in Ecclesia: nam si quis accepto vulnere extra Ecclesiam, statim illam ingrederetur, & sanguis flueret in Ecclesia, hęc non violaretur; pollueretur verò si in ea percuteretur, etiam si percussor esset extra Ecclesiam, aut etiam si percussus statim accepto vul-

vulnere antequam sanguis flueret, exiret ab Ecclesia.

Tertius est per effusionem seminis. Quæ voluntaria debet esse: nam vt ait Syluester vbi supra; *Pollutio in somnis non violat.* Et idem est de pollutione naturali. Copiosa etiam esse debet sicut effusio sanguinis, vnius enim, vel alterius guttæ emissio, quę accidit turpia cogitantibus, non sufficit ad polluendam Ecclesiam. Si autem sit copiosa, quocumque actu turpi fiat, mollitie scilicet, aut coitu cum fœmina, aut masculo, vel iumento Ecclesiam polluit. Nonnulli etiam dicunt debere esse publicam. Sed oppositum nos ostendimus 1.2.q.62. art. 6. d. 2. illudque docet Mag.Soto, vbi supra: nam ait, quod & nos diximus: *Prohibitionem consecrandi in Ecclesia violata intelligi, quando violatio est publica; nam si sit occulta, nec oportet Missas, & sacrificia suspendere, neque Ecclesiam reconciliare.* Vnde licet dum effusio seminis in Ecclesia (& idem est de effusione sanguinis, & occisione hominis) manet occulta, nullus teneatur abstinere à celebratione in illa; reuera tamen per effusionem seminis quantumuis occulta, polluitur Ecclesia: quia non eam polluit, qui crimen publicat, sed qui illud committit. Ex quo patet non esse eandem rationem de infamia: nam qui crimen occultum committit, non se infamat, sed illum infamat, qui eius crimen publicat. Infamia etiam consisti

sistit in opinione hominum; violatio verò Ecclesię nequaquã, sed in iniuria, quæ fit ei per actionem turpem, ac indecentia inde resultante. Nec ex his sequitur, Parochum, qui solus scit factum, perplexum fore: nam licet sciat Ecclesiam esse occultè violatã, potest in ea celebrare, vt diximus. De actu coniugali est difficultas, an polluat Ecclesiã. Sed probabilior sentẽtia est polluere Ecclesiã, quando in ea fit absque necessitate; non tamen quando est grauis aliqua necessitas. Vnde Syluester verbo *Consecratio* 2. q. 5. inquit; *In casu necessitatis, qui scilicet irreuerentiam tollit: vt si coniuges longo tempore in loco sacro obsideantur, & de illicita emissione seminis sibi timent, crederem Ecclesiam non violari.*

Quartus est per sepulturam excommunicati in Ecclesia. Quod intelligendum est de excommunicato non tolerato Idem est de sepultura infidelis, vel non baptizati, etiam infantis filii fidelium, nisi forte sit adhuc in vtero matris fidelis mortuus cum matre, quia fœtus est pars ventris, de quo vide Syluestrum, vbi supra.

Quintus est, si Ecclesia (& idem est de altari, & eremitorio) sit ab Episcopo publicè excommunicato consecrata, vel benedicta. Ita Syluester vbi supra, & reddit rationem cum Panormitano, & Hostiense: *Quia sepultura corporis excommunicati polluit ipsum locum, à fortiori quando ipsa consecratio transit per manus excommunicati notoriè* Hũc casum quidam recentiores non admittũt; quia

quia in iure non exprimitur, & sicut censuræ non incurruntur, nisi in iure expressum sit, ita nec Ecclesiæ violatio; præsertim cum Ecclesiam pollui supponat, eam esse consecratam, & dum eam Episcopus consecrat, nondum sit consecrata: & argumentum à paritate rationis in hac materia nullius est ponderis, alias etiam violaretur Ecclesia, quia in ea celebrat publicè excommunicatus. Sed mirum est, hęc non aduertisse antiquos. Quare respondetur, si conuincerent, probarent etiam, non pollui Ecclesiam per occisionem hominis factam per iudicis sententiam, cum nullus sit textus, qui hoc exprimat. Quia tamen violatio Ecclesiæ non est censura, aut pœna, sed quędam indecentia ex actione turpi ipsi iniuriosa in ea resultans, & hæc non minus resultat ex hominis occisione facta per sententiam iudicis, quam facta per rixam, de qua est sermo in Cap. *Proposuisti*, De consecratione Ecclesiæ, ideò à paritate rationis optimè colligitur, si per hanc manet polluta Ecclesia, etiam per illam pollui. Et non est eadem ratio de celebratione publicè excommunicati in Ecclesia. Nam hæc transit, consecratio verò in esse moris permanet in Ecclesia. Et quamuis non tempore, prius tamen natura præsupponitur Ecclesiam consecrari ab Episcopo publicè excommunicato, quam violari: & hoc sufficit, vt per talem consęcrationem polluatur, sicut, & vt suspendatur ordinatus propter susceptionem Ordinis in excom-

excommunicatione.

Sextus est, si parietes Ecclesiæ consecratæ destruantur: quamuis enim non propriè violatur Ecclesia, perdit tamen suam consecrationem. Quod vt docet Syluester, vbi supra, & quæst. 4. intelligendum est, quando parietes pro maiori parte destruuntur, vel decrustantur: nam si successiuè ruant, & successiuè reparentur, verius est, non esse necessario reconsecrandam Ecclesiam: quia semper est eadem, sicut, & successiuè reparata. Si tectum ruat integris manentibus parietibus similiter non est reconsecranda Ecclesia: quia consecratio non in tecto: sed in parietibus, eorumque parte exteriori consistit, vbi vnctio, & Cruces fiunt. Quando Ecclesia solum est benedicta, etiam si parietes ruant, non est iterum benedicenda: quia benedictio perseuerat durante solo, quod tantum benedicitur, & non parietes.

Tria tamen sunt hic aduertenda. Primum, quod docet Mag. Soto vbi supra, propter celebrationem in Ecclesia violata non incurri irregularitatem, etiam si quis scienter in ea celebret: quia talis irregularitas non est in iure expressa. Secundum, si dum Sacerdos celebrat, Ecclesia violatur, debere desistere, nisi forte iam canonem inchoauerit, tunc enim sacrificium debet perficere, vt communiter dicunt Doctores. Tertium nonnullos cum Castro libro secundò de lege pœnali, cap. vltimo asserere, Ecclesiam pollutam non

ege-

egere noua reconciliatione, si in ea bona fide ab aliquo Sacerdote celebratum sit. Et idem dicunt, si Sacerdos bona fide celebrasset in patena, & calice non consectatis, & cum vestimentis non benedictis: nam per talem celebrationem manent consecrata, vel benedicta, & non indigent noua consecratione, vel benedictione. Hoc tamen alijs omnino displicet.

Dubium. An Sacerdos teneatur celebrare in altari, & vasis consecratis, & cum vestibus sacris.

Dicendum est primo. Teneri Sacerdotem in altari consecrato fixo, aut portatili celebrare. Docet hoc D. Th hic ad 2 & colligit ex Can. *Concedimus*, De consecrat. dist. 1. vbi licet concedatur Missam celebrari in Cappellis, non tamen sine altari, sed cum tabula consecrata. Ex quo infert M. Soto in 4. d. 13. q. 2 ar. 3. *Ob nullam necessitatem fas esse citra reatum peccati mortalis celebrare, nisi super ara consecrata.* Quod vero ibidem subdit D. Thom. & colligit ex Can. *Placuit*; eadem dist. altare consecratum debere continere reliquias sanctorũ, inquit M. Soto, iam non esse obseruatũ necessarium; consuetudo enim contrarium obtinuit.

Addit præterea D. Thom. ad 5. altare debere esse lapideum, & colligit ex Can.

Al-

Altaria, De consecrat. d. 1. Cum autem altare est fixum, sufficit tabulam, seu partem superiorem esse lapideam: cum vero altare est portatile ex lapide debet esse ea magnitudine, vt possit calicem cum patena, cui hostia superponitur, capere. Ex duobus lapidibus, in quorum vno calix, in alio hostia collocatur, non posse instrui, ostendit Syluester verbo *Altare*, qu. 3. vbi & q. 2. ex Can. *Nullus*, & Can. *Concedimus*, De consecrat. dist. 1. probat altare tam fixum, quam portatile debere ab Episcopo consecrari. Et q. 8. & 9. & 10. quærit, quot modis execretur, seu cõsecrationem amittat altare, tam fixum, quam portatile. Præcipuus est, per enormem fractionem vtrumque execrari: non tamen portatile per amotionem lapidis à ligno, in quo solet includi; quia consecratio est in lapide ipso, & lignum solum adhibetur ad ornatum, & faciliorem conseruationem lapidis.

Nonnulli putant Sacerdotem celebrantem in altari non consecrato fieri irregularem: quia in Can. *Nullus Presbyter*, De consecrat. dist. 1. talis Sacerdos degradari præcipitur, degradationem autem sequitur depositio, & irregularitas. Alij tamen oppositum docent, quia pœna degradationis, quę in tali Canone imponitur non est lata, sed ferenda, irregularitas autem non incurritur propter pœnam ferendam, & expressa in iure debet esse.

Dicendum est 2. Etiam teneri Sacerdotem

tem sub mortali celebrare in calice, & patena consecratis, & in corporali benedicto. Docet hoc D. Thom. hic ad 8. licet enim Sacerdos sine his verè consecret. *Peccat tamen grauiter ritum Ecclesiæ non seruans.*

Materiam, ex qua debet esse calix, & patena, explicat S. Doct. in solutione sexti, & ait ex Can. *Vasa*, dist. 1. *Quondam Sacerdotes non aureis, sed ligneis calicibus vtebantur, Zepherinus autem Papa patenis vitreis Missam celebrari constituit: deinde Vrbanus omnia fecit argentea. Postmodum autem statutum est, vt calix Domini cum patena, siue ex auro omnino, siue ex argento fiat, vel saltem stamneus calix habeatur. De ære autem, aut ex auricalco non fiat, quia hoc vini virtute ruginem parit, pariterque vomitum prouocat. Nullus autem in ligneo, seu vitreo calice præsumat Missam cantare: quia scilicet lignum porosum est, & sanguis consecratus in eo remaneret: vitrũ autem fragile est, & posset fractionis periculum imminere, & eadem est ratio de lapide. Et ideo propter reuerentiam Sacramenti statutum est, vt ex prædictis materijs calix fiat.*

Aduertendum tamen est, non esse necessarium, totum calicem fieri ex prædictis materijs: quamuis enim pes fiat ex ære vel auricalco, tamen si cupa, quæ continet sanguinem est aurea, vel argentea, hoc sufficit, vt patet ex praxi.

Asserit verò Syluester verbo *Calix*, q. 2. *Si calix argenteus deauratur indiget reconsecratione, secus tamen videtur, si deauratio ca*

dat

dat propter vsum. Hoc secundum ab omnibus admittitur; primum vero à nonnullis recentioribus negatur: quia cum calix per deaurationem non frangatur, nec ita mutetur, quin maneat idem, non est cur perdat consecrationem; hanc enim, vt hic ad 3. docet D. Thom. nunquam amittit res consecrata, quamdiu manet eadem, & integra. Illud tamen communior asserit opinio, & patet: nam si calix argenteus eo modo, quo deauratur, operiretur plumbo, amitteret consecrationem, quia id, quod immediate contineret sanguinem, non esset consecratum: sed idem est, cum, deauratur, ergo &c. Ex quo patet differentia inter primum, & secundum dictum Syluestri: nam quando deauratio cadit propter vsum, quod remanet immediate continens sanguinem, est consecratum, cum non sola deauratio consecretur; sed totus calix; quando vero calix argenteus deauratur, quod immediatè continet sanguinem, non est consecratum, sicque noua indiget consecratione: vnde licet calix aliquo modo possit dici idem: non tamen quo ad vsum sacrificij.

Addit Syluester ibidem: *Similiter execratur calix, si ciphus à pede ex toto separetur, licet non sit fractus, puta quia iunctura est tornatilis*. Hoc fere ab omnibus reijcitur. Sed existimo verū posse habere sensum, quem indicat illud *Ex toto*, nempe execrari calicem, dum ciphus manet à pede separatus. Nam quamuis quando iunctura est torna-

tilis, si post separationem pedis à cipho iterum reponatur, vt prius, in calice absque noua consecratione posset fieri sacrificium, non tamen, vt est separatus, nisi forte, vt subiungit Syluester. *Si Ciphus esset taliter fabricatus, quod eo solo posset quis vti in celebrando, & cum hoc esset separatim à pede in calicem consecratus: quia per se est calix; & pes est ad bene esse.*

Materiam, ex qua debeat fieri corporale, explicat D. Thom. hic ad 7. dicens; *Corporale fit de panno lineo, quo corpus Christi fuit inuolutum. Vnde in Epistola Syluestri Papa eadem dist. legitur: Consulto omnium statuimus, vt sacrificium altaris non in serico panno, aut intincto quisquam celebrare Missam præsumat: sed in panno lineo ab Episcopo consecrato, sicut corpus Christi in sidone linea, & munda sepultum fuit.* Olim corporale vnum tantum continebat pannum oblongum, & duplicatum, idemque ad collocandum in eo hostiam, & calicem, & ad cooperiendum calicem inseruiebat, quali etiam nunc nonnullæ Religiones vtuntur. Secundum ritum vero Romanum iam in duas partes diuisum est, & de ea parte, qua Calix cooperitur, nonnulli dubitant, an possit fieri ex panno serico, vel aureo. Sed cum illa successerit loco eius qua olim calix cooperiebatur, omnino asserendum est, non posse nisi ex panno lineo fieri, quamuis ornari possit sicut, & reliquum corporale reticulis aureis, vel sericis.

De benedictione corporalis, quæ hic con-

confecratio dicitur, certum eſt pertinere ad Epiſcopum : ex priuilegio tamen Sum. Pontificis alij præſertim Prælati regularium poſſunt non ſolum veſtes ſacerdotales, ſedetiam corporalia benedicere, immo & calices conſecrare.

Si corporalia, & calices, quia ſpecies corporis, & ſanguinis debent immediate continere, conſecrari, aut benedici debent, conueniens etiam videtur, vt benedicatur arcula, ſeu vaſculum, vbi hoſtiæ conſecratæ populo diſtribuendæ conſecrantur. Sed quia nullo iure id præcipitur, non eſſe neceſſarium communiter dicitur.

Quærit Mag. Soto in 4. d. 13. q. 2. art. 3. an laici, & præſertim fœminæ peccent vaſa ſacra, & corporalia tangendo? Reſpondetque: *Quod ſimpliciter tangere, nullatenus eſt peccatum mortale; immo, ſi abſit contemptus, aut non eſt veniale, aut leuiſſimum*. Alij peccatum veniale eſſe dicunt, hæc tangere ſine rationabili cauſa; nullum vero ſi rationabilis cauſa ſubſit: Vnde corporalia, & purificatoria, poſtquam ſemel lota ſunt à Subdiaconis, dantur mulieribus præſertim religioſis perfectius lauanda, & reficienda. De quo vide Caietan in Summ. verbo *Mulierum peccata*, in fine.

Dicendum eſt 3. Peccatum mortale eſſe Sacerdotem celebrare ſine veſtibus ſacris, & alijs, quæ iuxta vſum, & conſuetudinem Eccleſiæ ad ſacrificium requiruntur. Patet hoc, quia contra talem vſum, & conſuetudinem agere, mortale peccatum eſt, ni-

si ignorantia, aut inaduertentia excuset. In casu necessitatis dicunt quidam, posse Sacerdotem celebrare sine aliqua ex vestibus sacris præsertim minoribus, vt sine stola, aut manipulo. Ego tamen id nulli consulerem: minus enim inconueniens est, totũ populum carere sacro in die festo quantũuis solemni, quam contra consuetudinem Ecclesiæ, Sacerdotem celebrare sine his, sicut, & non ieiunum. Vnde S. Anton. 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 6. ait: *Si aliquid eorum defuerit, quæ requiruntur ad ritum celebrationis, vt manipulus, stola, & huiusmodi, potius debet dimittere Missam, etiam die festo, quam sic celebrare: quia sic celebrando peccaret mortaliter.*

Si desit cingulum inquit Nauarrus c. 25. num. 84. *Potest loco cinguli stolam longam adhibere, & loco stolæ manipulum longum iuxta Paludanum.* Cingulum benedictum esse debet: asserunt tamen nonnulli, solum esse peccatum veniale celebrare sine cingulo benedicto ob leuitatem materiæ, & quia non tam est indumentum, quam ligatura indumentorum. Subdunt etiam, si iusta adsit causa, nempe necessitas audiendi sacrum, aut vt pauper Sacerdos habeat Missæ eleemosynam, nullum esse peccatum celebrare sine cingulo benedicto. Dicunt quoque, si cingulum frangatur, & vtraque pars sufficiat ad cingendum, vtramque partem manere benedictam, & posse deseruire celebrationi Missæ. Si vero ita frangatur, vt neutra pars per se sufficiat ad cin-

gen-

gendum, licitum esse, partibus simul neixs vti.

Sine lumine celebrare, certum est, peccatum esse mortale: nam in Cap. *Literas* De celeb. Miss. peccasse, & officio, & beneficio perpetuo priuandum esse Presbyterum quendam, qui sine igne sacrificabat. Nonnulli tamen existimant, solum esse peccatum veniale celebrare cum vnius solum candelę lumine, si sit aliqua necessitas nullum esse peccatum. Licitum etiam esse, si adsit necessitas, celebrare cum lumine candelæ confectæ ex adipe. aut lampadis ex oleo.

ARTICVLVS IV.

Vtrum conuenienter ordinentur, quæ circa hoc Sacramentum dicuntur.

Conclusio est affirmans.

Dubium. An sit peccatum mortale omittere aliquid eorum, quæ in Missa dicuntur.

QVidam mortaliter peccare Sacerdotem putant, si aduertenter omittat orationes, quæ in Missali positæ sūt,

vt eas dicat, dum se induit. Sed hoc nimis rigurosum, & falsum merito alijs videtur, si talis omissio absque contemptu fiat: nam nulla est lex præcipiens tales orationes dici, & non ponuntur in Missali, vt necessario etiam sub reatu peccati venialis dicendæ, sed quia decet, & optimum consilium est eas dicere.

Alij multo magis peccare mortaliter Sacerdodem existimant, qui non seruat rubricas Missalis. Sed non desunt, qui dicant, tales regulas non obligare ad mortale, nisi contineant substantialia sacrificij, & non esse præcepta, sed consilia, & instructiones, sicque vnam, aut alteram non seruare, non esse peccatum mortale. Secus esset, si nulla obseruaretur.

Alii cum Angelo verbo *Missa*, num. 33. peccatum mortale esse dicunt, omittere Missam diei, maxime si Dominica sit, aut festum duplex, & aliam votiuam, vel de Requiem dicere. Quibus fauere videtur Cap. *Quidam*, De celeb. Miss. vbi dicitur; *Quidam laicorum habent in consuetudine, vt per singulos dies audiant Missas peculiares, hoc est, de Sancta Trinit. & de sancto Michaele. Ideo sancitum est, vt vlterius hoc non fiat. Sed si voluerint, vt sibi Missa cantetur, de eadem die Missas audiant pro salute viuorum, & etiam defunctorum.* Sed multo plures oppositum docent: quia sicut Sacerdos potest liberè dicere, vel non celebrare Missam: ita potest aliam celebrare absque reatu peccati mortalis, non solum quando fit de feria,

sed

sed etiam in festis duplicibus, immo & in diebus festiuis. Etsi sit legitima causa, & necessitas, nullum esse peccatum id facere etiam communitates Ecclesiarum Conuentualium, & Collegiatarum, dummodo ab eis non omittatur Missa de die, seu Conuentualis. Vnde sæpe videmus in Sabbatis, etiam si festum duplex occurrat, cantari Missam de B. Virgine ob eius deuotionem, & in diebus festis cantari Missas defunctis ad sepeliendos mortuos. Nec fauet oppositæ sententiæ cap. citat: nam vt ibi ait Glossa: *Loquitur in casu, in quo non est nisi vnus Presbyter in Ecclesia, qui debet celebrare de die.* Ex eo tamen colligunt multi, Sacerdotem, qui eleemosynam accepit pro celebratione Missarum sancti Gregor. aut aliarum, suę obligationi satisfacere dicendo Missam de die, eam offerendo pro defuncto, qui eleemosynam reliquit. Et idem est de eo, qui ex fundatione Capellanię debet dicere Missam de Requiem, vel de B. Virgine, aut alio Sancto: nam vt ait D. Thom. in 4 d. 45. qu. 2 art. 3. quęstiunc. 2. ad 5. *Ex parte sacrificij oblati Missa aequaliter prodest defuncto, de quocunque dicatur.* Et quamuis ex parte orationum magis profit illa, in qua sunt orationes ad hoc destinatę. *Sed tamen iste defectus recompensari potest per maiorem deuotionem eius, qui dicit Missam, vel per intercessionem Sancti, cuius suffragium in Missa imploratur.* Ad maiorem autem deuotionem eius, qui dicit Missam pertinet, velle ordinem, & ritum

Ecclesiæ seruare dicendo Missam de die præscriptam in Missali: neque hoc opponitur voluntati rationabili testatoris, aut eius, qui contulit eleemosynam.

Alij peccare asserunt Sacerdotem, qui submissa voce non legit Epistolã, aut Euãgelium, quæ in Missa solemni cantantur à Subdiacono, & Diacono. Sed oppositum communis docet sententia: nam nullo iure id præcipitur, & quamuis nonnulli id faciant, multa sunt consueta, quæ non sunt præcepta. Vnde satis est Sacerdoti hæc audire. Si nec audiret, nec legeret, absque dubio peccaret mortaliter, cum sint partes notabiles Missæ, quas non licet aduertenter omittere.

Alij denique peccatum mortale esse affirmant, ex intentione nolle nominare aliquem Sanctum ex illis, qui in Canone Missæ ponuntur. Sed hoc nimis rigidum & scrupulosum est: nam quamuis denominando quolibet Sancto ex illis in particulari esset speciale preceptum (quod tamen non constat) tamen iuxta ea, quæ diximus 1.2.q 69.art.4.dub. 2. con. 1. non obligaret ad mortale ob paruitatem materiæ. Et ita asserunt multi, qui & dicunt, omittere Gloria, vel Credo, aut ea, quæ interponuntur in *Communicantes*, aut in actione *Hanc igitur*, in quibusdam solemnitatibus, solum esse peccatum veniale.

Dicendum est ergo: Ex suo genere peccatum mortale esse, omittere aliquid eorum, quæ in Missa dicuntur: ex paruitate

tamen materiæ posse esse veniale. Hoc secundum patet ex dictis, & præterea; nam licet hæc omittere sit contra virtutem Religionis: contra hanc tamen potest aliquid esse solum veniale ex paruitate materiæ, vt patet in eo, qui ex voto tenetur recitare integrum rosarium, & omittit recitare vnam salutationis Angelicę orationem. Immo nec hanc omittere esset peccatum mortale, etiam si esset tota, & adęquata materia voti, vt docet M. Soto lib. 8. de iustitia, quæstione 2. artic. 1. & nos diximus 2. 2. quæst. 88. art. 3. dub. 1. con. 1.

Primum verò probatur: nam aliquid eorum omittere est contra diuinum cultum, & virtutem religionis; ergo cum peccatum irreligionis sit ex suo genere mortale, tale erit, aliquid eorum omittere. Quod confirmat, quod in Missali Romano Pius Quintus præcipit omnibus in virtute sanctæ obedientiæ, *Vt Missam iuxta ritum, modum, & normam, quæ per Missale traditur, decantent, ac legant.*

Obiiciunt tamen hæretici, multa falsa contineri, aut supponi in Canone Missæ, & extra illum, præsertim in Missa defunctorum, cum pro animabus existentibus in Purgatorio oratur, vt liberentur de pœnis inferni, & de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, sed mereantur euadere iudicium vltionis, & ne cadant in obscurum, nec pœnas æternas sustineant; quæ supponere videntur, tales animas damnari posse, &

non esse in statu saluationis, ergo hæc omittenda sunt. Sed respondetur negando antecedens, diffinitur enim in Concil. Trident.sess.22.can. 6. *Si quis dixerit Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum; anathema sit.*

Ea verò, quæ adducuntur ex Missa defunctorum communiter explicari solent, referenda esse ad tempus proximum morti, in quo in periculo condemnationis erāt animæ prædictæ: consuetum est enim res considerari in statu, quem habuerunt, huncque prosopopeia quadam representari, quasi præsentem. Dici etiam potest, nihil esse in prædictis verbis, quod supponat animas in Purgatorio existentes posse condemnari: nam Purgatorium nomine inferni, & tartari potest intelligi, in quo animę pœnas,& iudicium vltionis patiuntur, & quodammodo sunt in ore leonis infernalis, petiturque ne cadant, hoc est, diu permaneant in tali loco, & non sustineant pœnas æternas, hoc est, per longum tempus duraturas.



AR-

ARTICVLVS V.

Vtrum ea, quæ in celebratione huius Sacramenti aguntur, sint conuenientia.

Conclusio est affirmans.

HÆretici nostri temporis ritus, cæremonias, & quæ aguntur in celebrane huius sacrificij Missæ, irrident, & damnant. Contra quos diffinitur in Concil. Trid. sess. 22. can. 7. *Si quis dixerit, cæremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica vtitur, irritabula impietatis esse, magis, quam officia pietatis; anathema sit.* Et canon. 9. *Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere &c. anathema sit.* Præcipuas cæremonias explicat optime D. Th. hic, quem vide.

Est tamen inter Doctores Catholicos difficultas, an possit sacerdos sine ministro celebrare? D. Thom. hic ad 12. ait: *In solemni celebratione Missæ plures debent adesse. In Missis tamen priuatis sufficit vnum habere ministrum, qui gerit personam totius populi Catholici.* Primum probat ex Can. *Hoc quoque.* De consecrat. dist. 1. vbi dicitur: *Hoc quoque statutum est, vt nullus Presbyterorum*

Missarum solemnia celebrare præsumat sine duobus præsentibus, sibique respondentibus. Quidam dicunt, hunc Canonem loqui de quauis Missa; iam tamen consuetudinem obtinuisse, vt sufficiat vnus minister. Sed intelligentia D. Tho. omnino amplectenda est, quam insinuant verba illa, *Missarum solemnia.* Glossa etiam, quæ proponens casum inquit: *Presbyter non debet cantare Missam &c.* Et quidem si D. Th (vt nonnulli volunt) loquatur de Missa solemni, quę solet cum Diacono, Subdiacono, & Acolytis dici; per se notum est, plures debere adesse. Si vero tam ipse, quam Can. citatus loquantur de Missa, quæ cantatur, non videtur improbabile, consuetudine illud fuisse abrogatum, cum videamus in Ecclesijs locorum exiguorum, vnum solum Sacerdotem sæpe cantare Missam, & vnum adesse, qui ei respondeat. In Missis verò priuatis omnino certum est, sufficere vnum habere ministrum.

An verò solus Sacerdos sine ministro possit celebrare, non est concors omnium sententia, quidam id non esse licitum affirmant, sed mortaliter peccare, Sacerdotem solum celebrantem Mag. Soto in 4. dist 13. q 2 ar. 5 inquit: *Nisi vrgens esset, vt in festo, quando Sacerdos Missā audire nequit, nisi solus ipse celebret, nullatenus licet, immo forsan, nisi magnum esset festum, consultius esset non celebrare.* Alij absolutè dicunt, in necessitate, qualis est diei festi, aut dandi moribundo Viaticum, licitam esse celebrationem

Mis-

Missæ, sine ministro.

Si desit vir, & adsit fœmina, communis sententia docet, non esse licitum, hanc ministrare; nam in Cap. *Inhibendum*, De cohabitat. Cleric. & mulie. dicitur: *Prohibendum est, vt nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare*. Quidam tamen id licitum esse dicunt, & cap. citatum intelligendum esse extra casum grauis necessitatis. Sed Mag. Soto, vbi supra ait: *Ob nullam necessitatem illud auderem citra dispensationem permittere propter indecẽtiam. Et citius auderem egomet mihi respondere, & ministrare, quam fœminam ad id muneris admittere.*

Si quæras, an Sacerdos possit cooperto capite celebrare? Respondetur id non esse licitum, cum in Can. *Nullus*, De consecrat. dist. 1. dicatur: *Nullus Presbyter ad Missarum solemnia celebranda præsumat velato capite altari Dei assistere*. Si tamen adsit necessitas, & dispensatio (quam concedere ad solum Summ. Pontificem spectare nonnulli referunt declaratum fuisse à Sacra Cardinaliũ, sac. Rituum Congregatione) affirmant multi nullum esse peccatum: & idem esse si grauis necessitas id exigeret, & non posset facile dispensatio postulari, dummodo desit scandalum, & contemptus, & tempore Canonis caput discooperiatur.

AR-

ARTICVLVS VI.

Vtrum possit sufficienter occurri defectibus circa celebrationem huius Sacramenti occurrentibus statuta Ecclesiæ obseruando.

Conclusio est negans.

SEptem defectuum mentionem hic facit D. Thom. & quomodo eis occurrendum sit docet in solutionibus septem argumentorum, quę proponit.

Circa primum, qui debet suppleri per alium, quando Sacerdos celebrans moritur, aut graui infirmitate occupatur incepta consecratione, notat Mag. Soto in 4. distinct. 13. q. 2. art. 6. *In tali casu id procedendum est, vnde cessatum est*. Quæ est doctrina D. Thom. in 4. dist. 8. q. 2. art. 4. quæstiuncula 2. dicentis: *Alius Sacerdos debet explere, quod ille inchoauit, ita quod incipiat sequens Sacerdos, vbi primus dimisit, si sciatur*. Subdit autem S. Doct. *Si autem nesciatur, debet à capite incipere, non enim dicitur iteratum, quod nescitur esse factum*. Ex quo colligunt quidam, debere ponere aliam hostiam, & aliud vinum in alio calice, & vtramque hostiam. ac vtrumque calicem consecrare, alterum simpliciter, alterum sub conditione. Mihi probabilius videtur, satis

ſatis eſſe, hoſtiam, & calicem, quæ inuenit in altari, ſub conditione conſecrare, & non debere aliam hoſtiam, & vinum apponere. ſicut & ſi certum eſſet primum Sacerdotem conſecraſſe hoſtiam, & neſciretur conſecraſſe vinum, ſufficeret hoc, quod in altari inuenit, conſecrare ſecundum Sacerdotem.

Quærit etiam Mag. Soto, an in tali caſu, ſi nullus poſſet haberi Sacerdos ieiunius, poſſet ille, qui non eſt ieiunius, Sacramentum perficere & ſumere. Reſpondetque: *Abſque dubio poſſe*. Quod & omnes aſſerunt: nam minus inconueniens eſt, Sacerdotem non ieiunum communicare, quam ſacrificium relinqui imperfectum. Si nullus inueniri poſſet Sacerdos, inquit M. Soto: non eſſe licitum laico ſanguinem, aut hoſtiam ſumere: quia laico non licet ſacrificium perficere. Vnde hoſtia reſeruanda eſſet in pixide, & calix in ſacrario. Et ſi ſpecies vini corrumperentur antequam inueniretur, qui eas ſumeret Sacerdos, in piſcinam proijciendæ eſſent. Alij dicunt licere laico ſpecies conſecratas etiam vini ſumere, non ad perficiendum ſacrificium, ſed ob reuerentiam Sacramenti.

Quærit denique idem Mag. Soto, an, ſi quando moritur celebrans, adſit Sacerdos concubinarius tamen, & in peccato mortali exiſtens, teneatur ſacrificium perficere, ac per conſequens verè conteri, & occaſiones peccati abſcindere. Reſponder-

que,

que, non teneri; quia Concil. Toletan. relatum à D. Thom. solum ait: *Sit liberum Presbytero alteri, consecrationem exequi incepti sacrificij.* Ergo simpliciter concubinarius ille non obligatur ad rem sibi difficilem, nisi forte ex hoc, quod non perficeret, magnum scandalum sequeretur. Alij teneri affirmant: quia talis peccator nullum incommodum accipit, sed potius commodum maximum, dum compellitur conteri.

Circa secundum, quando scilicet celebrans recolit se aliquid comedisse, vel bibisse, vel etiam alicui peccato mortali subiacere, vel etiam excommunicationi, notanda sunt verba D. Thom. ad 2. *Si ante consecrationem alicuius prædictorum sit memor, tutius reputarem, maximè in casu manducationis, & excommunicationis, quod Missam inceptam desereret, nisi graue scandalum timeretur.* Aduerbio enim illo *maximè* innuere videtur in altero casu, peccati scilicet mortalis, admitti posse, non teneri Missam inceptam deserere. Quod sentit Mag. Soto vbi supra dicens: *Si autem est in culpa mortali, etiam si in introitu Missæ quando est in altari sit memor, satis est contritione, & proposito confitendi, vt possit inceptum perficere.* Idem sentiunt M. Victoria in summ. num. 78. & alij recentiores. Ex quo nonulli colligunt, idem esse dicendum de sæculari, qui existens in mensa communionis recordatur alicuius peccati mortalis. Quando Sacerdos, qui ante Missam

Missam rite confessus fuerat, recordatur eam celebrando alicuius peccati mortalis in confessione inuincibiliter obliti, tunc quidam affirmant teneri de illo actum contritionis habere. Alij oppositum dicunt: quia tale peccatum iam vere est remissum; sicque posse Sacerdotem tunc prosequi Missam inceptam, quin eliciat actum contritionis, & postea suo tempore confiteri peccatum illum oblitum, & tūc de illo conteri, vel atteri. Idem est de sæculari prædicto dicendum.

Circa tertium notandum est, quando post consecrationem deprehenditur, venenum esse in calice, non esse sumendum sanguinem, sed vt ait D Thom. *Ne Sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in calicem, & denuo resumere à consecratione sanguinis, & sacrificium perficere*. Vnde non debet aliam apponere Hostiam sicut in casu sequenti, nisi forte venenum esse in calice deprehendatur post sumptionem Hostiæ consecratæ.


Circa quartum aduertendum est, sententiam D. Thom. asserentis, si Sacerdos post sumptionem corporis perceperit, vinum non fuisse positum in calice. *Aliam Hostiam apponere debet iterum consecrandam simul cum sanguine*, maximè probatam fuisse ab Ecclesia, cum in Missali Romano hoc modo supplendum esse hunc defectum dicatur. Contrariam sententiam asserentem satis esse tunc vinum tantum

con-

consecrare, & sumere, tenent multi cum Scoto, illamque, dum in publico celebratur, sequi ad euitandam scandalum, & turbationem populi, nullum esse absurdum, docet M Soto vbi supra.

Circa quintum obserua, doctrinam D. Thom. salutarem esse scrupolosis, ne quotiescunque sibi videantur obliti alicuius, id repetant. Et quamuis probabiliter eis constet aliqua omisisse: si tamen non sunt de necessitate Sacramenti, non resumant, sed vlterius procedant. Cui conforme est, quod dicitur in solutione sexti, quam & solutionem septimi vide apud D. Thom. & M. Soto vbi supra.





INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

nu-

rij

B

bene-

C

ARTICVLVS VI.

Vtrum possit sufficienter occurri defectibus circa celebrationem huius Sacramenti occurrentibus statuta Ecclesiæ obseruando.

Conclusio est negans.

SEptem defectuum mentionem hic facit D. Thom. & quomodo eis occurrendum sit docet in solutionibus septem argumentorum, quę proponit.

Circa primum, qui debet suppleri per alium, quando Sacerdos celebrans moritur, aut graui infirmitate occupatur incepta consecratione, notat Mag. Soto in 4. distinct. 13. q. 2. art. 6. *In tali casu id procedendum est, vnde cessatum est.* Quæ est doctrina D. Thom. in 4. dist. 8. q. 2. art. 4. quæstiuncula 2. dicentis: *Alius Sacerdos debet explere, quod ille inchoauit, ita quod incipiat sequens Sacerdos, vbi primus dimisit, si sciatur.* Subdit autem S. Doct. *Si autem nesciatur, debet à capite incipere, non enim dicitur iteratum, quod nescitur esse factum.* Ex quo colligunt quidam, debere ponere aliam hostiam, & aliud vinum in alio calice, & vtramque hostiam, ac vtrumque calicem consecrare, alterum simpliciter, alterum sub conditione. Mihi probabilius videtur, satis

ſatis eſſe, hoſtiam, & calicem, quæ inuenit in altari, ſub conditione conſecrare, & non debere aliam hoſtiam, & vinum apponere. ſicut & ſi certum eſſet primum Sacerdotem conſecraſſe hoſtiam, & neſciretur conſecraſſe vinum, ſufficeret hoc, quod in altari inuenit, conſecrare ſecundum Sacerdotem.

Quærit etiam Mag. Soto, an in tali caſu, ſi nullus poſſet haberi Sacerdos ieiunius, poſſet ille, qui non eſt ieiunius, Sacramentum perficere & ſumere. Reſponde tque: *Abſque dubio poſſe*. Quod & omnes aſſerunt: nam minus inconueniens eſt, Sacerdotem non ieiunum communicare, quam ſacrificium relinqui imperfectum. Si nullus inueniri poſſet Sacerdos, inquit M. Soto: non eſſe licitum laico ſanguinem, aut hoſtiam ſumere: quia laico non licet ſacrificium perficere. Vnde hoſtia reſeruanda eſſet in pixide, & calix in ſacrario. Et ſi ſpecies vini corrumperentur antequam inueniretur, qui eas ſumeret Sacerdos, in piſcinam proijciendæ eſſent. Alij dicunt licere laico ſpecies conſecratas etiam vini ſumere, non ad perficiendum ſacrificium, ſed ob reuerentiam Sacramenti.

Quærit denique idem Mag. Soto, an, ſi quando moritur celebrans, adſit Sacerdos concubinarius tamen, & in peccato mortali exiſtens, teneatur ſacrificium perficere, ac per conſequens verè conteri, & occaſiones peccati abſcindere. Reſponderque,

que, non teneri; quia Concil. Toletan. relatum à D. Thom. solum ait: *Sit liberum Presbytero alteri consecrationem exequi incepti sacrificij*. Ergo simpliciter concubinarius ille non obligatur ad rem sibi difficilem, nisi forte ex hoc, quod non perficeret, magnum scandalum sequeretur. Alij teneri affirmant: quia talis peccator nullum incommodum accipit, sed potius commodum maximum, dum compellitur conteri.

Circa secundum, quando scilicet celebrans recolit se aliquid comedisse, vel bibisse, vel etiam alicui peccato mortali subiacere, vel etiam excommunicationi, notanda sunt verba D. Thom. ad 2. *Si ante consecrationem alicuius prædictorum sit memor, tutius reputarem, maxime in casu manducationis, & excommunicationis, quod Missam inceptam desereret, nisi graue scandalum timeretur*. Aduerbio enim illo *maximè* innuere videtur in altero casu, peccati scilicet mortalis, admitti posse, non teneri Missam inceptam deserere. Quod sentit Mag. Soto vbi supra dicens: *Si autem est in culpa mortali, etiam si in introitu Missæ quando est in altari sit memor, satis est contritione, & proposito confitendi, vt possit inceptum perficere*. Idem sentiunt M. Victoria in summ. num. 78. & alij recentiores. Ex quo nonulli colligunt, idem esse dicendum de sæculari, qui existens in mensa communionis recordatur alicuius peccati mortalis. Quando Sacerdos, qui ante Missam

Missam rite confessus fuerat, recordatur eam celebrando alicuius peccati mortalis in confessione inuincibiliter obliti, tunc quidam affirmant teneri de illo actum contritionis habere. Alij oppositum dicunt: quia tale peccatum iam vere est remissum; sicque posse Sacerdotem tunc prosequi Missam inceptam, quin eliciat actum contritionis, & postea suo tempore confiteri peccatum illum oblitum, & tūc de illo conteri, vel atteri. Idem est de sæculari prædicto dicendum.

Circa tertium notandum est, quando post consecrationem deprehenditur, venenum esse in calice, non esse sumendum sanguinem, sed vt ait D. Thom. *Ne Sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in calicem, & denuo resumere à consecratione sanguinis, & sacrificium perficere*. Vnde non debet aliam apponere Hostiam sicut in casu sequenti, nisi forte venenum esse in calice deprehendatur post sumptionem Hostiæ consecratæ.

Circa quartum aduertendum est, sententiam D. Thom. afferentis, si Sacerdos post sumptionem corporis perceperit, vinum non fuisse positum in calice. *Aliam Hostiam apponere debet iterum consecrandam simul cum sanguine*, maximè probatam fuisse ab Ecclesia, cum in Missali Romano hoc modo supplendum esse hunc defectum dicatur. Contrariam sententiam afferentem satis esse tunc vinum tantum


con-

consecrare,& sumere, tenent multi cum Scoto, illamque,dum in publico celebratur,sequi ad euitandam scandalum,& turbationem populi,nullum esse absurdum docet M. Soto vbi supra.

Circa quintum obserua, doctrinam D. Thom. salutarem esse scrupolosis, ne quotiescunque sibi videantur obliti alicuius,id repetant. Et quamuis probabiliter eis constet aliqua omisisse: si tamen non sunt de necessitate Sacramenti, non resumant, sed vlterius procedant. Cui conforme est, quod dicitur in solutione sexti, quam,& solutionem septimi vide apud D. Thom, & M. Soto vbi supra.



In-



INDEX

RERVM

NOTABILIVM.

A



ri-

Con-

Cor-

D.

E

F

G

H

Quid

I

Ma-

M

Mini-

tres

Opi-

S

sunt

T

V



ERRA-

ERRATA.

PAg. 10. lin. 6. ſacramenta ſacramenti. Pag. 70. lin 11. eſſa eſſe. Pag. 116. lin. 1. Charactere Character. Pag. 125. lin. 9. potentijs potentia. Pag. 304. lin. 7. tradito traditio. Pag. 600. lin. 3. ſic ſit,

FINIS.





image
not
available